This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

WIDENER LIBRARY
HX 5VKA U
Digitized by Google

9-934

BP 431.1.2



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,

ANNO

MDCCXXXV

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JO. GROSSII Hæredes,
JO. FRID. GLEDITSCHII B. Fil.

ET

MAURIT. GEORG. WEIDEMANNUM.

Venduntur etiam Amſtelodami in WAESBERGIORUM & WETSTEINIORUM officinis.

Typis BERNHARDI CHRISTOPH. BREITKOPFII.
A. MDCCXXXV.

Digitized by Google

BP 431.1.2

Digitized by Google

Lectori candido Salutem!

Quid vero in limine moremur te multis, interiora ſpectandi avidum, &, ſi quid laude tua dignum præſtitit induſtria noſtra, ſponte iturum in partes noſtras? Ita te ſemper æquum, Lector, ita ſtudioſum rerum noſtrarum, ita ad plaudendum laudandumque, vel non rogantibus nobis, facilem, cognovimus, ut nihil in futurum tempus timendum ſit muſis noſtris, nihil, ſi ita nobis eſſe amicus pergas, jucundiſſima hæc, quibus nunc fruimur, unquam poſſit otia turbare. Non igitur, quod ſolent alii, ſuis ipſi meritis diffidentes, &, cur diffidant, cauſam habentes, jam mollioribus verbis gratiam tuam aucupabimur, ita quippe perſuaſum nobis dudum habentes, non, ſi recte laudabiliterque nos in adminiſtrando noſtro munere verſemur, alieno te unquam a ſocietate noſtra animo futurum, ſicut nec inde a tot annis fuiſti. Qua ſpe freti,

illud

Digitized by Google

illud tantum agimus, ut, quicunque hoc ipſo anno benevole labores noſtros exceperunt, & in judiciis noſtris æquitatem laudarunt, hos ad unum omnes tenerrime ſalutemus, deinde, ut ceteris omnibus, qui muſam noſtram conſilio partim, partim re ipſa, adjuverunt, pro tanto noſtri ſtudio longe nos obſtrictiſſimos profiteamur, hosque, ne deſinant in poſterum præclare ita de noſtris ſtudiis mereri, per publica, quæ nos maxime curamus, commoda obteſtemur. Unum addimus, quod in notitiam tuam venire, e re noſtra omnium videtur. Eorum, quod certo ſcimus, extra ditiones noſtras huc usque permulti fuerunt, qui valde cuperent doctrinæ ſuæ interpretes nos habere præconesque publicos, neque tamen, cui noſtrum aut literas ſuas, aut librorum faſciculos, inſcriberent, haberent exploratum ſatis. His igitur, ne induſtriæ ſuæ in poſterum dulciſſimo hoc fructu careant, vel duobus verbis ſignificamus, recte acturos, ſi libros novos, aut alios cujusque generis literarios labores, Lipſiam ad Fridericum Ottonem Menckenium, *J. U. D. & Potentiſſ. Poloniarum Regi a Conſiliis Aulæ, penes quem* Actorum *cura eſt præcipua, via perferri quacunque juſſerint.*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCXXXV.

NUMISMATA VIRORUM ILLUSTRIUM ex Barbadica gente.

Patavii, ex Typographia Seminarii, 1732, fol. chart. aug. Alph. 1 pl. 18.

Splendidiſſimum hoc Opus LXXX Numiſmatibus abſolvitur. Autor ejus eſt *Joannes Franciſcus Barbadicus*, qui Cardinalis fuit & Patavinæ Eccleſiæ Epiſcopus. Is, cum nepotibus, ad quos & ipſa Præfatio, vel potius Dedicatio, præmiſſa eſt, illuſtrium majorum facta numiſmatibus expreſſa ad imitandum proponere conſtituiſſet, ea, quæ hac de re collegerat, patrio ſermone conſcripſerat, quæ poſtea in publicum emittenda Latine reddita ſunt a *Joanne Xaverio Valcavio*, e Societate Jeſu Presbytero. Ita vero rationes iniit Eminentiſſ. Autor, ut ſingulis Numiſmatibus brevem eorum, quæ egregie præſtiterunt ex univerſa Barbadicorum gente, quæ Venetiis eſt, Viri ad memoriam inſignes, ſubjiceret narrationem. Sic Numiſmatis I pars adverſa virum deſignat triumphali corona donatum. Torques a collo pendet ex Saracenorum barbis contexta, cum titulo: *Arrigus Barbarigo Muja Herus*. Averſa vero pars militem cataphractum exhibet, qui Saraceno denudato, manibus poſt tergum revinctis, barbam ferro tondet, cum epigraphe: *A victoria nomen.* Refertur hic in narra-

tione nummo ſubjecta ex *Sabellico*, *Bernardo Juſtiniano*, aliisque Scriptoribus, anno octogeſimo ſupra octingenteſimum, Mujam, opulentum, ut tum res erant, ac proximum Tergeſto oppidum, cum imperio obtinuiſſe *Arrigum*, Ducem gentis Barbadicæ, idque contra Saracenorum impetus non ſolum diligenter tuitum eſſe, verum etiam Saracenos, Tergeſtum, urbem & civium ſplendore, & cœli adſpiratione, ac ſitu, florentiſſimam, oppugnantes, repentina eruptione facta, aggreſſum eſſe, ac fudiſſe penitus & profligaſſe, *Arrigum*que, ſecundo eventu erectum, victis hoſtibus promiſſam, ut eorum ferebat conſuetudo, barbam ademi, ſibique torquem ſtudioſe texi juſſiſſe, eaque lætum oppidum ingreſſum eſſe. Tum omnes eidem rem præclare geſtam gratulaturi una voce conclamarunt: *Jo! Barba Arrighi*, *Jo! Barba Arighi*, atque inde primum familiæ *Barbarigi* cognomen inventum eſſe. Numiſmate XXX, ut Legatio *Auguſtini Barbadici* ad populos, qui in Poleſino in Venetorum fidem venerunt, indicaretur, in altera nummi facie vir conſpicitur capillo denſo, barba promiſſa, cum ſtola & collari, togatus, cum titulo: *Auguſtinus Barbadicus, ad Rhodiginos Legatus.* In altera vero viſitur Senex, quo genius Senatus Veneti repræſentatur, cum toga. Is dextra tenet ſceptrum, læva oleæ ramum, cum inſcriptione: *Genio Senatus.* Cum vero Autor *Barbadicus* ante fatis conceſſiſſet, quam hoc ipſum Opus lucem adſpiceret, Numiſmate LXXX, eoque ultimo, pront illud inter reliqua invenerat Editor, ipſius *Barbadici* memoria, factumque cumprimis illud, quo *Mariam Caſimiram*, Poloniæ Reginam, quæ Romam contendebat, in templo civitatis Veronenſis princìpe magna cum cerimonia ſolennique apparatu excepit, repræſentatur. Hinc pars prima virum præ ſe fert, imberbem, capillo brevi, Clericali pileo opertum, cum lineo collari ac palliolo, addito hoc titulo: *Joannes Franciſcus Barbadicus, Epiſcopus Veronenſis.* Altera autem ex una parte eundem exhibet cum toga, tunica linea, ac palliolo, quem nonnulli nobiles viri ſequuntur: ex altera Reginam cum regio comitatu; ubi inſcriptio hæc legitur: *Maria Caſimira, Poloniæ Regina, in Cathedralem excepta.* Ipſi Operi ſubjectus eſt Index Scriptorum,

Digitized by Google

rum, ex quorum libris deſumta ſunt ea, quibus Numiſmata illuſtrantur. Ipſa vero Numiſmata exhibent Viros ex gente Barbadica praeclaros eo ordine, quo vixerunt, ita quidem, ut ab A. 880 fiat initium, & Opus uſque ad noſtram aetatem pertingat.

CAJI PLINII CÆCILII SECUNDI EPIſtolarum Libros decem, cum Notis ſelectis JO. MARIÆ CATANÆI, JAC. SCHEGKII, JAC. SIRMONDI, IS. CASAUBONI, HENRICI STEPHANI, CONRADI RITTERSHUSII, CL. MINOIS, CASPARIS BARTHII, AUG. BUCHNERI, JO. SCHEFFERI, JO. FRID. GRONOVII, CHRISTOPHORI CELLARII, aliorumque, recenſuerunt, ſuisque Animadverſionibus illuſtrarunt GOTTLIEB CORTIUS, & PAULUS DANIEL LONGOLIUS, qui etiam univerſum Opus Indicibus locupletiſſimis inſtruxit.

Amſtelodami, apud Janſſonio-Waesbergios, 1734, 4.
Alph. 6.

Duo fere ſunt, in quae Criticos noſtrae aetatis ſummos in edendis Autoribus antiquis impingere obſervamus. Nam aut ingenio nimis indulgent ſuo, &, prout lubitum, vel invitis Codicibus manuſcriptis, verba Scriptorum mutant, aut ſcripturis ſemel receptae, & vulgatis Editionibus quaſi probatae, uſque adeo adhaerent, ut ingenio nullum penitus relinquant locum. Sed, quemadmodum nemo facile negabit, eos reliquis hoc in negotio melius ſe geſſiſſe, qui, mediam amplexi viam, ingenio nec confidunt nimis, nec nimis diffidunt, ſic Cel. *Gottlieb Cortium* is demum horum excludet numero, qui Doctiſſ. Viri Opera evolvit nunquam, quae nec nimiam audaciam in emendandis Autoribus, nec ineruditam quandam ſuperſtitionem, prae ſe ferunt.

Digitized by Google

Atque idem inſtitutum Doctiſſ. *Cortium* tenuiſſe in *Plinio* noſtro illuſtrando, omnes non minus, quam nos ipſi, in perlegendo intelligent. Vehementer quidem dolemus, Virum Eruditiſſimum, antequam ad finem perductæ eſſent Annotationes in *Plinium*, mortalitati ereptum, de ſubſidiis, quibus abunde uſus eſt in perpoliendo *Cæcilio*, nos ipſum non inſtruxiſſe. Interim tamen huic malo Cl. *Longolius*, qui præceptoris operæ, in *Plinii* editionem collatæ, colophonem feliciter impoſuit, pro virili parte in Præfatione mederi ſtuduit. Ex qua diſcimus, *Cortio* ad *Plinium* exornandum ad manus fuiſſe membranarum Mediceārum lectiones, quas *Nic. Heinſius* ad marginem editionis Aldinæ A. 1503, inſperſis ſubinde ſuis conjecturis, annotavit, a Cel. *Petro Burmanno* transmiſſas. Ejusdem beneficio ex Bibliotheca Academiæ Leidenſis *Voſſianorum Excerptorum* copia facta eſt Doctiſſ. Editori, veram interdum & veterem lectionem, licet ex recentiore Codice, afferentium. His opera doctiſſimi & promovendis literis nati *d'Orvillii* acceſſit editio a *Boxhornio* Lugd. Batav. A. 1653 procurata, cum duobus MStis collata, quorum alterum *Humfredius*, Gloceſtriæ Dux, poſſedit, alter a *Laurentio Valla* correctus eſt, uterque autem poſtea in Oxonienſem Bibliothecam publicam, teſte ipſo collatore, conceſſit. Eodem vero parario per Cel. *Ant. Franc. Gorium*, Florentiæ Hiſtoriarum Profeſſorem, Excerpta ex Codice Marchionis *Riccardi* ad *Cortium* noſtrum pervenerunt, cui etiam Cl. *Joannes Arnzenius*, *Aurelii Victoris* Reſtitutor feliciſſimus, ſua ſponte obtulit MSti Codicis collationem, in hac ipſa editione *Arnzenianus* dicti. *Frid. Lindenbrogii* ex vetuſto Codice Excerpta Bibliothecæ, quæ Hamburgi eſt, publicæ in acceptis ferenda ſunt, quemadmodum Ven. *von der Hardt* Helmſtadienſem Codicem, A. 1477 exaratum, Lipſiam miſit. Præter hos vero Codices conſuluit Doctiſſ. Editor varias editiones *Plinii* Epiſtolarum, inter quas eminent *Catanai*, *Aldina*, *Schureriana*, *Gryphii*, *Stephani*, *Cl. Minois*, *Gruteri*, & *Boannii de Tridino*. His ſubſidiis inſtructus *Cortius* ſe accinxerat ad ipſas Annotationes. In promtu fuerunt *Catanai*, *Caſauboni*, *Stephani*, *Rittershuſii*, *Minois*, *Buchneri*, *Gronovii*, aliorumque,

Digitized by Google

que, quas *Veenhuſius* olim in unum collegerat. *Caſp. Barthii*
Animadverſiones debentur Bibliothecæ publicæ, quæ Cygneæ
aſſervatur, a Cl. *Vinboldo*, una cum *Stephani* editione A.1591,
cui *Barthius* & *Daumius* paſſim doctiſſima annotaverant, ad Edi-
torem transmiſſæ. His ergo ſubſidiis factum eſt, ut Doctiſſ. *Cortii*
beneficio *Plinius* multis nunc in locis emendatior compareat. Sic
Lib. II Epiſt. XI n. 20, Codicibus MStis jubentibus, voces tres, Pag. 130.
quæ Marius acceperat, in editionibus omnibus obviæ, omiſſæ
ſunt, quas ex loco ſuperiore *n. 19* repetitas cenſet Cl. Editor.
Lib. II Epiſt. XVII n. 16 vulgo legitur: *Hæ, cum ſerenus dies* 162.
& immotus, omnes &c. pro quo nunc ex Codice inprimis Me-
diceo habetur: *Hæ, cum ſerenus dies & immotus aer, omnes &c.*
Lib. II Epiſt. XX n. 11 pro *nec multa* ex MStis exhibitum eſt, 177.
ne multa. *Lib. II Epiſt. XIII n. 11* pro *tota hac epiſtola feciſ-* 140.
ſem, a Cel. Editore reſtitutum eſt, *tota hoc epiſtola feciſſem.*
Lib. VII Epiſt. 1 n. 3 in vulgatis editionibus legitur, *denuncio,* 480.
ne quid mihi detur, niſi permittentibus Medicis, ſciantque, ſi
dederint &c. At nunc ex veterrimo Codice & *Voſſiano* con-
ſpicitur, *denuncio, ne quid mihi detis, niſi permittentibus*
amicis, ſciatisque, ſi dederint &c. *Lib. VII Epiſt. VI n.* 4 490.
in omnibus vulgatis ita legitur & interpungitur: *cum veros Le-*
gatos Provinciæ audieritis contra Nigrinum, ad quem miſſi
ſunt: ego apud me quoque habeo decretum provinciæ. Pro
quibus nunc multo elegantiora debemus Doctiſſ. Editori, qui
ita exprimendum typis curavit: *cum veros Legatos Provinciæ*
audieritis. Contra Nigrinus: ad quem miſſi ſunt? Ego:
ad me quoque habeo decretum provinciæ. Inprimis varios
omnino multosque locos ſuæ integritati reſtitutos videmus ope
membranarum Medicearum ſupra jam laudatarum: cui rei
ut fidem faciamus, quædam hic proferre ſpecimina non erit
alienum. *Lib. II Epiſt. 10 n. 2* vulgo habetur: *cumque vi-* 106.
vente eo nubenti tibi in dotem centum millia contulerim. At
ex Codice Mediceo nunc demum habetur: *cumque ego nuben-*
ti tibi in dotem centum millia contulerim. Ex eodem MSto 139.
Codice *Lib. II Epiſt. XIII n. 8* nunc viſitur, *mihi tamen, tan-*
quam liceret, indulſit, cum antea eſſet, *mihi tamen, tanquam*

Londini, ſumtibus Jo. Wilcox, 1734, 4 maj.
Alph. 4, cum Tabb. æn. 5.

Prodiit igitur dudum promiſſa & exoptatiſſima hæc Verſio, Illuſtri Viro ac ſummo literarum Fautori, *Cartereto*, Regis Magnæ Britanniæ Conſiliario intimo, dicata, quæ, ceu elegantiſſima & exactiſſima, reliquis omnibus huc uſque editis palmam omnino dubiam reddit. De his nobilis ac generoſus Autor in Præfatione ad Lectorem judicium ſuum interponit, ſimulque inſtitutum ſuum ac methodum in adornanda iſthac verſione perſequitur. Scilicet antiquam Latinam, a *Roberto Retenenſi*, Anglo, & *Hermanno Dalmata*, Abbatis Cluniacenſis ſumtibus, A. 1143 confectam, & a *Bibliandro* poſtea editam, nomen illud plane non mereri ob innumeros errores arbitratur, quibus Italica quoque *Arrivabenii*, ex præcedente deſumta, ſcateat, quamvis Autor, textui Arabico illam conformem eſſe, falſo aſſeruerit. *Joannis Andreæ*, Hiſpani, ex urbe Xativa in regno Valentiæ oriundi, Verſio, juſſu Epiſcopi Barcinonenſis, *Martini Garciæ*, olim ſuſcepta, lucem non adſpexit, ſed ex Confutatione Sectæ Mohammedicæ, ab eo ceu proſelyto Sacerdote Chriſtiano, poſt relictum Mohammediſmum, Hiſpanice edita, & in plures alias linguas translata, non adeo idoneum ac aptum ad *Corani* interpretationem fuiſſe, colligitur. *Andreæ Ryerii*, Conſulis olim Gallici in Ægypto, verſio Gallica priores quidem ſuperat; ſed juſtæ & accuratæ verſionis laudem non ſuſtinet, ob varias transpoſitiones, omiſſiones, additiones, & Notarum neceſſariarum defectum, ex qua cum *Alexander Roſs* Anglicam procuderit, illius hallucinationes mirum in modum adauxit. Tandem A. 1698 novam Latinam *Ludov. Maraccius*, Vir Arabicæ Linguæ peritiſſimus, qui Pontifici, *Innocentio XI*, a confeſſionibus fuit, Patavii publicavit, quæ ſatis quidem accurata ipſi videtur, ſed idiomati Arabico ſæpe nimis preſſe inhærens, obſcuriorem ſenſum fundit, refutationes vero adjectæ paulo ampliores, inſufficientes, ac interdum fere ineptæ ſunt, quia regulas paulo ante notatas, in refutandis Mohammedanis neceſſarias, non obſervavit.

Præter-

Digitized by Google

Præterea Lectorem Latinæ linguæ peritum requirit. His igitur rationibus permotus, novam hanc Anglicam ſtrenue aggreſſus eſt, in qua verum ubique verborum ſenſum exprimere ſtuduit, quamvis hanc ob cauſam a venuſta Linguæ Anglicæ indole nonnunquam recedere coactus ſit. Notas etiam ſingulis paginis ſubjunxit, ex Commentatoribus Arabicis depromtas, quibus & voces obſcuras & res illuſtrat, neque tamen prorſus Europæos Scriptores præteriit. Reliqua autem textum, illuſtrantia, Diſſertationi præliminari, præcipue ex *Pocokii* Specimine Arabico, quod commendat, aliisque, inſeruit, & *octo Capitibus* comprehendit. In *primo* de Arabum ante Mohammedem tempore, ut ajunt, ignorantiæ, ſtatu, ac de eorum hiſtoria, religione, ſtudiis, conſuetudinibus, agit, a *pag. 1* uſque ad *32*, ubi Arabiæ regionis etymon, limites, provincias, Arabum Tribus, Reges, idololatriam, Chriſtianiſmi inter eos progreſſum, ſcientias, virtutes, ac vitia, recenſet. In *ſecundo* de Imperiorum & Chriſtianæ Eccleſiæ Orientalis ſtatu, eo, quo Mohammed apparebat, tempore, hujus dotibus naturalibus, enthuſiaſmo dubio, methodo, qua in propaganda nova religione uſus eſt, & variis aliis circumſtantiis, ad hunc finem obtinendum concurrentibus, a *pag. 32* uſque ad *56*, diſſerit. *Tertium Caput* Alcoranum ipſum, ejusque etymon, diviſionem in verſus, antiquas ſeptem editiones, earumque in verſibus numerandis differentiam, (ob quam ipſe quoque eos in ſua omiſit,) ſtilum, ſcopum, publicandi modum, collectionem, varias lectiones, textus abrogatos, diſputationem de eo, an ſit creatus, expoſitiones, cultum ei exhibitum, ac translationem in linguas alias, ut *Perſicam*, *Javanam* & *Malaicam*, a *pag. 56* uſque ad *70*, repræſentat. *Quartum Caput* dogmata ſacra, & præcepta Alcorani poſitiva, ad religionem ſpectantia, fidem in Deum unum, Angelos & Genios, ſcripturas revelatas, Prophetas, ſtatum animæ poſt mortem, & locum earum intermedium, *Berzach* dictum, futuram reſurrectionem, eamque præceſſura multa ſigna, ac buccinæ inflationes, aliasque circumſtantias, judicium extremum, pontem, quem tranſire debent omnes homines, infernum, parietem inter illum Pag. 286.

 illum

Pag. 117. illum & cœlum, *Araf* dictum, Paradiſum, abſolutum decretum, preces, circumciſionem, eleemoſynas, peregrinationem ſacram Meccanam, cum templi ejus deſcriptione, a *pag.* 70 uſque ad 122 exponit. *Quintum* præcepta Alcorani negativa, ut prohibitionem vini, ubi & de Coffée, Tabaco, & opio agit, luſus, ſagittarum divinatoriarum, ciborum quorundam, uſuræ, camelorum certorum, & ovium quarundam, *Bahira*, *Saïba*, *Waſila*, & *Hami* dictarum, mactationis, & vivarum filiarum ſepulturæ, declarat. *Sextum Caput* Leges Alcorani ſiſtit civiles, de polygamia, divortio, & conjugio in genere, de gradibus prohibitis, de ſcortatione, adulterio, de hæreditate, contractibus, homicidio, furto, jure talionis, injuriarum, & aliorum minorum criminum, pœnis, ubi ſacrorum & ſecularium doctorum Deciſiones inæquales allegat, & bello contra infideles. *Septimum* menſes ſacros in Corano præceptos, & diem Sabbathi ſeu Veneris, ac Feſtos, breviter definit. *Octavum* Sectas Mahommedicas & Pſeudo-Prophetas prolixe enarrat. Ex Manuſcriptis, præter ea, quæ in Muſeo ſuo habuit ipſe, duo tantum conſuluit, ſecum communicata, nempe *Beidavii* Commentarium Arabicum, quem laudat, & *Evangelium Barnabæ*, ex Italica lingua Hiſpanice verſum, rariſſimum Opus, quod deſcribit, ac illud Capitibus 220, per paginas 420, hiſtoriam Chriſti, inde a nativitate ejus uſque ad aſcenſionem, traditionibus Mohammedicis ſimilem, complecti ait. Interpretem ejus nominat *Moſtafam de Aranda*, Mahomedanum Arragonenſem, & Autorem *Renegatum*, ut appellari ſolet, ſeu Chriſtianæ religionis deſertorem, aut a Mohammedano interpolatum eſſe, conjicit in Diſſertatione præliminari *pag.* 74, ejusque exemplar Italicum in Sereniſſ. Principis *Eugenii* Bibliotheca reperiri annotat. Ceterum ea generoſus Autor eſt modeſtia, ut hanc verſionem ſuam pro libera defectibus, & nævis exemta, non venditet, ob difficultatem ſuſcepti operis, & plura alia muneris ſui avocamenta. Neque ſic Arabicæ linguæ aut textus originalis neglectum inducere voluit, quem ex verſionibus oriri, *Hinckelmannus*, ab *Acoluthe* refutatus, cenſuit. Et, cum nullius linguæ originalis indoles plene exprimi in alia poſſit, quia nati-

nativus cujusque linguæ decor certis, ut ita loquamur, idiotiſmi fulturis innititur, & in aliam velut coloniam delatus, priſtinæ commendationis gratiam quodammodo amittit, ipſe quoque æqualem per omnia textui Arabico, verſionem ſuam omni induſtria reddi non poſſe, *pag. 61* judicavit. Attamen ſtricta ſimul, & *Maracciana* non raro clarior eſt, atque errores nonnullos ex textu male intellecto, Mohammedanis falſo tribui, in Notis paſſim oſtendit. Utinam vero paraphraſin Turcicam & Perſicam, ex qua multa obſcura loca ſine dubio lucem accipiunt, ei conferre licuiſſet. Sed dabitur forſan aliquando occaſio, ut ex Codice MSto hoc rariſſimo, quo Senatus Ampliſſimi Lipſienſis Bibliotheca inter alias exſplendeſcit, ſpecimen obſervationum Alcoranicarum publicare liceat, quod linguæ Arabicæ Profeſſor Publicus in hac Academia, *Jo. Chriſt. Clodius*, in ſe recepit. Is ſimul phraſeologiam Alcoranicam, qua huc usque caremus, annectet, ac per eam plurium locorum difficilem ſenſum eruet. Tabulis quinque etiam ornavit omni laudum genere cumulatiſſimus Autor ſplendidam hanc verſionem, nempe Geographica, qua Arabiam delineavit, tribus Genealogicis, de Arabum Tribubus, genuinorum, inſititiorum, & ſpeciatim *Koreiſchitarum*, *pag. 8*, & una Ichnographica, qua templi Meccani figuram *pag. 114* exhibuit.

CONSULTI MEDICI DEL SIGNOR DOTTOre GIUSEPPE DEL PAPA, &c.

h. e.

CONSILIA MEDICA DOCTORIS JOSEPHI DEL PAPA, Archiatri Curiæ Toſcanæ, & Medicinæ Lectoris Publici in Academia Piſana.

Venetiis, per Sebaſtianum Coletum, 1734, 4.
Plag. 22.

Conſiliorum medicorum, ſi fide dignos, longoque annorum uſu comprobatos, eosdemque theoretica doctrina probe

Digitized by Google

imbutos autores ſortita ſunt, non levis eſt utilitas, tum quod hiſtoriæ morborum cauſarumque morbificarum cognitioni lumen hoc ipſo accendatur, tum maxime, quod remediorum virtus, ſelectus, & debita iisdem utendi ratio, evolvatur plenius, ſi quis veteranus Æſculapii miles clariſſima facinora ſucceſſusque rerum, quibus longa praxi uſus eſt, quo exempli loco minus exercitatis inſervire poſſint, publice proponat. Equidem caſuum inter ſe, etiamſi quam maxime convenire videantur, non eadem eſt facies, maleque plerumque peregrino calculo noſtratium affectus emetimur. Sibi quisque ſapit, ſuaque doctrina præſentium, quos oculis uſurpare poteſt, morborum phænomena melius, quam majorum placitis, quilibet perſpicit. Interim negari non poteſt, animum Medici, ſi logica, ſimilitudines ac diſſimilitudines rerum probe dijudicandi, peritia imbutus ſit, plurimum & jucunditatis & commodi lucraturum, perlectis morborum, quæ peregrino ſub cœlo conditæ ſunt, hiſtoriis, dummodo imitando ſervus, meditando credulus, faciendo temerarius eſſe nolit, & analogiam, quæ eſſe debet inter caſus, quos eosdem credimus, probe inſtituere norit. Ejusmodi Medico, qui res ex æquitate æſtimat, nec experimenta tantum, eo, quod peregre acceſſerint, pro ſecuris ſibique convenientibus habet, quam maxime commendabiles efficimus Celeberrimi, cujus opus præſentia Conſilia ſunt, Archiatri Obſervationes, quas induſtriæ *Sebaſtiani Coleti*, Typographi, docente ejus Præfatione, debemus. Magnum ſe inveniſſe theſaurum, ex merito quidem gloriatur, quod felicitatem colligendi tanquam ex Æſculapii aut Apollinis fano haſce ſanitatis tabulas impetraverit, ſique, quod diſertis verbis aſſerit, Lectoris voluntas & approbatio novi cujusdam prodituri Tomi Conſultationum cauſa futura eſt, næ eundem certo appariturum confidimus, cum nemo lecturus ſit optimarum rerum faſciculum, quin noſtro de ejus nobilitate judicio ſponte lubenterque ſubſcribat. Plurimum quidem nitoris ex ſe ipſo obtinuerunt Conſilia, neque tamen parum eſt, quod Collectori ob ſelectum, quem inſtituit, ordinisque elegantiam, hoc ipſo debetur, cui, tantum abeſt, ut futuri ſint, qui vitio vertant, quod Latina Italicis mixta dederit, quodque haud raro

in

in conſimilibus caſibus eadem & meditationum & medicamentorum & elocutionis etiam paritas deprehendatur, ut potius in laudem cedat eidem, quod Autoris mentem incorruptam ſervaverit, eademque ejus verba, utpote qui de edendo aliquo Conſultationum Libro non cogitaverat, elegantia prorſus & in utroque ſermone bene ordinata, attulerit. Generatim monendum, in omni caſuum propoſitorum declaratione obtinere hodiernam Medicorum per Italiam methodum, qui, cum veterum Medicorum placitis hodienum delectentur, nolintque, uti par eſt, omnem veritatis gloriam majoribus noſtris derogare, negare tamen inſimul non poſſint, ex motuum legibus plurima antiquis ignorata declarari poſſe, media incedunt via, & qui apud noſtrates vano Mechanicorum titulo ſuperbientes vix ſine infamiæ metu allegatur *Hippocrates*, hic omni pagina regnat; neque vero hoc ipſo plus a veritate abeſt Conſiliorum Autor, quin potius conſtet, eum in tuenda humani generis ſalute multum ingenio, ſed plus induſtriæ, cujus indicium eſt frequens Autorum primi ævi evolutio, tribuiſſe. Sicut autem in defendendis antiquæ ſcholæ opinionibus pertinax eſt, ita peritiam ſuam in recentiorum dogmatibus hinc inde prodit, quo ipſo factum, ut ſucceſſus in curationibus elegantiæ doctrinæ non potuerit non reſpondere, quam Anatomiæ ſubtilioris & Mathematices peritia ornatiſſimam obtinuit. Speciatim deprehendimus, Autorem in divinatione latentium cauſarum & ſolertiſſimum & ſagaciſſimum fuiſſe, in cujus rei teſtimonium unum alterumque exemplum proferre liceat, quo dubitari de ingenio Autoris non poſſit. Quarta Conſultatio inſtituitur de Nobili Viro affectibus vertiginoſis doloribusque præcordiorum obnoxio, cui Ictrum imminere hoc ipſo prædicitur, deſumto partim a dolore hypochondrii dextri & conjuncta eidem nauſea & vomitu, partim a fæcum albedine, apparentibus in cute maculis flaveſcentibus, indicio, quæ ſigna ab abſente nec ægrum conſpiciente Autore ſic explicantur, & ad eandem cauſam reducuntur, ut, etiamſi perfectum jam & in ἀκμῇ conſtitutum malum nondum fuerit, certo ſubſecuturum, rebus ſic ſe habentibus, nemo dubitet. Equidem in

explicanda vertiginis indole utitur Autor vulgatiori *evaporationis calidæ ad caput* locutione, quam cum legibus motuum nulla ratione convenire, quotusquisque eſt, qui dubitet? Verum tantum abeſt, ut crimini vertatur iſthoc elocutionis genus, cum paulo poſt ab impedita ſanguinis per vaſcula ſua capillaria, ob ejus glutinoſitatem, circulatione, totum negotium accuratiſſime deducatur, ut potius laudandum ducamus, ſic ingenio minus verſatorum in arte medica velificari voluiſſe Autorem, quibus recepti ejusmodi populares termini excutiuntur ægerrime. Cauſam mali procatarcticam in corpore provectioris jam ætatis partim a vita ſedentaria ſtudiorumque meditabundo genere, partim a venæ ſectionis abuſu, cui aſſueverat, deducit, quod utrinque ſanguinis lentor & in motibus pigritia, depletis nimium vaſis, paulatim paulatimque non potuerit non produci. Commendat chalybeatorum uſum purgantiumque moderatam doſin, quo omni mucagine exui ſanguinis conficiendi materia poſſit. Ex fonte chirurgico cucurbitas cum igne in nucha applicandas, quo vertigini medela afferatur, commendabiles efficit, &, caſtigatis modeſte Medicis, quibus decocta cum ligno viſci hactenus placuerant, quibusque viſa erat venæ ſectio denuo inſtitui poſſe, infuſum Thee cum ſyrupo roſarum ſubſtituit, ſingulari modeſtia ſuam ſententiam meliori, quam eſſe vix poſſe arbitramur, ſubjiciens. Non minori felicitate uſus eſt Autor in deductione mali cujusdam complicati, quod varias actiones animales naturalesve in perſona quadragenaria læderet, cujus cauſam a vomitu cruento, qui cum copioſa ſanguinis jactura obortus fuerat, deducit. Perplacet ejus opinio, qua inductus ſententiam recentiorum primi ordinis Medicorum defendere videtur, poſſe vaſa ſanguiflua forte etiam ſine ruptura, in ſtomachi cavitatem aperta eſſe, quæ ampliora facta, ſicut ſecundum naturam nutrimenti portionem abſorbent, unde *momentanea refectio virium poſt paſtum*, jam ubi orgaſmus ſanguinis auctior factus fuerit, ſincerum etiam haud raro ſanguinem plorant. Dubium ſaltim eſt, arterioſine, an venoſi generis vaſa ſint, quæ accuſari hoc in negotio debeant, nec ambigi poteſt culpam non hujus eſſe, ſed illius. Inde, ne ſimili malo denuo obnoxius fit æger,

Digitized by Google

æger, vulneraria commendat remedia, ſuccum lycii, quem vulgo, ſed falſo, terram Japonicam, ſeu Catechu, appellant, Fungumque Melitenſem, a *Boccone* tantopere prædicatum. Eadem eſt reliquarum Conſultationum indoles, in quibus & mentis acumen, & ſermonis utriusque caſtitatem, cum oblectamento deprehendimus.

TRAITÉ PHYSIQUE ET HISTORIQUE DE l'Aurore Boreale, par Mr. DE MAIRAN. &c.

h. e.

TRACTATUS PHYSICO-HISTORICUS DE Aurora Boreali, Autore DE MAIRAN. *Supplementum Commentariorum Academiæ Regiæ Scientiarum Anni* MDCCXXXI.

Pariſiis, apud Jacobum Lambertum, 1733, 4 maj.
Alph. 1 pl. 13, cum Tabb. æn. 15.

Mirabile illud naturæ ſpectaculum, quod noſtris temporibus crebrius, quam olim, obſervatum, auroram borealem vocant, neminem fere non eruditorum primi ordinis excitavit, ut rationes ejus phyſicas diligenter ſcrutaretur. Nulli tamen eorum adhuc licuiſſe hanc arcanorum naturæ partem accurate introſpicere, vel ex eo conſtat, quod nullius ſententia de rationibus phænomeni phyſicis, virorum naturalium rerum peritorum ſuffragia meruerit, aut digna habita fuerit, quæ ſectatorum opera diligentius expoliretur. Videtur natura, actiones ſuas invide celans, omnem auroræ hujus interpretem reſpuere, qui non in omnibus Matheſeos partibus verſatiſſimus, multa induſtria naturales res jam inveſtigaverit, in obſervando ſagax atque indefeſſus ſit. Harum virtutum felix connubium cum primi ſubſellii eruditi in Cel. *Mairanio* ſuſpiciant, inventa ejus cedro digna, quibus plurima doctrinæ naturalis capita ipſum locupletaſſe, vel ex *Actis* hiſce conſtat, hanc laudem ipſi vindicant.

Digitized by Google

cant. Exaſciatæ ejus Diſſertationes, quibus applauſum celeberrimarum Societatum eruditarum meruit, atque propoſita ſummis ingeniis per univerſam Europam præmia plus ſimplici vice palmamque reportavit, inſigne Viri acumen ac eruditionem luculenter teſtantur. Credibile non eſt, alium ſolvendo arduo huic nodo, atque problemati conſtruendo, quo provocaſſe ingenia doctorum ipſa natura videtur, parem futurum fuiſſe, niſi Cel. Autor illud ſua cura atque attentione non indignum judicaſſet. Veram ejus rationem exiſtimat illud lumen eſſe, quod magnus *Caſſinius*, a ſe primum obſervatum, Zodiacale appellavit. Luminis hujus claritas atque ſplendor illi viæ lacteæ perſimilis eſt; & modo ante, modo poſt occidentem ſolem, certis anni temporibus, figuram lanceæ aut pyramidis referens fulget, atque inter Zodiaci terminos ſemper concluſum, obliquo ad horizontem ſitu baſi ſua inſiſtit. Ipſo Cel. *Caſſinio* judice, lumen hoc eſt atmoſphæra ſolis, fluidum quoddam rarum atque tenue, vel ſua natura reſplendens, vel radiis ſolaribus illuſtratum, circumcirca globum ſolis ambiens, ſed circa æquatorem ſideris hujus magis extenſum, atque majori copia ſe volvens. Etiamſi lumen hoc Zodiacale ſolis atmoſphæram non diu ante patrum noſtrorum memoriam prodiderit, cum non niſi certis conditionibus poſitis appareat, ſemper tamen in eclipſibus ſolis, ut vocantur, totalibus, ubi lunæ corpore fulgentiſſimum ſidus obtegitur, fluidum aliquod, ſive atmoſphæram, globum ejus cingere, obſervatum fuit. Ut lumen Zodiacale ſolis atmoſphæram oculis noſtris objicere poſſit, neceſſarium inprimis eſt, ipſum ſatis longe in zodiaco porrigi, ne ſplendor ejus crepuſculis vel matutinis, vel veſpertinis, obfuſcetur. Certum vero atque indubiis experimentis demonſtratum eſt, atmoſphæram ſolis, ſub luminis Zodiacalis ſpecie, nonnunquam uſque ad terræ noſtræ orbitam extendi, imo terminos ejus ſæpe transgredi. Materia igitur, ex qua atmoſphæra hæc componitur, in ſuperiores aeris noſtri regiones incidens, atque intra limites gravitatis univerſalis conſtituta, majori vi verſus terram, quam verſus ſolem, impellitur, &c, ſecundum rationem gravitatis ſuæ ſpecificæ, profundius atmoſphæræ terreſtri immergitur. Et, cum credibile

non

ſit, materiam hanc, aut, ſi ita vocare placet, aerem ſolarem, eo, qui terram noſtram ambit, magis homogeneum eſſe, partes ejus, pro diverſitate magnitudinis, figuræ, texturæ, ipſiusque ponderis, in diverſæ altitudinis ſtrata confluent. Infimum locum occupant particulæ craſſiores, ad flammam concipiendam minime aptæ, unde illa denſarum nebularum, quæ tamen pellucidæ eſſe ſolent, atque illa fumi ſpecies, quæ auroram borealem ut plurimum comitantur, illamque ex parte viſui noſtro obtegunt, atque fere nunquam non præcedunt. Sæpiſſime formam ſegmenti circularis, horizonti ex parte boreali innixi, vel nubium obſcurarum atque fumigantium ex parte oculis noſtris obverſa, ſed albicantium, atque ex parte ſuperiori ſplendentium, ſpeciem referunt. Infimo materiæ hujus obſcuræ atque fumidæ ſtrato alia levior materia incumbit, vel flammam concipere apta, vel reapſe ex natura ſua ignea, aut ex fermentatione cum materia peregrina accenſa. Si tota atmoſphæra noſtra particulis atmoſphæræ ſolaris uniformi ratione impprægnata eſſet, indubium eſt, lumen hoc atque nebulas multo clarius circa horizontem, quam in ſuperioribus cœli regionibus nobis apparitura eſſe, ſiquidem radii viſus longiori itinere ex aere circa horizontem, quam ex illo, qui vertici noſtro imminet, ad ſpectatoris oculum perveniant. Cum autem admodum veroſimile ſit, multo denſiorem atque craſſiorem atmoſphæram cœleſtem circa polos & in regionibus terræ borealibus, quam circa æquatorem, eſſe, concludendum eſt, borealem auroram frequentius in terris polo vicinioribus, quam zonæ torridæ incolis, aut regionibus æquatori propioribus, viſum iri; quod conſtans experientia teſtatur. Sed præter hanc opticam alia phyſica ratio eſt, ex rotatione terræ circa axem, motuque hujus annuo, repetenda, cur materia auroræ borealis a torrida zona verſus polares regiones continuo excutiatur. Id cauſæ eſt, cur auroræ boreales & majores & ſplendidiores in illis regionibus, quarum major latitudo eſt, videantur, ſive materia, qua conſtant, ulterius haud porrigatur, ſive ex locis polo vicinis, quaſi ex foco, copioſior per omne reliquum viſibile cœli hemiſphærium diffluat. Propterea etiam ut plurimum

 ſub

ſub arcus, aut plurium arcuum concentricorum, quorum centrum proxime a polo boreali diſtare videtur, ſpecie apparent, ita, ut ſinguli arcus obſcuro circuli ſegmento horizonti innixo incumbere videantur. Cum enim materia ſolaris, ſive borealis auroræ elementa in diverſa aeris ſtrata magis minusve penetrent, illa reſpicientibus ex zona temperata formam arcuum atque ſegmentorum circularium ſpectatoris oculo exhibent, qui modo luminoſi, modo obſcuri atque fumidæ caligini perſimiles ſunt, ſi borealis aer altius ſeſe immergente materia luminis borealis, magis minusve imprægnatus ſit. Columnæ atque ſtriæ lucidæ, ſive horizonti perpendiculares, ſive arcui & ſegmento circulari obſcuro, ex quo emanare videntur, concentricæ, ſunt coacervata hujus materiæ agmina, quæ ex ſuprema atmoſphæræ regione in illa loca, ubi incendium maxime graſſatur, normaliter delapſa, confeſtim ſive accenduntur, ſive illuſtrantur. Sæpe enim ſufficit, materiam hanc vicini ignis virtute oculis noſtris objici, ſiquidem paleæ aliaque exigua corpuſcula, in loco tenebricoſo volitantia, non alia ratione coruſcent, quam luce per foramen aliquod locum hunc ingreſſa. Ingentem altitudinem, ad quam in aere noſtro evecta eſt auroræ borealis materia, abunde teſtatur, atque definit indubia ejus parallaxis, cum arcus & ſegmentum obſcurum eo humiliori loco in cœlis videantur, quo magis a polo obſervator recedit. Sequitur inde, vel auroræ borealis materiam multo rariorem atque leviorem eſſe, quam ſuprema aeris noſtri ſtrata, etiamſi ex communi Philoſophorum ſententia aer in tanto a nobis intervallo incredibilem in modum rarefactus ſit: vel atmoſphæram terræ noſtræ longe altiorem eſſe, quam recepta eruditorum doctrina hactenus definita eſt; quod non probabile tantum Cel. Autori videtur, ſed invictis etiam argumentis hoc Opere demonſtrare inſtituit. Incredibilis raritas materiæ auroræ borealis ex eo quoque abunde evincitur, quod corpora luminoſa, v. g. ſtellæ per partes ejus, tum lucidas, tum obſcuras & fumidas, qualis eſt arcus horizonti proximus, pelluceant. Quod nihil inſoliti eſt, cum experientia teſtetur, ſtellarum ſplendorem, per ipſum quoque lumen zodiacale, quod natales auroræ boreali

Digitized by Google

reali dedit, fulgere. Hoc fere compendium eſt ſententiæ Cel. Autoris, de ortu ac natura auroræ borealis, quam Opere hoc uberius exponit, atque illo doctrinæ apparatu exornat, quem orbis eruditus haud immerito in ipſo ſuſpicit. Dividit Opus ſuum in *quinque Sectiones*, atque *prima* hiſtoriam luminis zodiacalis, ſive atmoſphæræ ſolaris, qua omnis ejus tractatio innititur, copioſe enarrat. *Secunda* de atmoſphæra terræ noſtræ, ejus altitudine, eaque regione, quam in ipſa auroræ boreales occupant, agit, ubi argumenta nonnulla ſponte ſe offerunt, quibus aliorum Philoſophorum opiniones, qui difficile hoc naturæ ſpectaculum explicare aggreſſi ſunt, confutet. *Tertia* illa Phænomena, quæ teſte experientia auroram borealem nunquam fere non comitari ſolent, ex hypotheſi ſua derivare, &, quam apte omnes partes, quas hiſtoria luminis hujus commemorat, cum illa cohæreant, oſtendere inſtituit. *Quarta* ex hiſtoria repetit, quicquid varii Autores tum antiquiorum, tum recentiorum temporum, de aurora boreali literarum monumentis conſignatum reliquere, ut cum luminis zodiacalis obſervatione, atque motu terræ, in diverſis orbitæ ſuæ punctis, ubi lumen hoc omnino expectandum erat, commode comparari poſſit. Cum nova omnino & noſtris duntaxat temporibus debita ſit luminis zodiacalis obſervatio, &, poſtquam Cel. *Caſſinius* inventa ſua colere deſiit, illorum recordatio fere obliterata fuerit, novum inde variis doctrinæ naturalis Capitibus lumen accendi poſſe, facile colligitur. Non igitur piguit Cel. Autorem prolixum inventi hujus in ſcientia naturali uſum *Sectione quinta* intento ſaltim digito monſtrare, ſed, familiari ſummis Viris modeſtia, non pro indubia veritate venditat, quæ ipſi veroſimilia videntur, ſed ſub dubiarum quæſtionum titulo illa pleniori eruditorum examini commendat. Cum per inſtituti noſtri rationem nobis non liceat Lectorem pleniori pereruditi hujus Tractatus compendio ex voto inſtruere, fas tamen non eſſe duximus, ea præterire, quæ de Atmoſphæra ſolari commentatur, ſiquidem huic fundamento integrum hoc Opus inædificatum ſit. Nulli tamen dubitamus, librum hunc, varia eruditione refertum, vel in linguam civibus noſtris

Digitized by Google

magis familiarem, mox tranſlatum, vel aliis typis, ut eruditis Galliam non incolentibus copia ejus facilius fieri poſſit, impreſſum iri. Primus, ut jam diximus, ſolertiſſimus ille cœlorum œconomus, magnus *Caſſinius*, tempore verno A. 1683 lumen zodiacale obſervabat, ſuaque inventa in Diario Eruditorum Pariſino ejusdem anni d. 10 Maj. eruditis enarrabat. Cl. *Fatio de Duillier*, cum, monſtrante *Caſſinio*, lumen hoc Pariſiis vidiſſet, Genevam domum reverſus, per annos aliquot inſolitum hunc in zodiaco ſplendorem diligenter obſervabat, ſuaque obſervata literis Amſtelodami impreſſis cum *Caſſinio* communicabat. Laudat haſce literas *Caſſinius* in Tractatu, quem de hoc argumento lingua Gallica, ſub titulo: Inventum luminis cœleſtis in Zodiaco apparentis, typis evulgavit, quod *Caſſinii* Opus, poſt non ita multo, Voluminis itinerum Academiæ Regiæ Scientiarum inſertum fuit. Poſtquam ſummus hic Aſtronomus indicium rei fecerat, alii quoque, inprimis *Eimartus* & *Kirchius* in Germania, novum hoc lumen diligenter obſervabant. Si cui mirum videatur, cur lumen hoc tam diu latuerit, atque poſtea etiam diligentiſſimorum hominum, cœlos indefeſſa cura per omnes noctes ſpectantium, oculos effugerit; monet Cel. Autor, easdem rationes atque phænomeni circumſtantias, quæ in cauſa fuerunt, cur tarde admodum ſplendor hic in Zodiaco obſervatus, aut cum aliis cœli ſpectaculis confuſus fuerit, jam quoque impedimento eſſe poſſe, ne diſtincte ſatis ab omnibus videatur. Cum oblique admodum poſitum, atque parum ab ecliptica remotum ſit hoc lumen, oculi noſtri illud ſuper horizontem elevatum vix alio tempore obſervare poterunt, quam ſub finem hyemis & veris initium, paulo poſt occaſum ſolis, vel autumno & circa initium hyemis, ante orientem ſolem. Rarius alio tempore commode ſpectatur, atque longe rarius, tum mane, tum veſperi, bis per diem. Crepuſculum fortius illud viſui noſtro ſubducit, neque videri poteſt, ſi luna clariori luce ſplendeat, eadem fere ratione, qua lactea via nobis occultatur, quæ ipſa cum lumine hoc facile confunditur, niſi de loco, quem hoc illudve lumen in cœlis occupat, ſpectatori ſatis ante conſtet. Ut mentem Cel. Autoris de natura atque obliqua poſi-


Digitized by Google

Digitized by Google

magis familiarem, mox translatum, vel aliis typis, ut eruditis Galliam non incolentibus copia ejus facilius fieri poſſit, impreſſum iri. Primus, ut jam diximus, ſolertiſſimus ille cœlorum œconomus, magnus *Caſſinius*, tempore verno A. 1683 lumen zodiacale obſervabat, ſuaque inventa in Diario Eruditorum Pariſino ejusdem anni d. 10 Maj. eruditis enarrabat. Cl. *Fatio de Duillier*, cum, monſtrante *Caſſinio*, lumen hoc Pariſiis vidiſſet, Genevam domum reverſus, per annos aliquot inſolitum hunc in zodiaco ſplendorem diligenter obſervabat, ſuaque obſervata literis Amſtelodami impreſſis cum *Caſſinio* communicabat. Laudat haſce literas *Caſſinius* in Tractatu, quem de hoc argumento lingua Gallica, ſub titulo: Inventum luminis cœleſtis in Zodiaco apparentis, typis evulgavit, quod *Caſſinii* Opus, poſt non ita multo, Volumini itinerum Academiæ Regiæ Scientiarum inſertum fuit. Poſtquam ſummus hic Aſtronomus indicium rei fecerat, alii quoque, inprimis *Eimartus* & *Kirchius* in Germania, novum hoc lumen diligenter obſervabant. Si cui mirum videatur, cur lumen hoc tam diu latuerit, atque poſtea etiam diligentiſſimorum hominum, cœlos indefeſſa cura per omnes noctes ſpectantium, oculos effugerit; monet Cel. Autor, easdem rationes atque phænomeni circumſtantias, quæ in cauſa fuerunt, cur tarde admodum ſplendor hic in Zodiaco obſervatus, aut cum aliis cœli ſpectaculis confuſus fuerit, jam quoque impedimento eſſe poſſe, ne diſtincte ſatis ab omnibus videatur. Cum oblique admodum poſitum, atque parum ab ecliptica remotum ſit hoc lumen, oculi noſtri illud ſuper horizontem elevatum vix alio tempore obſervare poterunt, quam ſub finem hyemis & veris initium, paulo poſt occaſum ſolis, vel autumno & circa initium hyemis, ante orientem ſolem. Rarius alio tempore commode ſpectatur, atque longe rarius, tum mane, tum veſperi, bis per diem. Crepuſculum fortius illud viſui noſtro ſubducit, neque videri poteſt, ſi luna clariori luce ſplendeat, eadem fere ratione, qua lactea via nobis occultatur, quæ ipſa cum lumine hoc facile confunditur, niſi de loco, quem hoc illudve lumen in cœlis occupat, ſpectatori ſatis ante conſtet. Ut mentem Cel. Autoris de natura atque obliqua poſi-

Digitized by Google

.Erud. A: 1735 Menſ. Januar. pag. 2125. 29.



poſitione hujus luminis melius intelligat Lector, ſit (Fig. 1), IKOA ipſum lumen zodiacale, ea ratione poſitum, qua commodiſſime ſupra horizontem ſpectari poteſt; prout v. g. Pariſiis, veſperi poſt crepuſculum, circa ultimum Februarii, aut primum Martii diem apparet. Supponamus ſectionem veris, ſive primum arietis punctum, ſuper plano horizontis eſſe in K; ſolem in S, in decimo gradu piſcium, in linea aut circulo finitore crepuſculorum PS, 18 gradibus infra horizontem depreſſum. Ecliptica TKZ, quæ hoc in exemplo cum axe AZ luminis zodiacalis confunditur, cum HR horizonte angulum 64 circiter graduum conſtituit. Cuſpis A luminis hujus inter ſtellas colli, ſive capitis, tauri cadit, atque in decimo geminorum gradu terminatur. Sequitur ex his, diſtantiam ejus a ſole AS 90 graduum hoc caſu futuram eſſe. Si igitur AS pro radio ſive ſinu toto accipiamus, facile erit reliquas in figura hac obvias magnitudines dimetiri, atque latitudinem IO luminis hujus plus, quam 20, graduum eſſe, inveniemus &c. Reliqua materia, ex qua lumen hoc compoſitum eſt, IDZLO neceſſario infra horizontem depreſſa erit, tum pars IDLO dimidii ſuperioris DLA, tum integrum dimidium alterum DLZ. Repræſentatum eadem hac Figura 1 ΣZ ſitum, quem lumen hoc ceteris paribus habet iisdem diebus mane, proxime ante crepuſculum matutinum, ubi angulus Rtz eclipticæ cum horizonte 26 fere graduum eſt. Concipiendum duntaxat eſt, ſpectatorem, cui veſperi polus borealis B a dextra & meridionalis M a ſiniſtra erat, jam orienti faciem obvertere, ut contraria ratione ſeptentrionem a ſiniſtra & meridiem a dextra habeat. Si omnia invertantur, atque fingamus, figuram hanc a tergo inſpici, IKOA repræſentabit lumen zodiacale mane autumnali tempore, circa 13 vel 14 diem Octobris, ubi ſol vigeſimum libræ gradum occupat. Primum ſigni hujus cœleſtis punctum, ſive ſectio autumnalis, tunc erit in K, in plano horizontis, modo ſtellæ congrua ratione in hac figura mutentur. Non igitur niſi pars luminis hujus GEZ, ſive gez, dimidii DLZ, mane circa Februarii finem, vel Martii principium, ſupra horizontem ſpectari poteſt; atque ſimilis pars alterius dimidii

TAB. I Fig. 1.

 DLA,

DLA, veſperi tempore autumnali, circa 13 vel 14 diem Octobris. Quoniam vero hoc caſu cuſpis admodum depreſſa eſt, neceſſe eſt, horizontem prorſus a vaporibus vacuum eſſe, ut lumen hoc in oculos noſtros incurrere poſſit. Intactas relinquimus regulas, quas Cel. Autor illis præſcribit, quibus animus eſt in ſimilem figuram projicere luminis hujus ſitum illo tempore, quo tum mane, tum veſperi, bis per diem ſpectari poteſt, quod circa ſolſtitia inprimis hyberna accidere ſolet. Satis ex dictis apparet, quod nunquam pars media DdLE ipſum ſolem ambiens, luminis hujus zodiacalis, ſive atmoſphæræ ſolaris, ſupra horizontem ſpectari poſſit, ſiquidem diei aut crepuſculi ſplendor illam obfuſcet, aut terminos ejus admodum incertos reddat. Non niſi totales, ut vocant, ſolis eclipſes, partem atmoſphæræ ſolaris denſiſſimam oculis noſtris objiciant. Obſervatum enim eſt, ſole a lunæ limbo prorſus obtecto, zonam circa ſolem illuminatam, ſive aliquam capillitii ſpeciem, eo denſiorem, quo propius a ſolis limbo diſtabat, apparuiſſe. Sed hæc inferior duntaxat ſolaris atmoſphæræ pars eſt, non illa, quæ zodiacale lumen oculis noſtris mane vel veſperi repræſentat, quæ nunquam fere in ejusmodi eclipſibus oculorum ſenſui ſubjicitur. Tenebræ enim in totali ſolis deliquio ſpiſſiores non ſunt, quam ut planetæ ſupra horizontem fulgentes, atque ſtellæ primæ ac ſecundæ, raro tertiæ, magnitudinis videri poſſint, cum zodiacale lumen, non niſi eo tenebrarum gradu, quo via lactea videri poteſt, oculorum ſenſu percipi queat. Ipſa denſior atmoſphæræ ſolaris pars, quæ globum ſideris hujus proxime cingit, nimium lucis ſpargit, atque prohibet, ne ſatis obſcuræ ſint tenebræ, ut mucrones extremi atmoſphæræ ſolaris, qui zodiacale lumen viſui noſtro exhibent, percipi poſſint. Sagaciſſimus *Kepplerus* phænomenon hoc optime cognoverat, atque luculenter deſcripſit, dum ad argumenta, quæ ſibi oppoſuerat, cur eclipſin ſolis totalem tenebræ nocturnæ haud comitari ſoleant, reſpondet, propterea id accidere, *quod craſſa ſubſtantia quadam ſolem ambiat — — Subſtantia craſſa circa ſolem, non hic in noſtro aere, ſed in ipſa ſede ſolis, apparetque etiam tecto ſole, ut flamma circulariter emicans* &c.

Epit.

Epit. Aſtron. Copernic. pag. 595. Ante jam monuimus, lumen zodiacale conſtanter lanceæ, aut pyramidis, ſpeciem referre, quod veram ejus figuram luculenter prodit, ſiquidem non aliud corpus, quam ſphæroides, depreſſum atque figuræ lenticularis ſit, quod ex aciei ſuæ plano inſpectum, fuſi figura appareat. Planum biſecans hanc lenticularis figuræ atmoſphæram eſt ipſe ſolis æquator, quam ad eclipticam $7\frac{1}{2}$ gradibus inclinari Cel. Autor poſt *Caſſinium* ſtatuit. Magnitudo hujus atmoſphæræ vix unquam infra 50 vel 60 gradus, ab ejus cuſpide uſque ad ipſum ſolare corpus computatos occupare viſa eſt, cum latitudine octo vel novem gradium, ubi baſis ejus horizonti inſiſtit. Nonnunquam ſupra centum vel 103 gradus in longitudinem extendi, atque latitudinem in horizonte viginti graduum eſſe, obſervatum eſt. Monet Cel. Autor, nunquam ſe illam latiorem obſervaſſe, quam cum maxime in longitudinem extenſa fuerit. Cum itaque, familiari Aſtronomis calculo, ex elongatione maxima planetarum inferiorum, ipſarum diſtantia a ſole colligatur, eadem methodo Cel. Autor concludit, ſolis atmoſphæram uſque ad terræ noſtræ orbitam porrigi, ſi reſpondeat ſtellis in cœlo nonaginta gradibus a vero ſolis loco diſtantibus. Imo, cum *Caſſinius* atque *Eimartus* extremam cuſpidem luminis zodiacalis nonnunquam centum vel 103 gradibus a ſole diſtare obſervaverint, neque recto itinere viſuales radii ex aere in oculum noſtrum incurrant, manifeſtum eſt, longe ulterius ſupra orbitæ terreſtris terminos atmoſphæram ſolarem extendi. Si itaque terra eo in loco orbitæ ſuæ inveniatur, ubi ſphæroides hoc lenticulare maxime extenſum eſt, inprimis circa nodos ejus cum ecliptica, quod nonnunquam accidere nihil prohibet, fluido hoc terra penitus immergetur, eique per aliquod temporis intervallum innatabit. Indubium igitur, & abſque ullo hypotheſeos phyſicæ ſubſidio demonſtratum eſt, atmoſphæram ſolarem uſque ad terram noſtram pertingere, atque illa nonnunquam quaſi involvi. Meretur hoc omnino attentionem eorum, qui rerum naturalium ſtudioſi ſunt, quod terra noſtra fluido adeo efficaci atque denſo, ut luminis radios per immenſa fere intervalla ad oculum noſtrum reflectere poſſit,

non-

Digitized by Google

nonnunquam per aliquod temporis intervallum involvatur. Cum vero corpora cœleſtia, inprimis ſolida atque coruſcantia, planetæ & ſtellæ fixæ, variis ſubjecta ſint mutationibus, colligere inde licet, quales futuræ ſint atmoſphæræ ſolaris viciſſitudines, quas non conjectura modo aſſequimur, ſed ipſa experientia ſatis teſtatur. Obviæ inprimis ſenſibus noſtris mutationes atmoſphæræ ſolaris, quas zodiacale lumen ſubinde prodit, vel magnitudinem ejus, vel claritatem & ſplendorem, vel figuram & ſitum, ſpectant, quarum omnium fundamentum diverſa ejus magnitudo eſſe videtur. Uberius itaque maxime ex hiſtoria apparitionum auroræ borealis, atque obſervationibus multorum eruditorum, qui poſt indicium a *Caſſinio* factum, vel zodiacale lumen, vel auroram borealem, inprimis in regionibus meridionalibus, ſpectarunt, explicat, qua ratione atmoſphæra ſolis ultra limites terreſtris orbitæ excurrens, terræ noſtræ aeri permiſceatur. Figuram autem atmoſphæræ ſolaris non perfecte ſphæricam, aut ipſam ſoli concentricam, eſſe arbitratur, ſed ex aliorum cœleſtium corporum natura, ipſam ellipticam eſſe, & ſolem non ejus centrum, ſed alterum potius focorum, occupare, ſuſpicatur. Neque exploratum ſatis eſt, annon proprio circa ſolem motu circumgyretur, ſed eodem ſemper ſitu immota, hæreat, ut alia taceamus, quæ ſatis demonſtrant, quam multa adhuc in hoc argumento ſolerti Philoſophorum cura obſervanda, reliqua ſint. Dictum jam eſt, lumen hoc zodiacale atmoſphæræ terreſtris aeri permiſſum, auroram borealem generare. Quod vero in aere, globum noſtrum terreſtrem ambiente hæreat, eo argumento Cel. Autor evincit, quod, cum ſæpius omni cura hoc phænomenon in cœlis ſpectaverit, nunquam tamen expertus ſit, illud particips eſſe motus illius aſtrorum communis, quo ſingulis diebus ab oriente verſus occidentem volvuntur. Neque concipi poteſt, materiam auroræ borealis ætheri innatare poſſe, quem leviſſimum omnium atque ſubtiliſſimum corpus eſſe, ſatis exploratum eſt. Copioſa tamen experimentorum multitudo teſtatur, ipſam regionem atmoſphæræ noſtræ admodum altam occupare, multoque altius ſuſpendi, quam communi Philoſophorum

phorum ſententia, aer terram noſtram ambiens porrigitur. Duobus modis altitudinem atmoſphæræ noſtræ definire eruditi inſtituerunt, per altitudinem mercurii in barometro, aut tempus durationis crepuſculorum. Illam methodum incertam valde eſſe, erudite Cel. Autor demonſtrat, hanc difficultatibus & ſalebris non carere, ab aliis jam monitum fuit. Mirum igitur non eſt, a via longe aberraſſe Philoſophos, dum communi fere conſenſu atmoſphæram noſtram ſupra viginti leucas Gallicas, quarum 25 gradum efficiunt, aſcendere, negant. Nondum Cel. Autorem aſſerti pœnitet, cum, fulgente in cœlis d. 19 Octobr. A. 1726 aurora boreali, ſuam de ejus loco ſententiam Regiæ Scientiarum Academiæ exponeret, atque materiam ejus ſupra 70 leucas Gallicas in aere noſtro ſuſpenſam fuiſſe contenderet, cum repetita experimenta atque uberior meditatio ipſum poſtea edocuerint, longe majorem ejus altitudinem fuiſſe. Parallaxis phænomeni in cœlis altitudinem ejus indubia ratione demonſtrat, qua Cel. Autor variis modis utitur, ut borealis auroræ altitudinem accurate inveſtiget. Illam ejus methodum duntaxat cum Lectore communicare placet, quam omnium maxime tutam arbitratur, cujus ope definit, auroræ hujus materiam minimum 200 leucis Gallicis in aere noſtro ſuſpenſam eſſe; nonnunquam non ſupra centum leucas evehi, ſæpe vero etiam tercentum leucis ipſam elevatam eſſe, experientia teſtatur. Ut accurate parallaxin ejus inveniat, monet, ſe uti arcu illo medio auroræ borealis lucido, quem Cel. *Maraldus*, induſtrius phænomeni hujus obſervator, ſpectare ſolebat. Obſervavit Cel. *Godinus* d. 19 Octobr. A. 1726, altitudinem arcus hujus Pariſiis 37 graduum fuiſſe; atque Eminentiſſ. Cardinali *Polignac* cum Cel. *Bianchinio* Romæ altitudo ejus viginti graduum eſſe videbatur; quos numeros non Cel. *Maraldi* ſolum, ſed & *Peyſſonelli*, idem phænomenon aliis locis ſpectantium, obſervationes egregie confirmant. Supponamus, quia calculus propterea non longe aberrat, Romam atque Lutetiam Pariſiorum, non longitudine, ſed latitudine tantum, differre, quod in illa obſervationum paucitate omnino concedendum eſt. *Sit* itaque (Fig. 2) RPE pars meridiani Pariſienſis, atque P ipſam Lute- TAB. I Fig. 2.

D

Lutetiam Pariſiorum, R vero interſectionem paralleli Romæ atque meridiani hujus deſignet, Cum differentia latitudinum Romæ atque Lutetiæ Pariſiorum ſit 6 grad. 56 minut. hic erit valor arcus RP. Ducantur radii PC, RC, atque tangentes, ſive horizontales PT, RD. Dantur ex laudatis modo obſervationibus altitudines apparentes TPM, DRM, luminis, ſive arcus borealis, 37 & 20 graduum. Ductis itaque lineis RM atque PM cum ſecante MEC, naſcuntur tria triangula PCR, PMR & PMC. Primum triangulum iſoſceles ex conſtructione atque hypotheſi datur, & cum angulus ejus acutus PCR ſit 6 grad. 56 minut. ſinguli reliquorum angulorum CPR & CRP erunt 86 grad. 32 minut. Angulus TPM, 37 grad. ex obſervatione notus, cum recto CPT, addantur angulo CPR, quorum ſummæ efficiet 213 grad. 32 minut. cujus complementum quatuor rectorum circa punctum P dabit angulum RPM, trianguli PRM, 146 grad. 28 minut. Datur itaque ipſum hoc triangulum, cum præterea notus ſit ex obſervatione angulus DRM 20 grad. & latus RP, quapropter angulus PRM æquabitur angulo recto DRC + DRM — PRC = 90 + 20 — 86 grad. 32 minut. = 23 grad. 28 minut. Nota igitur analogia ex datis his latus PM invenietur. Latus hoc PM commune eſt triangulo PCM, cujus latus CP etiam datum eſt, cum angulo CPM a lateribus hiſce comprehenſo, qui æquatur ſummæ anguli recti CPT & anguli TPM, ex obſervatione noti, h. e. 127 grad. Per notas itaque Trigonometriæ regulas ipſum triangulum reſolvetur, atque latus CM $1699\frac{1}{4}$ leucarum Gallicarum, quarum viginti gradum efficiunt, ſingulæ vero $2282\frac{2}{5}$ hexapedarum Gallicarum ſtatuuntur, invenietur. Subtrahendo CE = CP, radium terræ $1432\frac{1}{2}$ leucar. remanet EM = $266\frac{3}{4}$ leuc. Gallic. quæ eſt altitudo perpendicularis puncti M ex obſervatione inventi. Hoc igitur in exemplo altitudo auroræ borealis plus quam 256 leucarum elicitur calculo, quo omni cura proſpectum fuit, ut minima quantitate elementa definiantur. Cum Cel. *Meyerus Tom. I Comment. Academ. Petropolit.* eleganti formula novam methodum omiſſa ejus conſtructione complexus ſit, qua phænomeni hujus altitudo inveſtigari poteſt, cujus demonſtrationem concinnam valde

valde Cl. *Maupertuiſius* A. 1732 d. 29 Mart. cum Regia Scientiarum Academia communicavit, condignum pretium invento huic Cel. Autor non denegat, methodum tamen altitudinum hanc per parallaxin inveſtigandi, ob rationes, quas uberius exponit, nunquam fere non præferendam eſſe arbitratur. Inventa hac præter opinionem eruditorum ingenti auroræ borealis altitudine, quam pluribus præterea argumentis confirmat, illorum ſententiam explodit, qui cauſam aureæ borealis vapores & exhalationes terreſtres, vel glacies & nives zonæ borealis, radios crepuſculi reflectentes, aut materiam aliquam magneticam, eſſe ſtatuunt. Digniſſima eruditorum attentione ſunt, quæ tum horum, tum aliorum, alias auroræ hujus rationes promentium, ſententiæ acute opponit, ſed nobis ob brevitatis ſtudium illa excerpere non licet. Properamus ad *tertiam Sectionem*, qua argumentum propoſitum uberius explicat, atque phænomeni circumſtantias, vel a ſe ipſo, vel ab aliis eruditis paſſim obſervatas, copioſe atque erudite ex hypotheſi ſua deducit. Mirum videri poterat perfunctorie tantum hypotheſin ejus reſpicientibus, cur aurora borealis nunquam fere non in ſeptentrionali cœli parte fulgeat, cum omnino pauciſſima in contrarium exempla occurrant? Altius rem repetit, &, poſtquam eleganter calculo locum definivit, quo atmoſphæra ſolis in atmoſphæram terreſtrem ex univerſalis gravitatis legibus cadere poteſt, qua virtute materia hæc verſus polos excutiatur, docte explicat. Nobis ſingula repetere non vacat; quapropter ſatis habemus indicaſſe, ipſum ſingulis Capitibus copioſe explicare, quæ diverſi Autores de obſervatis phænomeni hujus circumſtantiis literarum monumentis conſignata reliquere. *Quarta Sectio* hiſtorica fere eſt, qua luculenter & induſtrie ſecundum temporum ordinem obſervationes auroræ borealis recenſet, atque ſingulari tabula, quotquot earum ſingulis menſibus ab A. 500 ad noſtra uſque tempora vel ab Hiſtoricis narrantur, vel a Philoſophis obſervatæ fuerunt, comprehenſas obtutui Lectoris exponit. Aſtronomis non poſſunt non pergrata eſſe, quæ hac *Sectione* de æquatore Solis ad mentem magni *Caſſinii* ex Opere ejus MSto, quod *Compendium Aſtronomicum* inſcribitur, excerpta

 inſper-

Digitized by Google

inſpergit, ſuaque erudita commentatione ita illuſtrat, ut peritia Viri in omni re Aſtronomica ſatis hinc perſpiciatur. Occaſionem hæc ſuppeditant diſquiſitioni eruditæ de nodis, polis, limitibus & declinatione atmoſphæræ, ſive æquatore ſolis, quæ fundamentum olim præbere poteſt vadum tentare auſuris, an calculorum atque tabularum ope phænomenon hoc tuto prædici poſſit. *Ultima* denique *Sectione* modeſto quæſtionum titulo exponit ea, quibus omnis ſcientia naturalis ex novo hoc de atmoſphæra ſolaris invento, locupletari atque illuſtrari poteſt. Dignum ſane eſt eruditum Opus, quod aliis typis exſcribatur, ut rerum naturalium ſtudioſis familiarius eſſe poſſit, cum paucis inter nos librorum ejusmodi ſplendide in Typopraphia Regia excuſorum copia fiat, quod futurum mox eſſe, concepto voto auguramur.

EXERCITATIO GEOMETRICA DE DEſcriptione Linearum curvarum; Autore GUILIELMO BRAIKENRIDGE, Eccleſiæ Anglicanæ Presbytero.

Londini, apud Ric. Hett & Jo. Nourſe, 1733, 4 chart. aug. Plag. 10.

Curvarum deſcribendarum in plano methodum generalem primus monſtravit Geometra ſummus, *Newtonus*, ope motus angulorum circa duo puncta moventium. Eam deinde magis excoluit Geometra clariſſimus, *Colinus Maclaurin*, quemadmodum retulimus in *Actis A.1722 p.323 & ſeq.* Cl. *Braikenridge*, generalem curvarum deſcriptionem meditatus, in aliam incidit methodum, a *Newtoniana* diverſam, eademque ſimpliciorem. Palmarias propoſitiones, ſcilicet 1. 4. 5. 21. 22. 23. invenit A.1726, cum Edinburgi degeret: cujus rei teſtem allegat *Georgium Martin*, M. D. ad Fanum Andreæ. A.1727 per tres menſes Londini commoratus, eas impertivit Geometræ Cel. *Jo. Craig*, qui eum hortatus eſt, ut easdem publici juris faceret. Poſt paucos dies, cum ad Cl. *Maclaurin*, tum Londini commorantem,

Digitized by Google

tem, accederet, ex eodem didicit, *Craigium* ipſi de theorematis ſuis locutum eſſe. Affirmabat Geometra, ſe quædam ſimilia inveniſſe, & MStum oſtendit, quo ea contineri ajebat: aſt non permittebat, ut Noſter in illud vel leviter inſpiceret. Ipſe denique in Scotiam rediturus chartam, in qua deſcriptæ erant propoſitiones, *Georgio Gordon* dedit cum Cl. *Desagulierio* communicandam, ut ejus opera cenſuræ Regiæ Societatis ſubmitterentur, quod tamen minime factum reſcivit poſtea, *Gordonio* fortunam adverſam accuſante, qua charta intercidit. Prima propoſitio omnium præcipua eſt, quæ cum ſuis corollariis & pendentibus inde problematis *Sectioni primæ* materiam uberrimam præbet. Quamvis enim tantummodo de deſcriptione curvarum primi generis, ſeu Sectionum Conicarum, agat, cetera tamen veluti ſponte ſua inde fluunt, ut, ea cognita, haud difficilia inventu ſint cetera: unde in Corollariis prolixe explicantur, quæ ſequentibus lucem affundunt. Propoſitio ipſa ita ſe habet. Circa tria puncta data *A*, *B*, *C*, in plano quovis, tanquam polo, moveantur tres rectæ *ASN*, *BSO* & *CON*, quæ ſeſe interſecent in punctis *S*, *N*, *O*, & ducantur duo interſectionum puncta *S* & *N* per rectas *DSK*, *RKN*, poſitione datas, reliquum *O* ſectionem conicam deſcribit. Quodſi jam punctum *S* ducatur per lineam *DSK* ordinis inferioris *n*, alterum *N* per rectam poſitione datam *KN*, punctum *O* deſcribet lineam ordinis $2n$. Quodſi punctum *S* ducatur per lineam ordinis *n* & punctum *N* per lineam ordinis *m*; linea, quæ puncto *O* deſcribitur, eſt ordinis $2nm$. Si *N* ducatur per rectam, *S* per lineam ordinis *n* per polum *A* tranſeuntem; punctum *O* deſcribit lineam ordinis $2n-1$. Quodſi linea ordinis *n* per polum *B* tranſit, vel ubi punctum *N* in curva, *S* vero in recta incedit, per polum *C*; punctum *O* itidem deſcribet lineam ordinis $2n-1$. Quodſi puncta *S* & *N* per lineas ordinis *n* & *m*, quarum illa, quæ eſt ordinis *n*, per polum *A* tranſit, incedunt; punctum *O* deſcribit lineam ordinis $2nm-m$. Atque hæc theoremata, quorum plura adhuc alia apud Autorem occurrunt, & *Sectioni ſecundæ*, de deſcriptione linearum cujuscunque ordinis ope linearum ordinis inferioris, materiam

TAB. I Fig. 3.

Digitized by Google

ſuppeditant, ſpeciminis loco adduxiſſe ſufficiat. *Sectione tertia* docet Autor Sectiones Conicas ope plurium rectarum circa polos moventium deſcribere. Ceterum in concinnandis demonſtrationibus calculo utitur Algebraico, quo theoremata invenit, & theoremata *Hoſpitalii*, aut, ſi mavis, *Craigii*, de locis Geometricis ſupponit. Præterea tanquam poſtulatum aſſumit, exemplo aliorum, duas lineas cujuscunque ordinis in tot punctis ſeſe interſecare poſſe, quot ſunt unitates in rectangulo ſub earum indicibus. Monet, *Georgium Compbel*, Geometram eximium, quemadmodum inventa alia egregia, ita quoque demonſtrationem ejus præclaram, ob ſummam, quæ ipſi eſt, modeſtiam, premere. Et quia Noſter parum probat illorum morem, qui ſcripta Mathematica adeo involuta & conciſa conficiunt, ut ab eorum lectione deterreantur multi, quibus nec otium, nec patientia eſt, nodos & involucra explicandi; ideo longe rectius rem totam fuſe & laxe tractare maluit, ut tyronum quoque conatus juvaret.

DANIELIS WHITBY OBSERVATIONES Philologico-Criticæ, in quibus variæ Lectiones JOANNIS MILLII in Novum Teſtamentum examinantur.

Lugduni Batavorum, 1733, 8 maj.

Alph. 1 pl. 8.

In Præfatione, quam Cel. *Havercamp* præmiſit, *Joannem Millium*, docemur, labore incredibili atque indefeſſa induſtria per longam annorum ſeriem Lectiones variantes collegiſſe, eoque ſcopo Novi Teſtamenti Libros ad innumeros MStos Codices, exemplaria edita, citationes Patrum, & verſiones peregrinas, contuliſſe, ita tamen laborem hunc eſſe comparatum, ut varia monuerint eruditi. Præter enim ea, quæ Cl. *Ludolphus Kuſterus* in Præfatione, editioni Novi Teſtamenti *Milliana* præmiſſa, virgula cenſoria digna crediderit eſſe, longe plura addidiſſe, *Danielem Whitby* in libello, qui jam ſub manibus noſtris

ſtris eſt. Rejecerat eundem ad calcem *Anglicorum in Novum Teſtamentum Commentariorum* Londini A. 1710 paucis eruditorum ſatis perſpectum. Separatim itaque jam ille prodit, non ſine magno Philologiæ ſtudioſorum uſu. Vult docere *Whitby*: I) Lectionum harum fundamenta incerta plane eſſe, & ad lectionem textus hodierni convellendam prorſus inidonea; II) Lectiones variantes, quæ ſint momenti alicujus, aut ſenſum textus mutent, pauciſſimas eſſe, atque in iis omnibus lectionem textus defendi poſſe; III) Lectiones variantes levioris momenti tales eſſe, in quibus a lectione recepta rariſſime recedendum ſit; IV) *Millium* in hiſce variantibus Lectionibus colligendis ſæpius arte non ingenua uſum eſſe, falſis citationibus abundare, & ſibimet ipſi multoties contradicere.

Quam præmiſit *Whitby*, Præfatio Operis totius momentum exponit. Cum Proteſtantes, Scripturam Sacram regulam eſſe perfectam, exiſtiment, ſatisque perſpicuam, ex qua omnes fidei articuli creditu neceſſarii, omnesque morum regulæ, ad ſalutem obtinendam requiſitæ, dignoſcantur, dolere ſe dicit & moleſte ferre, tam multa in *Millii* Prolegomenis reperiri, quæ hujus fidei normam vel plane labefactare videantur, vel ſaltem anſam aliis præbeant, de ea dubitandi; aut demum Pontificiorum aliorumque contra hanc regulam ratiunculis robur adjiciant & firmamentum. Ut de totius inſtituti ratione rectius judicent Lectores, quæ ſingulis Libris, horumque Capitibus, probare velit, qua poteſt fieri brevitate, recenſebimus.

Libri primi Capite primo, ex Patrum ſcriptis non poſſe certo colligi, putat, eos aliter, quam hodiernus textus habet, legiſſe: quod ii ſæpius S. Scripturæ τμήματα non ex textu inſpecto, ſed ex memoria, aliquoties ſummatim, & quoad ſenſum tantum, verborum nulla ratione habita, recitent; quod multa textui ſæpe adjiciant; verba multa, immo periodos, non raro omittant; quod Patres iidem, qui interdum aliter citant, cum editis in aliis locis conveniant; quod multas Scripturarum περικοπὰς frequenter congerant, quæ in diverſis locis quoad ſenſum occurrunt, nec ῥητῶς alicubi inveniuntur: quæ ſingula multis exemplis confirmavit.

Capite.

Capite ſecundo lectionem variantem negat certo poſſe colligi ex Codice Latino, aut verſione Latina Græci Scriptoris, aut demum e loco a Latinis Patribus citato; quod, quomodocunque ſe habeat textus archetypus, mos ſit interpetum, ut ad vulgati verſionem verba accommodent; quod parum idonei in hac re ſint arbitri Patres Latini, nec feliciter de Græcis criticen exerceant; quod ex *Millii* ipſius de Patribus Latinis ſententia idem colligatur.

Capite tertio, nec ex Codicibus MStis Eccleſiæ Occidentalis textum hodiernum corrigi poſſe, quod ipſi abundarent erroribus; *Capite quarto*, Verſionum fere omnium in una lectione conſenſum non eſſe, vel *Millio* judice, lectionis genuinæ certum indicium, putat; cum dentur ſexcenta loca, quæ verſionibus omnibus repugnent. Dein de verſionibus nonnullis, Coptica, Æthiopica, aliisque, in primis verſione veteri vulgata, ſive Italica, latius agit, eandemque laudibus iis, quibus a *Millio* mactetur, indignam eſſe ait, eamque quæſtionem *Capite quinto* pluribus perſequitur.

Libri ſecundi Capite primo refert vindicationem locorum quorundam inſigniorum, in quibus lectiones variantes majoris momenti eſſe videantur; *Capite ſecundo* examen variantium lectionum in Evangelia *Matthæi*, *Marci*, *Lucæ*, *Joannis*, & in *Acta Apoſtolorum*; *Capite tertio* examen variantium lectionum in Epiſtolas *Pauli*, ut & catholicas, inſtituit, ſibique perquam moleſtam fuiſſe ſignificat frequentem illam Patrum Latinorum allegationem, & verſionum quorundam Græcorum Patrum in Latinam linguam: quæ ex mente *Whitby* parum ponderis & autoritatis habeant.

Libro tertio ſpecimen exhibet variantium lectionum parvi momenti, puta, additionem aut ſubtractionem articuli, permutationem nominis unius pro altero ejusdem ſignificationis, &c.

Ejusdem *Libri Sect. XII* objectionibus eorum occurrit, qui textus Græci αὐθεντίαν ex variantibus lectionibus impugnant, *Morinum*que reprehendit, qui *Exercitationum Biblicarum Parte ſecunda* omnibus ingenii viribus quærat, ut, labefactata Novi Fœderis textus originalis autoritate, ſola verſio vulgata, utpote

pote ad Codices Græcos, hodiernis noſtris meliores, compoſita, vera habeatur & avthentica; cui *Millius* accurate in Prolegomenis reſpondeat.

Appendicis tandem alicujus loco ſpecimen annectit quorundam locorum, in quibus *Millius* ſententiam ſuam mutet, ſibique ipſe contradicat; ut & ſpecimen Italicæ verſionis, qualis ante *Hierónymi* caſtigationem exſtabat, ex lectionibus ſpuriis, deficientibus, aut redundantibus, quæ in *Hilarii*, Diaconi, Commentariis in Epiſtolas D. *Pauli* adhuc reperiuntur. *Millii* itaque conatus, de verſione Italica ad textum originalem Græcum reducenda, fruſtraneos plane fuiſſe. Adjicitur denique Index locorum Novi Teſtamenti, quæ in hoc Libro allegata reperiuntur; ut & alter contentorum atque rerum.

F. G. WESTHOVII, ELOQU. PROFESS. Diatribe in Hiſtoriam Paſſionis D. N. Etymologico-Philologico-Critica; cum quatuor Indicibus.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arn. Langerak, 1733, 4.
Alph. 2 pl. 16.

In Præfatione utilem judicat Cl. Autor Græcarum vocum *etymologiam*, quod ita ex naturali & propria verborum ſignificatione de aliis impropriis & translatis decernere liceat; licet difficultatem, quæ ea in re verſetur, non diffiteatur, quam, cum Virorum Celeberrimorum veſtigiis inſiſtat, ſuperari poſſe credit; quo conſilio aliorum laudabilia inventa vel explicuerit, vel explicata ſuis etiam cogitatis exornaverit, vel denique, ſi quid rectius iſtis expiſcari potuerit, æquo Lectorum judicio id ſubjicere non veritus fuerit. A vocum etymologia pergit ad *Philologiam*: qua voce veterum Scriptorum, qui diu ante Apoſtolorum tempora vixerunt, ſuffragia indicat; e quibus liquido appareat, veterem Græcorum linguam in plerisque non modo phraſibus, ſed & ſingulorum fere verborum vi atque poteſtate, eandem eſſe, qua uſi ſint Novi Teſtamenti Scriptores, adeoque ſtyli Novi Teſtamenti caſtitatem fruſtra ſolicitari vocarive in dubium, illuſtrari potius inſigniter, collatione phraſium cum

Digitized by Google

antiquiſſimis diſertiſſimisque Græcorum inſtituta; uti & *Jacobus Wellerus* ſuas in Epiſtolam ad Romanos Exercitationes ex *Homero, Ariſtophane, Euripide, Heſiode, Sophocle, Herodoto, Thucydide, Xenophonte, Ariſtotele*, multisque id genus aliis, probe illuſtraverit. Tandem ad *Criticam* progreditur Vir Clariſſimus; cum in ſolvendis dubiis quibusdam vexatis, contradictionibus, in harmonia hiſtorica apparentibus, diluendis, firmioribus rerum cauſis adducendis, & inveteratis huc uſque opinionibus, ſi res poſtularet, tollendis, laboraverit. Ut Lector eo rectius de Cl. Autoris inſtituto judicare poſſit, paucula ſpecimina exſcribenda exiſtimavimus. Sic de voce ἀλέκτωρ *ad Luc. XXII, 34*, hæc profert: *ἀλέκτωρ, gallus, ex α privativo & λέκτρον, lectus: homines enim ſopitos e lecto ſua cantilena excitat, ut inquit* Harmarus *noſter. At incomparabilis Vir*, Lævinus Torrentius *ad* Hor. Serm. I v. 10 *eam ſententiam confirmat, nomenque deducit ab ἐγείρειν ἡμᾶς ἐκ τοῦ λέκτρου. Gallos enim tanquam nocturnos quosdam vigiles, ut pulcherrime inquit* Plinius *Hiſt. Lib. X, 21, excitandis in opera mortalibus, rumpendoque ſomno, natura genuit: & ne incautis ſol obrepat, diem cantu annuntiant. Unde & ſolis cognomen ἠλέκτωρ & Æolice ἀλέκτωρ; vide Etym. magnum. Nam & magi alitem hunc ſoli cognatum faciunt, cujus ille ſideris curſum inflectionemque intelligit, & cantu annuntiat: ob quod officium, tanquam vigilantiæ & diligentiæ ſymbolum, veteres Theologi illum Mercurio etiam conſecrarunt, ut ex veteri gemma, quam poſſedit mox laudatus* Torrentius, *conſpicitur*. Vide reliqua.

Luc. XXIII, 47, de Chriſto Centurio: ὄντως ὁ ἄνθρωπος οὗτος δίκαιος ἦν, hic homo vere juſtus erat. Ad hæc Commentator noſter:

Δίκαιος, juſtus, *cujus abſtractum eſt* juſtitia, *quæ ex ſententia* Ariſtotelis *juſtitiam in ſe omnem complectitur, idemque δίκαιον, jus, derivat ἀπὸ τοῦ δίχα, quaſi δίχαιον, quod in duas æquales partes rem diſcriminat, &c. Enimvero non hic ita laborandum de Græca voce, quam de Latina, cum Centurio Latine fuerit locutus, ut exiſtimo. Juſtus igitur, cujus obſcuram originem parum moror, talis eſt ex ſententia Clariſſimi* Baſilii Fabri, cui nec deeſt quidquam, nec excedit, &c.

ANEC-

Digitized by Google

ANECDOTORUM, S. R. I. HISTORIAM AC Jus Publicum illuſtrantium, Collectio; edita ab ADAMO FRIDERICO GLAFEY, JCto, S. R. M. Poloniarum & Electoris Saxoniæ a Conſiliis Aulæ ac Juſtitiæ, nec non ab Archivis ſecretioribus.

Dreſdæ & Lipſiæ, apud Frider. Heckel, 1734, 8.
Alph. 1 pl. 18½.

Imitatur Ill. Autor *Leibnitii*, *Ludewigii*, *Struvii*, *Gudenii*, *Habnii*, aliorumque, exemplum, qui tabulas publicas, rerumque geſtarum monumenta, varia in omni genere, nulloque inter ſe materiarum nexu cohærentia, in unum congeſta ediderunt, & præſtantiſſima illa cimelia ab oblivione atque interitu ſapienter vindicarunt. Etenim ſingulari utilitate ſeſe commendant ejusmodi Collectiones, cum raros, & vel nulli, vel paucis viſos Autores in lucem proferant, neque illo, quo ceteræ, incommodo laborent, ut librorum amatores unum Scriptorem ſæpe quinquies vel pluries emere cogantur. Quæ cum animo ſecum perpenderet Ill. Autor, & in Regum Principumque ſcriniis multas tabulas, nondum typis impreſſas, cerneret, illarumque copiam nanciſceretur, noluit eas, pro inſigni ſua bonas literas juvandi voluntate, invidere literatis hominibus, ſed illas cum iisdem in poſterum liberaliſſime communicabit. Hunc ergo tenebit ordinem, ut rariora Anecdota Collectioni ſuæ inſerat, & nonnunquam lucubrationes quasdam, ab ipſo in cauſis illuſtribus elaboratas, immiſceat. Singulis ſex Tomis Indicem locupletiſſimum ſubjiciet, qui quævis notatu digna juſto ordine continebit, & Commentarii inſtar in hanc Collectionem eſſe poterit. In hac *priore Parte* comparet: *Regiſtrum Regiſtrandorum* Caroli IV, *darinne Kayſerliche Privilegia, Leben-Briefe, und andere viele Handel, Lateiniſch und Deutſch regiſtriret ſeyn. A. 1360, 1361. Datum Pragæ &c.* ex quo, uti etiam ipſo argumento, apparet, Codi-

Digitized by Google

cem hunc, quem chartaceum fuiſſe monet Ill. Autor, locum Libri *Copialis* ſub *Caroli IV* auſpiciis ad perpetuam rei memoriam conſcripti obtinuiſſe, in quem Scribæ Sacri Palatii omnes ab hoc Imperatore in rebus Imp. Rom. emiſſas literas in gratiam poſteritatis retulerunt. Avtographum eſſe, teſtari ipſum literarum ductum, *Caroli IV* ævo accurate reſpondentem, urbem Pragenſem eidem inſcriptam, relationes itidem fide digniſſimas, quæ, Codicem hunc tempore belli cum Huſſitis geſti ex Bohemia in Germaniam delatum eſſe, diſerte affirmant. Dolendum vero eſſe, cenſet, quod ille Codex documenta, quæ intra duorum annorum ſpatium promulgavit Imperator, ſaltem in ſe contineat, cum tamen *Carolus IV* per ſex, & quod excurrit, luſtra Imperio Romano præfuerit. Præſtare interim Codicem ſuum fragmento illo, quod B. *Menckenius* noſter in *Tomo III Scriptorum Rerum German.* ex Bibliotheca Paulina publici juris fecit, decernit. Multa in hoc Codice inveniuntur, quæ lucem accendunt rebus in Imperio geſtis, & temporum iſtorum moribus. Sic Ill. Autor obſervat, jus Imperii in
magnum Ducatum Etruriæ, aliasque Italiæ Provincias, ex Ta-
Pag. 11-24, bulis VIII, I[illegible], X, XI, CCLVIII, CCCCLIX, DXI, mirifi-
373. ce confirmari. Marchiones Badenſes *Caroli IV* ætate nondum
572-576, locum inter Principes Imperii obtinuiſſe, Diplomata V, VI
630-634. & VII produnt, ſimulque rationes, quibus Badenſes moti cum
Ducibus Wurtembergenſibus, Holſaticis, & Pomeranis, de ho-
92-94, noratiori in Comitiis loco alternis vicibus occupando, transa-
177-180, ctionem inierant, exponunt. Tabulæ itidem LV, CVI,
227, 228. CXXXVIII, CLXXIX, CCXXXIX, CCCXIX, doctrinam de
273, 274, Miniſterialibus clariſſime illuſtrant. Dabimus & nos ex-
351, 439, tantiora quædam ſpecimina, quæ nobis, evolventibus hunc
441. Librum, ſeſe obtulerunt. Ex Diplomate VII & XX diſcimus,
10, 43. *Caroli IV* adhuc ævo valde reſtrictam fuiſſe de bonis ſuis pro
lubitu diſponendi poteſtatem, & liberam bonorum alienandorum
facultatem ab Imperatore beneficii loco fuiſſe impetrandam.
24, 30, Tabulæ XII, XV, XCVI, CCCCLIX, Comitivam S. Palatii
157, 572. interdum ad hæredes tranſiiſſe, confirmant. In Diplomate
135. LXXXVI Imperator *Czezemam de Dobruſcha*, qui, cum *Jo. de*
Poten-

Potenſtein litigans, in duello ſuccubuerat, nobilitati ac famæ
priſtinæ reſtituit, & omnia nobilitatis jura liberis & deſcenden-
tibus poſtliminio quaſi iterum tribuit. Idem in Diplomate Pag. 230.
CXL infamiam, qua civis per perjurium ſeſe commaculave-
rat, penitus abolet atque tollit. Villam in urbem commu-
tare, eandemque munire, non aliter potuiſſe Imperii Princi-
pes, niſi illorum precibus annuiſſet Imperator, Diplomata 273, 278.
CLXXIX & CLXXXIV ſatis luculenter teſtantur. Bohe-
miæ Regem ſucceſſiſſe illis, qui parentibus orbi, in pupillari
ætate decederent, ex Diplomate CCXIV & CCXXII cognoſci- 314, 325.
mus. Diploma CCCCXIX & CCCCXXI Auguſtanis, Diplo- 531, 534.
ma CCCLXXXVIII Ratiſbonenſibus, & Diploma CCCCXXXI 505, 542.
Mergentheimenſibus, præcipuum hoc Privilegium, ut coram
illorum judiciis conveniri debeant, neque illi, niſi in caſu læſæ
& denegatæ juſtitiæ, ad Cæſarea vel Imperii judicia evocare
queant, tribuit. Quæ omnia, quem uſum ſibi ex hac Collectio-
ne promittere queant Viri docti, &, quam munifice verſetur
Ill. Autor in aditu ad abditiſſima ſcrinia illis recludendo, ſatis
manifeſte declarant.

BIBLIOTHECA APROSIANA, LIBER RARIſſIMUS, & a nonnullis inter ἀνεκδότους *numeratus, jam ex lingua Italica in Latinam converſus. Præmiſit Præfationem, Notasque nonnullas addidit JO. CHRISTOPH. WOLFIUS, Paſtor ad D. Cathar & Scholarcha.*

Hamburgi, literis Abrahami van Hendœck, 1734, 8.

Plag. 17.

Egregie conſuluit Reipublicæ Literariæ rationibus Cel. *Wolfius*, quod Bibliothecam hancce *Aproſianam* Romano veſtitu indutam publici juris fecit, & Notis doctiſſimis, atque Præfatione elegantiſſima, auctioremque utilioremque reddidit. Inter rariſſima cimelia non ſolum in Italia, verum etiam in exteris oris, habetur hic Liber, id quod *Vogtius*, *Menckenius*,

& perſonatus ille *Theophilus Sincerus*, abunde confirmant. Quid? quod *Morhofius* & *Almeloveenius*, eum unquam editum fuiſſe, negarunt. Alii, *Kœnigius*, *Placcius*, *Bælius*, literatos homines illius deſiderio vehementer duci, teſtati ſunt. Ipſe denique Liber ita comparatus eſt, ut magnam rei literariæ utilitatem præſtare queat. In inſcriptione Italica ſub adſcititio *Cornelii Aſpaſii Antivigmilii* nomine latere voluit verus Libri plaſtes, *Angelicus Aproſius*, quod eapropter ab ipſo factum arbitratur Cel. Editor, ut laudes ſuas, quarum ſtudioſiſſimus eſt *Aproſius*, eo liberius ebuccinare poſſet, cum tamen, fratrem *Angelicum*, cujus frequens in hoc Volumine mentio fieri ſolet, & *Antivigmilium* unum eundem eſſe, vel ex uno Libri loco facile cognoſcamus.
Pag. 136. *Sic* enim, *neminem*, ait, *Aproſium ſe noſſe rectius, qui cum eo edat, bibat, dormiat*. In *duas* abit *Partes* Liber. *Prior* Introductionis vicem præſtat, & *Aproſii* vitam, itinera, ſcripta, Adverſarios, Amicorum res, & Bibliothecæ *Aproſianæ* fata, fuſe commemorat, ſed tot digreſſionibus ſcatet, ut ingens inde Lectori tædium moveatur. Hanc itaque Libri Partem prorſus omittendam eſſe cenſuit Cel. Editor, & *poſteriorem* ſaltem Latina civitate donatam in publicos uſus produxit. Miram & inſolitam prorſus rationem in hac Bibliotheca obſervavit *Aproſius*, aliorum in ſe & Bibliothecam ſuam munificentiam effuſiſſimis concelebravit Elogiis, nomina eorum, qui ipſi plures Libros, vel unum etiam, donaverant, ſecundum literarum ſeriem, una cum vitæ genere, rebus geſtis & muneribus, ſolicite recitavit, & Librorum, quos illi dederant, titulos ſubjecit. Neque hic veterem morem deſeruit, ſed plures a ſcopo ejus alienas, quamvis non ineruditas, digreſſiones inſeruit. In his convertendis ſic verſatus eſt Cel. *Wolfius*, ut quædam ad inſtitutum non pertinentia reſecaret, parentheſes longiores in dicendi magis perſpicuam formam redigeret, titulos Librorum Italicos, vel Hiſpanicos, Latinos faceret, eaque tantum afferret, quæ ad perſpiciendam Libri conditionem ſufficerent. In Notis ea, quæ alii Viri docti, ab *Aproſio* commemorati, fuſius in Libris ſuis præceperunt, annotavit, ut, quid vel dubie, vel minus recte, tradidiſſet Autor, appare-

pareret. Dolendum interea eſſe, exiſtimat Editor, quod non ultra literam C pervenerit Autor, & alter Bibliothecæ Tomus, quem integrum elaboratum in *Dominici Antonii Gandolfi*, Auguſtiniani, Bibliotheca aſſervari probat, immeritis & indignis tenebris ſepultus jaceat. Natus vero eſt lepidum caput, cui Bibliothecam hancce debemus, Intemelii, (*Vintimiglia*) antiquiſſima Liguriæ urbe, juxta Genuam, A. 1607 Cal. 3 Novembr. patre *Marco*, & matre *Petronilla*. Quindecim annos egreſſus, A. 1623 d. 19 Mart. invitis reluctantibusque parentibus, Ordini Eremitarum S. *Auguſtini* nomen dedit, & *Angelici* cognomen ſortitus eſt. Hinc in Monaſterio *S. Mariæ a Conſolatione* binos annos tranſegit. Inde Senas petiit, & in Monaſterio *S. Auguſtini* ſex annos cum Viris eruditiſſimis familiariter vixit. Poſt Montem *S. Savini* commigravit, ibique Philoſophiam per biennium docuit. Genuam reverſus, triennium integrum & emendis & ſcribendis Libris conſecravit. Offerebatur ipſi A. 1637 Prioris in Conventu *S. Nicolai Claravallenſis* officium, ſed generoſo animo ſprevit hanc dignitatem *Aproſius*, atque in viam ſeſe dedit, & Venetias tranſlatus, ibi cunctis intelligentibus Viris adeo ſe probavit, ut A. 1639 ad literas humaniores in Conventu *S. Stephani* docendas publico ſtipendio evocaretur. Paruit huic vocationi *Aproſius*, Venetias fortunarum ſuarum ſedem elegit, & cum Viris literatiſſimis, ſigillatim advenis, *Jo. Frid. Gronovio* præcipue, arctiſſimam amicitiam contraxit. Sed preces & promiſſa *Spinolæ* permoverunt Noſtrum, ut, relicta Venetorum urbe, ſalutatis in itinere variis per Italiam locis, Genuam rediret, & munus Vicarii Generalis Congregationis *Auguſtini* Genuenſis *S. Mariæ a Conſolatione* in ſe ſuſciperet. In hoc conſtitutus munere, effecit, ut Bibliotheca ſua, multis ſumtibus & profuſa patronorum liberalitate congeſta, Monaſterio *S. Mariæ a Conſolatione* dedicaretur. Quando diem obierit ſupremum, res parum explorata eſt, nihilominus eum uſque ad A. 1680 in mortalium numero cœtuque fuiſſe, clariſſime evincit Cel. *Wolfius*. Age, veniamus in rem præſentem, & unum alterumque ſpecimen ex Libro noſtro proferamus. De *Paganino Gaudentio*, quem Criticum primi ordinis, & vario doctrinæ genere inſtructum, vocat, Pag. 7.

vocat, obſervat, eum aliquando in diſputatione de cambiis cum Genuenſi quodam, præſente Magno Duce, *Ferdinando II*, inſtituta, cauſa cecidiſſe, non deſiviſſe tamen eſſe *Paganinum*
Pag. 8. *Gaudentium*, h. e. Virum literatiſſimum. *Marcum Aurelium Galvanum*, præſtantiſſimum ætatis ſuæ JCtum, annuo 1150 florenorum ſtipendio Patavii leges docuiſſe, ſcribit. Præcocis
47. doctrinæ exemplum præbet *Aloyſius Magnus*, qui vix alterum luſtrum confecerat, cum Doctoris in Philoſophia & Medicina titulo decoratus, A. 1661 in utrumque Collegium reciperetur.
94. De *Antonio Godæo* ita pronuntiat: *Laborioſiſſimus ille fuit, nec ex illorum egit ingenio, qui, ubi vix per paucos annos Libros non multos, eosque forte non optime, evolverunt, vel abrepto, vel obtento pallio, a Libris non minus, quam canes a fuſte, abhorrent. Ita vero agunt Sacerdotes multi, qui, neſcientes, utrum vivi ſint, an mortui, nec Latinum, nec vernaculum evolvunt librum, eo conſilio, ut aliquid muneri ſuo ac-*
96. *commodatum diſcant.* Idem Præſul ſanctiſſimus, accepto nuncio de obitu amici Pariſienſis, ſibi olim conjunctiſſimi, confeſtim læto animo dixit: *Neceſſe eſt mori, neceſſe eſt abire. Oportet corruptibile hoc induere corruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Atque hæc ultima ejus fuerunt verba. Apoplexia enim correptus per 24 horas animam egit, &
215. exſpiravit. Quod *Scioppii* Promtuarium Linguæ Latinæ non lucem viderit, hanc cauſam fuiſſe allegat *Aproſius*: *Lucri ſtudium in cauſa erat, cur Bibliopolam nanciſci non poſſet. Quater enim, imo quinquies mille ſcutatos requirebat, & librum ipſum, recuſato avtographo, domi ſuæ deſcribi volebat.* Plura non addimus, ſed tibi, Lector, fructuoſiſſimi hujus libri lectionem etiam atque etiam commendamus.

PRINCIPES DE L'HISTOIRE, &c.

h. e.

PRIMA HISTORIARUM ELEMENTA, Autore ſcripta JUVENELIO; quæ continent I) brevem Chronologiæ Inſtitutionem; II) Compendioſum de Sphæra & Globo terreſtri Tractatum, quo Geographiæ funda-

menta

menta ponuntur; accedit huic Geographica & Hiſtorica Imperii Romani in Provincias diviſio; III) Vitas ſelectiſſimorum Hiſtoricorum contractiores, & de Scriptis eorum judicia; IV) Meditationes de uſu Hiſtoriæ, & optima eam tractandi ratione; V) Repræſentationem generalem præcipuorum, tam veteris, quam noſtri ævi, Imperiorum Europæ.

Pariſiis, apud Barthol. Alix, 1733, 12.

Plag. 11.

Hiſtorias cum fructu lecturis facem Scriptores multi, ſed diverſis illi ſtudiis, nec æquali omnes ſucceſſu, prætulerunt. Præcipuam in his laudem merentur inter Gallos *Vallemontius*, *Meneſtrerius*, & *Langletus*, Hiſtoricis ſuis Inſtitutionibus vulgatiſſimæ inter nos famæ Scriptores, quorum aſſidua lectio vix ſatis commendari juventuti poteſt. Secutus eſt horum veſtigia Cl. *Juvenelius*, ſed ita ſecutus eſt, ut ſit in ejus libello decus aliquod ſingulare, cujus minime illi fuiſſe ſtudioſi videntur. Nam, quæ juſſerant illi præter meritum exulare ſcriptis ſuis, eorum Noſter cummaxime rationem habuit; quæ leviter & velut in tranſcurſu attigerant, hæc diligentius copioſiusque perſecutus eſt; denique præter neceſſitatem ampliſſime ab illis tradita, in nervum contraxit, id ſibi agendum hic cumprimis ratus, ut, prætermiſſis inutilibus, quæcunque haberent uſum aliquem, in compendio proferret. Opus omne in *quinque Sectiones* abit; quarum *prima* exhibet Chronologiæ elementa. Agit hic Autor de anno ſolari Ægyptiorum, Hebræorum, & Romanorum; de emendatione Calendarii Romani; a *Julio Cæſare* olim, poſtea a *Gregorio XIII*, Pontif. Max. tentata; de ratione numerandi horas & dies, antiquis uſitata; de anno lunari Græcorum & Judæorum; de Periodo Juliana, & annis mundi, deque diverſis temporum computationibus, quas Æras dicere ſolemus. Accurate inprimis, quod perperam ab aliis neglectum, annos Conſulum ac Tribunorum deſignavit, quorum notitia vix carere poteſt nummos aut Inſcriptiones veteres interpretaturus. Sub

F finem

finem breviores nonnullæ in Hiſtoriam Ægyptiorum & Aſſyriorum, nec non in Chronologiam Græcorum, Obſervationes acceſſerunt. *Altera Sectio*, qua ad Geographiam via panditur, *Partes duas* habet; quarum altera de Globo terreſtri & Sphæra Diſſertationem ſiſtit, recte nos uti Chartis Geographicis docentem, altera deſcriptionem Geographicam & Hiſtoricam Imperii Romani, in Provincias Proconſulares & Proprætorianas diſtincti, continet, ita comparatam, ut hinc diſcere poſſis, quo tempore Provincia quæque unita ſit Imperio, quas poſtea viciſſitudines ſubierit, quæ in his Provinciis civitates præ ceteris eminuerint, & ſimilia multa, quorum memoriam nobis veteres conſervarunt. *Sectione tertia* Hiſtoricorum optimorum, non Græcorum tantum, aut Latinorum, ſed cujusque gentis aliorum etiam, vetuſtiſſimorum pariter ac recentiorum, delectum egit, horumque fata partim, partim ſcripta, & de his eruditorum judicia, nec non editiones librorum optimas, eleganter breviterque commemorat. Sed & de uſu Hiſtoriarum *Sectione quarta* utiliſſima præcepta tradit, &, quæ ſit optima Hiſtorias tractandi ratio, nos docet. Ubi autor eſt juventuti, ipſi Hiſtoriarum ſtudio notitiam Imperiorum præmittat, ut regionis cujusque compagem, formamque imperii, & univerſum ſtatum civilem, probe habeat cognitum. Nec fontes tantum, unde hæc notitia peti poſſit, indicat, ſed & ipſe, quod præcipuum hujus libelli caput eſt, *Sectione quinta* prima civilis hujus cognitionis elementa proponit, nec vetuſtiorum tantum populorum, Græcorum nempe, Romanorum, atque Gallorum, ſed ex recentioribus eorum etiam, quos vulgo in præcipuis numeramus, Francorum, Germanorum, Hiſpanorum, Italorum, Venetorum, Helvetiorum, Belgarum, & Anglorum, mores imperiique rationem exponit. Univerſo Operi id gratiæ accedit, quod, quæ ſingularia hic enarrantur, confirmata ſint Scriptorum probatiſſimorum teſtimoniis; hancque Autori laudem tribuimus, quod res per ſe jucundas elegantia ſermonis jucundiores effecerit, longe alioquin a nimia eruditionis affectatione alieniſſimus.

R. MO-

R. MOSIS MAIMONIDIS TRACTATUS *de Cibis vetitis in linguam Latinam verſus, Notisque illuſtratus, a* MARCO WOLDICKE.

Hafniæ & Lipſiæ, 1734, 8.
Plag. 20.

Pluribus aliis Interpretationibus *Maimonidis*, optimi veterum rituum Judaicorum Scriptoris, ſymbolam addere, & has in eum Exercitationes, ante duodecim jam annos loco Diſſertationum Academicarum edi cœptas, nunc uno libello junctas, typis iterum ſubjicere, ob argumenti præſtantiam, Cl. Autor voluit, cujus hæc ſunt Capita, prout *Maimonides* ea locavit; I) Signa pecudum, ferarum, avium, locuſtarum, & piſcium, continentur; II) Reatus ejus, qui comedit de immunda pecude, fera & ave, carne humana, & quocunque reptili; III) de Cibo ex vetito animali nato, lacte, melle, caſeo, ovis, muria, butyro; IV) de cadavere diſcerpto, conjunctione vetitorum, bove lapidato; V) de membro animalis vivi & fœtus nondum nati; VI) de ſanguine; VII) de adipe; VIII) de nervo reſoluto ſeu luxato; IX) de carne in lacte; X) de fructibus vetitis; XI) Conſtitutiones de vino libaminis idolorum; XII) de contactu ethnici, quo vetitum ſit vinum Judaicum; XIII) de vino Iſraelitico, quod ethnicus habuit in ſua poteſtate; XIV) de menſuris ciborum vetitorum, de pica & bulimia; XV) de re vetita cibo licito immixta; XVI) de iis, quæ rebus aliis immiſtæ vetitas eas reddunt; XVII) de ollis & vaſis gentilium. In Præfatione de cauſis legum divinarum, & ſpeciatim in rationes earum, ob quas cibis quibusdam ſingularibus populo Iſraelitico interdictum fuit, docte & pie diſquirit, ac *Spencerum*, audacem ſæpe & minus religioſum eorum indagatorem, ſimul refellit. In Notis vero adjectis, præter Obſervationes ſelectas, quibus textui lucem affundere ſtudet, multas etiam voces, in Lexicis vulgaribus non obvias, vel *non* eo, quo hic uſurpantur, ſenſu expoſitas, ita illuſtravit, ut

Digitized by Google

illis commode inſeri eaque ſupplere aliquando poſſint. Ex quibus nonnullas, cum ſingulæ ab antiquitatum Hebraicarum ſtudioſo legi mereantur, annotabimus. Sic *pag.* 4, 5, vocum מפרסת פרסה ſeu animalis diviſas ungulas habentis, vulgarem Chriſtianorum & Judæorum verſionem examinat. *Pag.* 19 voces ראה & דאה idem, h. e. milvum, ſignificare oſtendit. *Pag.* 19, 20, 21, de חרגול & סלעם ſeu locuſtarum ſpeciebus, diſſerit. *Pag.* 42 duplicem verberationem apud Judæos ob diverſas cauſas uſitatam, per fuſtem & lorum, deſcribit. *Pag.* 52 vocem טרית non piſcem recentem quemcunque, ſed certam quandam piſcis ſpeciem, thynni ſcilicet, contriti & ſale conditi, ſignificare probat. *Pag.* 97 de carnis ſemicrudæ eſu, de vocabulo נא eam notante, agit. *Pag.* 120, 121, גיד הנשה per nervum in femore *Jacobi* reſolutum explicat. *Pag.* 136 & 141 legem *Exod.* XXIII, 19, occurrentem, de hœdo vel agno in lacte non coquendo interpretatur. & gloſſæ Samaritanæ ei, adjectæ vocem, obſcuram שכח ex Lingua Arabica declarare nititur. *Pag.* 151 embamma, quod כותח *Cutach*, vel כמך *Camach*, dicitur, exponit. *Pag.* 156 vocabuli כרמל ſeu ſpicæ friabilis etymon probabilius *Raſchiano* docet. *Pag.* 175 vocis טבל, de proventu, cujus nondum perſoluta eſt ablatio magna, ſeu *Teruma*, uſurpatæ, originem monſtrat. *Pag.* 246 ſenſum vocis מעל in prævaricatione ſpeciali, ex re ſacra, quemlibet uſum profanum capiendi, conſiſtere notat. *Pag.* 259 in tria ſiliquarum nomina, nempe כליסים & חרובים & שעורים commentatur. Utinam plures eſſent, qui, Cl. Autoris exemplo, in Magiſtri hujus præcipui antiquitatum Judaicarum, *Maimonidis*, Voluminibus omnibus vertendis atque illuſtrandis operam ponere vellent, ut tandem plenius aliquod & integrum illarum Syſtema haberetur, ac verſiones aliorum jam editæ, quas S. Rev. *Wolfius* in Bibliotheca Hebraica recenſet, junctim ſic denuo lucem adſpicerent.

ELOGIUM ABBATIS LE GRAND.

Joachimus le Grand natus eſt d. 6 Febr. A. 1653 in urbe inferioris Normanniæ, quæ Fanum S. Laudi *(Saint Lo)* dicitur,

citur, & quoad diœceſin ad Conſtantia Caſtra (*Coûtances*) pertinet. Cadomi (*à Caen*), duce Cel. *Petro Caillio* (*Cailly*), Philoſophiæ operam dedit, ſocium ſtudiorum nactus *Petrum Franciſcum de la Tour*, quocum, poſtmodum præfecto Oratorii conſtituto, & haud ita pridem vita functo, quamdiu viveret, arctam coluit amicitiam. Huic Oratorii Congregationi nomen cum A. 1671 dediſſet, ſtudiis ab humanitate dictis & Theologiæ fideliter vacavit. Egreſſus tamen ex hac ſocietate poſt quinque annorum intervallum, ſuaſore Patre *le Cointe*, potiſſimum vero eam ob cauſam, Hiſtoriæ tractandæ ſe applicuit, quod mira quadam facilitate pollebat legendi interpretandique vetuſtiora MSta Regiæ Bibliothecæ, quæ tum Cel. *Thevenotio* ſervanda erant concredita. Hujus vero Patris *le Cointe*, A. 1681 emortui, & Abbatis *de Marolles* elogiorum ipſe autor erat; quæ Menſibus Februario & Aprili dicti anni, Diario Eruditorum Gallico (*le Journal des Sçavans*) inſerebantur. Educationi Marchionis *de Vins* & deinceps Ducis *d'Etrées* præpoſitus, illorum ſtudiis ita moderatus eſt, ut ſuo ſimul amori in Hiſtoriam & Criticen ſatisfaceret. A. 1685 cum Doctore *Burnetio*, poſtea Epiſcopo Saliſburienſi, qui tum Lutetiam Pariſiorum adierat, coram diſceptavit amice de hujus *Hiſtoria Reformationis Angliæ*, quod ipſi perſuaſit, ut hunc conſcriberet librum: *Hiſtoire du Divorce d'Henry VIII, Roy d'Angleterre, & de Catharine d'Arragon; la Defenſe de* Sanderus, *& la Refutation des deux prémiers Livres de l'Hiſtoire de la Reformation de M.* Burnet, *& les Preuves*, tribus Voluminibus, in 12, Pariſiis A. 1688 editis, conſtantem. Quam idem repoſuerat per modum Epiſtolæ brevem Libri reprehenſionem, Abbas typis denuo inprimi curavit, præmiſſo monito ſuo, ſuisque ſubnexis Annotationibus, auctam. Adverſarius Anglus per Librum, *Critique de l'Hiſtoire des Variations*, A. 1689 publici juris factum, occaſionem Abbati ſuppeditavit, tres ad eum conſcriptas Epiſtolas primam *ſur les Variations*, ſecundam *ſur la Reformation*, tertiam *ſur l'Hiſtoire du Divorce* edendi A.

 1691

1691 cum Præfatione, multa de Libro Cl. *Baſnagii: Hiſtoire des Egliſes Reformées*, monénte. Sequente anno Abbati *d'Eſtrées*, Legato Galliarum Regis in Luſitaniam profecto, a manibus & itineris comes fuit. Redux in Galliam factus A. 1697, Burgundiam & Delphinatum peragravit, animo ea colligendi, quæ ſcribendæ harum Provinciarum Hiſtoriæ conducerent. Imprimebatur A. 1701 *Hiſtoria Inſulæ Ceilani*, a militum navalium præfecto, *Joanne de Ribeyro*, compoſita, ſed in Gallicum converſa ſermonem, cujus translationis Autor Abbas *le Grand* fuerat, quamque ſuis additamentis locupletatam illuſtri Fœminæ, Comiti *d'Ericeyra*, dicaverat. Per tres annos ſequentes Legationis Gallicæ in Hiſpaniam miſſæ Secretarii munus obiit, & deinde Scriba Publicus Ducum & Parium Galliæ conſtitutus eſt, quod munus, inde ab A. 1675, poſt illo functi *le Laboureur* mortem, vacaverat. A Marchione *de Torcy* inde ab A. 1705 rebus, quæ Gallico cum aliis regnis intercedunt, curandis adhibitus fuit per decem annorum decurſum, intra quod tempus hæc fere ſcripta ab illo elaborata ſunt: *Memoires touchant la ſucceſſion à la Couronne d'Eſpagne* A. 1711. *Reflexions ſur la Lettre d'un Milord, ſur la neceſſité & la juſtice de l'entiére réſtitution de la Monarchie d'Eſpagne &c. Diſcours ſur ce, qui s'eſt paſsé dans l'Empire, au ſujet de la ſucceſſion d'Eſpagne. L'Allemagne ménacée d'être bientôt réduite en Monarchie abſolüe. Lettre de M. D. a M. le Docteur M. touchant le Rojâume de Bohéme.* Nondum vero typis vulgata ſunt: *Les Aſſemblées des Etats Generaux. Les Régences. L'habileté à ſucceder a la Couronne.* Quanquam A. 1720 curam conficiendi catalogi actorum in Archivis repoſitorum ſuſcepiſſet, tamen continuo illi labori & difficili identidem temporis quid ſubtraxit, impendendum Libro, qui manuſcriptus poſt Autoris mortem inſpicientibus omnibus probatur, *Hiſtoire & Vie de Louis XI, Roy de France, avec les Preuves*. Edidit contra A. 1728 *la Relation Hiſtorique d'Abiſſinie du R. P.* Jerome Lobo, *de la Compagnie de Jeſus, traduite du Portugais en Fran-*

Digitized by Google

François, Volumen in forma quarta, cujus ratio redditur in Diario: *Journal des Sçavans*, anni illius. Eodem tempore exire in publicum juſſit Volumen in duodecimo *de la Succeſſion à la Couronne de France pour les Agnats*. Scripſit idem elogium amiciſſimi Marchionis *de Vins*, quod in Mercurio Gallico A. 1732 Menſ. Mart. legitur. Succubuit Apoplexiæ iterum ingruenti Cal. Majis A. 1733. Pompam funebrem ſibi fieri vetuerat, cui juſſui obſecuti ſunt funeris curatores. Miram ejus in Jure Publico ſcientiam extollunt etiam poſt ejus fata, quotquot eum propius noviſſe, datum fuit.

NOVA LITERARIA.

Proſtare cœpit in *Weidemanniano* Bibliopolio nova Hiſtoriarum *T. Livii* editio, ad *Wetſtenianam* conformata, quam dedit *Jo. Clericus*: niſi quod in margine annotatum eſt, quoties a *Gronoviana* lectione ille diſceſſit. Supplementa ita nunc imprimuntur, ut paulo poſt vel cum ipſis *Livii* reliquiis emi, vel ſeparatim haberi poſſint. Præfationem præmiſit Collega noſter perinduſtrius & venerandus, *Jo. Matth. Geſnerus*, in Academia Gottingenſi Poeſeos & Eloqu. P. P. O. in qua de duplici genere lectionis Librorum ex antiquitate bonorum diſputat, altera, quam *ſtatariam* vocat, tarda, & per minutas particulas paulatim progrediente, *curſoria* altera, quam ita deſcribit, verbis enim ipſius utemur: *Quam nos curſoriam lectionem dicimus, ea talis eſt. Sumitur in manus Liber boni Autoris, non ante dimittendus ille, quam perlectus integer ſit. Legitur autem ita, ut diligenter quidem attendatur ad vocum tum ſimplicium ſignificatus, tum conjunctarum; ut non negligatur, ſi quid eleganter, ſi quid proprie, ſi quid concinne, ſi quid ſplendide dictum videatur; ut ipſæ figuræ quoque orationis demittantur ad animum, & familiari tractatione & cogitatione reddantur. Sed obiter tamen aguntur reliqua omnia, & ſi quid ſit in rebus obſcurum, certe inſolitum, ſi quid ex antiquitate altius*

repe-

repetendum, non inſiſtitur, neque cohibetur & quaſi ſufflaminatur legendi impetus, verum nota tantum quadam inſignitur locus difficilis, revocandus ſuo tempore, &, ſi tanti ſit, diligenter conſiderandus. Sæpe ne opus quidem illud eſt, cum ea, quæ ſequuntur, ſua ſponte lucem afferant his, quæ tenebris merſa paulo ante videbantur. Nimirum in hoc unum maximum intenditur in hac lectione animus, tota in hoc cogitatione defigitur, ut intelligamus teneamuſque deinde, quid ſibi efficiendum docendumque propoſuerit Autor Libri, quibus ad hanc rem argumentis uſus ſit, & quam feliciter, quomodo ea, quæ objici ſententiæ ſuæ vidit, rejecerit, quibus eam aliunde aſſumtis, h. e. exemplis, ſimilitudinibus, teſtimoniis, exornaverit, illuſtraveritque. Hæc in Libro, ubi docetur aliquid, & argumentis demonſtratur. In Hiſtoria autem, vel vera, vel conficta, ſtudioſe obſervatur, quis, quid, quo tempore, quo conſilio præſertim, egerit, quibus adjumentis & quaſi inſtrumentis ſit uſus, quæ impedimenta & quomodo removerit, quid effecerit denique, quemque facti ſui fructum tulerit? Quomodo ſuperiora his, quæ ſequuntur, cohæreant, & hæc ex illis quaſi orta ſint? Videaturne ea narrare Scriptor, quæ ſic fieri potuerint, & aliorum etiam fide nitantur; an dicat, quæ conciliari vel inter ſe, vel cum aliis rebus, de quibus certo nobis conſtat, non poſſint? In Poetis, præter hæc modo dicta, artis etiam veſtigia, & picturas rerum, ingeniorum, morumque & perturbationum deſcriptiones, perſequitur. Commemorata hujus lectionis utilitate, accommodatam illi hanc editionem *Livii* oſtendit, & in hæc verba deſinit: *Nos publicæ rei cauſa vota facimus, ut vel hac opportunitate invitati juvenes, adjutique a ſuis doctoribus & incitati, hoc agant, ut Hiſtoriæ Romanæ patrem, eundemque eloquentiæ & prudentiæ magiſtrum minime pœnitendum, familiarem ſibi reddant, eoque conciliante civitatem Romanam impetrent, quo facto progreſſiones illis in reliquo ſtudiorum cujuſque generis curſu longe feliciores haud vano augurio pollicemur, ſpondemuſque, hanc illis civitatem per alia ſcripta circumferentibus, animum non minus, quam Quiritibus olim ſuum nomen, remotas oras peragrantibus, profuturum.*

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXXXV.

THESAURUS MORELLIANUS, SIVE Familiarum Romanarum Numiſmata omnia, diligentiſſime undique conquiſita, ad ipſorum nummorum fidem accuratiſſime delineata, & juxta ordinem FULVII URSINI & CAROLI PATINI diſpoſita, a Cel. Antiquario, ANDREA MORELLIO. Accedunt Nummi miſcellanei, urbis Romæ, Hiſpanici, & Goltziani dubiæ fidei omnes. Nunc primum edidit, & Commentario perpetuo illuſtravit SIGEBERTUS HAVERCAMPUS.

Amſtelodami, apud Jo. Wetſtenium & Guil. Smith, 1734, fol. maj. Dedicatio & Præfatio conſtat plag. 9, Opus ipſum Tabulis æn. 184.

Quæ tot annorum intervallo intra pluteos privatos latuerunt *Morellianæ* in antiquis familiarum Romanarum nummis colligendis delineandisque induſtriæ documenta, tandem, quod omnes harum literarum ſtudioſi merito gaudebunt, perruptis clauſtris prodeunt in lucem, eoque habitu comparent, ut ſigna diuturnæ illius captivitatis nulla, ſed eundem nitorem, cultumque eundem, præ ſe ferant, ac ſi nunc ſuprema demum manus iis acceſſiſſet. Non ignorabat ſcilicet, qui ea ſervabat, quantum theſaurum complecterentur, cumque vulgandis iis,

 exſtin-

exſtincto optimo *Morellio*, neſcio quod fatum identidem obſtaret, tanto intentiori cura providit, ne quid iis accideret interea, quo pretium eorum ulla ex parte imminueretur. Ita, cum, poſſeſſore ſuo rebus humanis erepto, propitia fortuna delatæ ad manus *Wetſtenianas*, fœtuum tot literariorum obſtetrices, eſſent, parum quidem temporis, ſi captivitatis eorum priſtinæ ratio habeatur, interceſſit, cum e tenebris, quibuscum adhuc conflictandum iis fuit, emergunt, & facultate adhuc negata publicis ſeſe uſibus conſecrandi libere perfruuntur. Habent adeo antiquarii tot expetitum votis Opus Conſularium nummorum clariſſimi *Andreæ Morellii*, hoc eſt, Tabulas nummorum manu ejus, dexteritate has veteris ævi reliquias pingendi ſui ſimiles vix unquam habitura, ac proinde ſummo artificio curaque, delineatorum, quas vel ſine Commentario adjecto jam diu exoptabant, tanto nunc iis gratiores futuras, quod explicandis iis Cel. *Havercampus*, Vir cum de aliis ſacræ profanæque eruditionis partibus, tum de hac antiquaria merce, præclare meritus, otii ſui partem liberaliter conſecravit.

Is, pro ſummo illo nummorum veterum, quo pridem juvenis exarſit, amore ac ſtudio, aliud quidem orbi erudito parabat ferculum, omnia Græcorum regna vetuſta ſingulorumque Regum nummos cum editos, tum præcipue ineditos, eosque omnes ad veram metalli magnitudinem a peritiſſimo ætatis noſtræ pictore delineatos, neque minore artificum cura in æs inciſos, una cum Commentariis eruditis publicæ luci expoſiturus. Opus profecto dignum *Theſauri Regii* nomine, ducentas Tabellas æneas, ſumtu Autoris elegantiſſime pictas, & accuratiſſime ſculptas, quarum jam potior pars abſoluta eſt, ita, ut vix octava ſculpenda reſtet, complexurum. Quod ne diutius premeretur, cum omnem ſibi diligentiam vigiliasque Cel. *Havercampi* jure quodam ſuo poſtularet, celeberrimis tamen Bibliopolis, *Wetſtenio* & *Smithio*, rogantibus, ut *Morellianarum* delineationum cum dilucidationibus congruis edendarum curam mandari ſibi pateretur, promte annuit, ſepoſitoque tantisper ſuo illo Theſauro, *Morellianum* protulit, Commentariosque ei ſuos veluti flores ac libamina, ne decor ſuus in publicum prodeunti deeſſet, liberali manu adſperſit.

In

Digitized by Google

In Præfatione ex iis, qui vel univerſam rem nummariam, vel partes ejus nobiliores ſibi illuſtrandas ſumſerunt, potiſſimum *Jo. Foy-Vaillantium* & *Andream Morellium* laudat, &, ut in illo itinera varia & conquirendi veteres nummos, iisque regiam Gallorum gazam ditandi, ſolertiam, ita in hoc ſingulare artificium nummos delineandi, & rariora ex muſeis, inprimis Verſalienſi, colligendi, ſtudium, conſiliumque vulgandi laudatiſſimi Operis, quo univerſa nummorum antiquorum ſupellex congeſta proſtaret, celebrat. Ejus inſtituti ſui teſſeram erudito orbi obtulit *Morellius Specimen univerſæ rei nummariæ*, pollicitusque primo omnium nummos Imperatorios, mox animum appulit ad Conſulares hac ratione vulgandos, ut cum in Tabulis æneis, tum in textu, quo nummi deſcriberentur, *Patinianam Fulvii* editionem preſſo pede ſequeretur, ceterum huic obſervationes ſuas, illis novas nummorum adjungeret acceſſiones, totum vero Opus *Goltzianorum* nummorum farragine, *Ericii Pighii*que explicationibus illuſtranda, clauderet. Qua de re ut ex Epiſtola *Morellii* ad *Perizonium*, iterata vice typis expreſſa, ſatis conſtabat, ita, cum fatis ante, quam deſtinata perficeret, oppreſſus deceſſiſſet Vir optimus, quid Tabulis illis æneis factum, vel quid ſchedarum ad illuſtrandas illas relictum a *Morellio* eſſet, adhuc reſciſcere nemo certo potuit. Docet jam Cel. *Havercampus*, præter Tabulas laudatas nihil reliquiſſe *Morellium* ad Opus hoc perficiendum, niſi citationes Auctorum varias, nummorum typis in exemplari eorum, quo uſus eſt, adjectas; ſeque adeo non ad expoliendum alienum Opus, ſed ad novum condendum, acceſſiſſe, cum, poſtpoſito interea Theſauro ſuo Regio, has *Morellianæ* induſtriæ reliquias in lucem protrahendas ſuſcepiſſet. De quo labore ſuo antequam Lectoribus rationem paulo pluribus reddit, de *Goltzio*, *Fulvio*, *Urſino*, *Carolo Patino*, *Vaillantio*, & *Morellio*, in quantum Conſularium nummorum edendorum cura inclaruerunt, ſententiam uberius exponere, haud inutili conſilio ſuum duxit.

Hubertus Goltzius, Herbipolitanus, tam ſpectabilem hujus generis nummorum ſeriem collegerat, ut Faſtos inde urbis Romæ adornaret. Sed, ut hoc pacto nummos non iis aſſigna-

 vit

vit annis, quibus cuſi ſunt, ſed quibus illi, quorum nomina præferunt, ſummos honores geſſerunt, ita, ne vacua nimis crebro ſpatia relinqueret, longe plurimos exhibuit, quorum fidem nemo hodie præſtare auſit. Cum *Pighio Ericio*que eos omnes in genuinorum cenſum referre nullus equidem dubitavit *Vaillantius*. Nec negandum, fieri poſſe, ut viderit *Goltzius*, qui hodie non amplius reperiuntur. Sed longius utique ab erroris periculo abſunt, qui cum *Morellio* eos a ceteris indubitatis ſecernunt, & ad apocryphos veluti rejiciunt, dum exempla eorum, ſi tamen id unquam de omnibus ſperandum eſt, nulli dubitationi obnoxia proferantur. *Fulvii Urſini* de nummis Familiarum liber, non per faſtos, ſed ſecundum nomina gentium Romanarum digeſtus, & Commentario doctiſſimo illuſtratus, haud paulo plura eruditi orbis ſuffragia tulit, qui, cum rarius jam in tabernis librariis proſtare cœpiſſet, *Carolo Patino* jure ſuo dignus eſt viſus, quem nova nummorum obſervationumque acceſſione auctum ad prelum revocaret. Dolendum vero, in altera illa *Patini* editione peſſimo exemplo quædam a *Fulvio Urſino* ſcripta, quemadmodum Cel. *Havercampus* obſervat, deſiderari.

*Vaillantius Morellius*que eodem fere tempore Familiarum Romanarum nummis nova luce perfundendis operam dederunt. In editione operis ſuſcepti prior prævertit poſteriori: quam ob cauſam cum properandum ei eſſet, fieri non potuit, quin feſtinantis manus veſtigia paſſim in Opere ipſo obſervarentur. In genere *Vaillantius* ordinem quidem Familiarum *Urſinianum* retinuit, ſed Familias ipſas ſecundum cognomina, alphabetico ordine diſpoſita, digeſſit, uſuque eam in rem ſubſidiis *Goltzianorum* nummorum, jus monetæ cudendæ, Quæſtoribus & Triumviris monetalibus, qui & aliquando Quatuorviri, proprium, non modo cum Conſulibus, Prætoribus urbanis, Ædilibus curulibus, Tribunis plebis, ſed & Triumviris menſariis, aliisque, ut monet Cel. *Havercampus*, communicavit. Quanquam, ſi dicendum, quod res eſt, ex eo cenſu diſerte *Tribunos plebis* eximit *Vaillantius*, qui & magiſtratibus his aliis non tam cudendæ, quam imperandæ, monetæ jus tribuit. Sed hoc obiter;

ſpectat

Digitized by Google

ſpectat vero ad eundem hunc locum, quod in ipſo Opere, ubi de nummis *Goltzianis* agitur, longe veriſſime notat Cel. *Havercampus*, *Vaillantium* impleſſe Commentarios ſuos magiſtratibus geſtis ab illo, cujus nomen inſcriptum nummo cernitur, eosque deſcripſiſſe ex *Pighio*, eosdem haud inutili, ſed errori tamen multiplici obnoxio, inſtituto iis diſponente annis, quibus per leges annales, ſi Conſulatus ratio habeatur, hic vel ille magiſtratus geri potuit, ac proinde cum *Pighio* errante & ipſum in devia ſæpenumero delabi.

Pag. 570.

Morellius, *Goltzianis* nummis ad finem rejectis, *Urſini Patini*que ordinem preſſo pede ſequendum, Tabellasque nummorum, ab iis exhibitorum, ita retinendas duxit, ut iis acceſſiones ubique ſuas ſubjungeret. Conſtant illæ cum nummis a *Gorlæo* quondam editis, tum aliis longe plurimis, ab eo primum obſervatis, atque inprimis ad colonias pertinentibus, quos ut vitandos tanquam minus huc ſpectantes putarat *Vaillantius*, ita propter nomina, quæ ſervant, Romanarum familiarum magno numero coacervavit *Morellius*, ea in delineationibus cura adhibita, ut magnitudo nummorum facile dignoſci poſſit, tametſi ad unum omnes tertia ſui parte majores, quam re vera ſunt, exhibentur, id quod ſane factum nollet Cel. *Havercampus*, cujus judicium nemo non hodie ſequetur.

Is vero, ut ad ea denique pergamus, quæ de ſe ipſo in Præfatione docuit, præter nudas *Morellii* Tabulas nihil nactus ſubſidiorum, primo, quæ *Morellius* in Epiſtolis ad *Perizonium*, aut *Perizonius* ad *Morellium*, de hoc genere nummorum obſervavit, loco congruo inſeruit, ſua de iisdem ſententia adjecta, ad *Goltziana* autem numiſmata, *Morellii* conſilium ſecutus, *Erizzi* explicationes, ad illuſtrandam Romanam Hiſtoriam haud raro facientes, in linguam translatas Latinam, ſubjunxit. Neque vero ea de re contentus, ſingulos nummos Commentariis ſuis nunc parcius, nunc uberius, prout inſtituti ratio poſtulare videbatur, explanavit, ita, ut, a quo, quove tempore cuſi illi fuerint, & quid velint ſibi ſymbola iis inſculpta, curatius inquirendum duxerit. Quod ad primum caput attinet, ex Cel. *Havercampi* ſententia nummos in urbe cudendi

jus non penes alios, quam Quæſtorem urbanum, & qui ejus rei cauſa jam anno U. C. 465, prout ex *Pomponio* de origine juris conſtat, creari cœpere, Triumviros monetales, fuit. Eorum conjuncta aliquando tria, aliquando duo in denariis nomina occurrunt, ſed ſæpius unius tantum adjectum cernitur, facto etiam, ſed non ſemper, muneris eorum indicio. Equidem Ædilium curulium & plebis quoque in his nummis aliquando nomina obſervantur, ſed peculiari ratione id factum eſſe, neque ſine Senatusconſulti autoritate fieri potuiſſe, Cel. *Havercampus* obſervat. Pro Triumviris Quatuorviros monetales inſtituit *Julius Cæſar*, ſub quo & poteſtas ſignandæ monetæ extra ordinem conceſſa eſt Præfectis urbis octo, quorum nomina Cel. *Havercampus* e nummis recenſet. *Auguſtus*, rerum ſumma ad ſe delata, revocavit Triumviros, ſed numerum duplicavit, quando & ſibi, qui aureæ argenteæque monetæ cudendæ præeſſent, & Senatui Romano peculiares, qui æream monetam conflandam curarent, inſtituit, eorum etiam nomina nummis adſcribi paſſus. Hi, præſertim ſtante adhuc Republica, incredibilem denariorum, aſſium, partiumque aſſis, vim ex innumeris procudere officinis, quas notæ in denariis cumprimis obviæ affatim declarant. Extra urbem Quæſtores provinciales nummorum conflandorum curam geſſerunt, prodieruntque plurimi in Sicilia, Africa, Græcia, Aſia, atque Hiſpania. A prima illa quæſtione, quis nummos hos, quove jure cuderit, altera fere de tempore pendet, eique innexa eſt; unde non nimis multa ea de re, longe autem plurima de typis nummorum Conſularium, congeſſit Cel. *Havercampus*, [illegible]bus orthographiam, antiquas gentium Romanarum origines, & decora, leges, ludos & ſacra, ædificia, legationes, victorias, ac nihil fere non, quod quidem ſcire operæ pretium ſit, lucem mutuari poſſe, vix unus hodie eſt, qui neſciat. Singula hæc breviter perſtringit Cel. *Havercampus*, atque inde ad nummos Coloniarum, in quibus Familiarum antiquarum nomina occurrunt, delatus, de iis quoque, & magiſtratuum, qui in iis ſe offerunt, ratione, breviter diſſerit, ac denique per *Sullana* tempora ad *Pompejum*, atque ulterius ad *Julii Cæſaris* & *Auguſti* ævum

pergit,

Digitized by Google

pergit, quod ut Romanarum Familiarum nummi vulgo non excedunt, ita ærei tamen quidam, iique rariores, in Provinciis cuſi, qui ad hunc cenſum referri poſſunt, ſub ſequentibus etiam Imperatoribus, *Tiberio* potiſſimum, *Claudio*, *Nerone*, *Veſpaſiano* item, *Tito*, & *Domitiano*, reperiuntur, quemadmodum & *Trajanus* plures non modo Imperatorum, ſed & Familiarum, nummos, a *Morellio* ſumma diligentia collectos delineatosque, reſtituit.

HISTORIA EPISCOPATUS WORMATIENſis, Pontificum Romanorum Bullis, Regum, Imperatorum Diplomatibus, Epiſcoporum ac Principum Chartis, aliisque pluribus Documentis avthenticis, aſſerta ac illuſtrata, Autore JOANNE FRIDERICO SCHANNAT.

Tomi II.

Francofurti ad Mœnum, apud Franciſcum Varrentrapp, 1734, fol. Tom. I Alph. 4 pl. 21, Tom. II Alph. 5 pl. 4, cum Tabb. æn. 6.

Germaniam ſacram, de qua jam alias præclare meritus eſt Cl. *Schannatus*, nunc edita Epiſcopatus Wormatienſis Hiſtoria novo quaſi radio accipimus ab eo illuſtratam. Quod Opus eximium in *duos Tomos* diſpeſcere ipſi viſum eſt, quorum *primus* accuratam Diœceſeos Wormatienſis notitiam, ejusque Epiſcoporum, Eccleſiarum & Monaſteriorum hiſtorias, jura, prærogativas, clientelas, &c. ſiſtit, *alter* magnam veterum Diplomatum & Chartarum copiam complectitur, uterque vero ita comparatus eſt, ut, ſive in illo diligentiam & pertinaces Cel. Autoris labores, ſive in hoc antiquorum Documentorum cimelia ſpectemus, non poſſint non rerum Germanicarum ſtudioſi de utroque ipſi ampliſſimas gratias agere. Ac Hiſtoriam quidem in *tres Partes* iterum diviſam ab antiquo Vangionum ſub Imperatoribus Romanis ſtatu orditur, adhibitis tum veterum Scriptorum, qui res hujus populi geſtas attigerunt, teſtimoniis, tum etiam reliquiarum Romanarum, marmo-

morum nempe & Inſcriptionum monumentis. Inde fata gentis ſub Regibus Francorum paucis commemorat, pluribus Epiſcopatus erectionem, & totius Diœceſeos in IV Archi-Diaconatus & X Decanatus rurales deſcriptionem, perſequitur, addita Parochiarum CCXLIII notitia, ſecundum literarum ſeriem contexta, & probationibus, ex chartis veteribus petitis, diſtincta. Hinc ad ipſius urbis Wormatiæ deſcriptionem progreditur, cui accedunt Catalogi Templorum & Eccleſiarum Parochialium, Oratoriorum, Canonicatuum, & Præbendarum, adjuncta etiam ſerie Præpoſitorum, Decanorum, Cuſtodum, Scholaſticorum & Cantorum. Poſtea Viros illuſtres recenſet e gremio Wormatienſis Eccleſiæ productos, quorum ordinem ducit *Pius II*, Pontifex Max. *Æneas* ille *Sylvius*, Wormatienſis Eccleſiæ quondam Præpoſitus, quem XVI alii ſequuntur, ad varios Germaniæ Archi-Epiſcopatus & Epiſcopatus e Capitulo Wormatienſi promoti. Demum Suffraganeorum ſedis Wormatienſis ſeries, & Syllabus Canonicorum, literarum ordine digeſtus, ampliſſimaque notitia Eccleſiarum Collegiatarum, Monaſteriorum, eorumque Præpoſitorum, Decanorum, Abbatum, Abbatiſſarum, Prioriſſarum & Magiſtrarum, religioſorumque ordinum per Diœceſin Wormatienſem, finem huic *Parti primæ* imponit. Hanc *altera* excipit, de Epiſcoporum juribus & prærogativis inſcripta, & in *quinque Capita* diſtincta, quorum *primo* de eorum libertate, immunitate & exemtione, *altero* de Epiſcoporum jurisdictione & imperio, judiciis, juribus monetandi, telonii, & vectigalium, *tertio* de ſupremo directo & utili in cives & civitatem Wormatienſem dominio, *quarto* de reliquis Epiſcoporum prærogativis, e. g. de Miniſterialibus, de Directorio circuli &c. agitur, quibus denique *quintum* ſubjungitur, naturam clientelæ Wormatienſis beneficiariæ, nobilis, & equeſtris, complexum, cum ampliſſimis Vaſallorum Wormatienſium tam primi, quam ſecundi ordinis Elenchis. *Tertiam Partem* hujus *Tomi primi* proprie dixeris Epiſcopatus Hiſtoriam, quæ fata Eccleſiæ Wormatienſis ab obſcuris temporibus, in quibus ſibi nonnulli Archi-Epiſcopatum Wormatienſem finxerunt, continuo filo uſque ad *Franciſcum Georgium* ex Comitibus *de Schœnborn*

Digitized by Google

born, Epiſcopum, perſequitur. Qua abſoluta, ſuccedit *alter Tomus* probationum, quibus totum hoc Hiſtoriæ ædificium innititur, Codex CCCLX Diplomatibus & chartis, maximam partem ex tabulariorum penetralibus nunc primum erutis, refertus, quæ tanquam reliquiæ ex naufragiis, Nordmannorum incurſione & hoſtili Gallorum impetu excitatis, ſuperſtites permanſerunt. In quibus ut multa notatu digna occurrunt, ita delibabimus pauciſſima. Nempe ex iis conſtat, *Theophaniæ* Auguſtæ obitum in annum 990, *Ottonis* vero *III* nativitatem in annum 979 rectius referri; item Epiſcopos Wormatienſes, antequam à ſede Apoſtolica confirmarentur, alio ſigillorum genere uſos eſſe; porro Cancellariorum regiorum ſeriem ſuppleri poſſe *Godeberti* & *Arnolfi* nominibus, quorum ille ſub *Ludovico Germanico*, hic ſub *Arnulfo* occurrit; quemadmodum & *Conradus* quidam *Reginæ Notarius* in charta de A. 1240 commemoratur, & in alia de A. 1287 rarius ſigillum Magiſtri Ordinis Templariorum in Teutonia appenſum conſpicitur, ut cetera mittamus hujus generis plura. His fundamentis Noſter inædificavit Opus ſuum, adhibitis etiam Scriptoribus rerum Germanicarum, tam ab aliis editis, quam ineditis Annalibus Wormatienſibus *Michaelis Gaſſen, Franciſci Bertholdi de Flersheim*, & *Friderici Zornii*, quorum tamen ætas ultra Secula XVI & XVII non aſſurgit. Copioſiores nos eſſe in recenſendo Opere tam illuſtri, & bonarum rerum, inprimis quæ facere poſſint ad illuſtrandam Germaniæ hiſtoriam, tam pleno, vetat inſtituti noſtri ratio, qui ceteroquin ex novo hoc & laborioſiſſimo partu magnam Autori ſuo acceſſionem famæ, & ex lectione ejus cuilibet antiquitatum Germanicarum ſtudioſo eximios uberrimosque fructus ominamur.

JOANNIS FREIND, M. D. SERENISSIMÆ Reginæ Carolinæ Archiatri, Opera omnia medica.

Londini, impenſis Guil. Innys, Rich. Manby, & L. Gilliver, 1733, fol. Alph. 7 pl. 12.

Splendidum nunc & magnificum producimus Opus, quod, cum *Freindianum* nomen præ ſe ferat, ſat magnum ex eo & ſat grave commendationis momentum habere videtur. Neque enim quemquam ex politioribus Medicis eſſe exiſtimamus,

Digitized by Google

mus, qui, poſtquam hujus nominis gloria, non Britanniæ finibus circumſcripta, ſed monumentis publice poſitis longe lateque propagata, potiores, ubi ſuus bonis literis & Medicinæ honor conſtat, Provincias peragravit, nunc demum ex nobis intelligat, *Freindium* eo loco numeroque inter Medicos noſtræ ætatis eſſe habitum, quo principes artis & amplificatores maximi haberi ſolent, & libros ejus non una virtute commendabiles eſſe, ut potius in iis argumenti gravitas, rationum momenta, judicii acumen, ordinis delectus, variæ doctrinæ, & Medicæ, & Philoſophicæ, & Mathematicæ, & humanioris, copia, & caſtigatæ dictionis decus nativum atque elegantia, de principatu velut inter ſe contendant. Quamobrem & nos ſine omnibus laudum ambagibus accedimus ad ipſum Opus hoc, quælibet ingenii monumenta, a *Freindio* ſuperſtite edita, continens, & dignum non una ex cauſa, quod *Robertus*, *Joannis Freindii* frater, Scholæ Regiæ Weſtmonaſterienſis Rector, Auguſtiſſimæ Britannorum Reginæ, *Carolinæ*, apud quam *Joannes*, ejus Archiater, ſingulari gratia valuit, dedicaret, & Cl. *Joannes Wigan*, Medicus apud Oxonienſes doctiſſimus, & vel edito *Aretæo Cappadoce* clarus, luculenta de *Freindii* vita, fatis, ſcriptisque, Præfatione exornaret. Primum tenent locum Prælectiones Chymicæ, de quibus noſtrum in his Annalibus *A. 1710. Menſ. Sept. p. 412* judicium exſtat. Quod cum aliquanto eſſe iniquius videretur *Freindio*, contra illud Vindicias ad Tranſactiones Philoſophicas Anglicanas A. 1711 retulit, alteri etiam Prælectionum editioni adjectas, atque hic cum judicio noſtro repetitas. Male ſcilicet illum habuit noſtra de principiis attractionis ad explicandas operationes chemicas non temere accommodandis admonitio, & reſponſum ab ipſo fuit, neque ſe, neque *Newtonum* in attractionis magis, quam gravitatis, cauſam inquirere; illam vero perinde atque hanc indubitato experimentorum atque obſervationum teſtimonio re vera exiſtere. Verum ſatis conſtat, quid adhuc a noſtratibus, & nuper demum ab acutiſſimo *Hambergero*, adverſus hanc attractionis doctrinam diſceptetur. Quamobrem nos hanc controverſiam ab inferis revocandam, manesque *Freindianos* ſollicitandos, minime putamus. Alter in his Operibus locus Emmeno-

metrologiæ aſſignatus eſt, de qua itidem in *Actis* noſtris A. 1705 *Menſ. April. p.* 174 ſententiam diximus, nunc potius Commentarios de febribus, in primum tertiumque de morbis popularibus librum *Hippocratis* conſcriptos, evoluturi. Integri hic *Hippocratis* libri extant, in quorum textu Græco, ex unaquaque editione, quicquid accuratius videretur, excerpere, interpretationem vero *Foeſianam*, paucis mutatis, retinere, & in calce libri variantes Lectiones, ex MSto *Barocciano* deſumtas, annectere, placuit Cl. *Wigano*. Quod autem ad ipſos *Freindii* Commentarios attinet, in Epiſtola ad *Richardum Frewin*, Medicum Oxonienſem, iis præmiſſa, veterum Medicorum præſtantiam, & accuratam inprimis in Hiſtoriis medicis diligentiam, prædicat, & de ſingulis Græcis Latinisque rei medicæ Scriptoribus breve, ſed elegans, judicium exponit, recentiores autem, quo magis illorum veſtigiis inſtiterunt, eo præſtantiores eſſe, pleroſque autem ab illis receſſiſſe, & ſuis potius ingenii commentis delectatos eſſe, atque ad concinnandos Libros vel non medendi, vel non ſcribendi facultatem attuliſſe, aſſeverat, ad extremum denique *Hippocratis* de morbis popularibus Libros extollit. *Primo* deinceps Commentario, de ratione ſcribendi, quam in Epidemiorum Libris tenuit *Hippocrates* acturus, magni æſtimandos eſſe hos libellos docet, quod caſus, ut a Medicis vocantur, ſingulares tradant, & febres complectantur, communem ſcilicet generi humano, & in diſſitis etiam Provinciis non adeo diverſi moris ingeniique, morbum. Quamvis vero exinde, quod remediorum inibi rariſſima occurrere ſolet mentio, nonnulli ſibi perſuaſerunt, nullis *Hippocratem* curandi inſtrumentis, niſi quæ in ſingulis ægrotis recenſentur, uſum eſſe; nonnulli tamen ejus loci, Autorem, etiam ubi de medendi genere ſilet, medicamenta propinaſſe, & medendi rationem proinde ex ceteris ejus ſcriptis repetendam eſſe, clare oſtendunt. Scribendi genere uſus eſt, ut artifex ad artifices, brevi quidem ſubtilique, ſed expolito tamen, atque intelligentibus noto. Vidit *Freindius*, ex ægrotantibus, quorum hiſtorias *Cous* annotavit, quotquot ſalvi evaſerunt, evacuatione aliqua reſtitutos eſſe omnes. Quoniam itaque perſpicue hinc liquet, quid in hiſce morbis moliatur natura, &

Digitized by Google

qua demum via ars ad naturæ regulam dirigenda debeat incedere, uſum harum evacuationum in febribus reliquis Commentariis explicat. *Secundo* igitur Commentario de ſanguinis miſſione, præſertim de venarum jugularium ſectione, quando in febribus acutis eædem ſe exſerant notæ, quales in ægrotis *Hippocraticis*, ſpontanea ſanguinis eruptione ſanatis, fuerunt, venam eſſe ſecandam contendit, ſi vires id ſinant, quarum robur ex pulſu ſatis valente & pleno cognoſcatur: quanquam *Hippocrates* ſigna ex pulſibus deſumta plane neglexit. Secetur autem vena circa initium morbi. Et, cum, deliria nonnunquam hæmorrhagia narium ſpontanea ſoluta fuiſſe, ex *Hippocraticis* hiſtoriis ſatis conſtet, Noſter, naturæ motus imitaturus, autor eſt ſuaſorque, ut ſub iisdem morbi conditionibus venæ jugulares incidantur. Quo conſilio venarum jugularium enarrationem qualemcunque ex anatome, ſectionisque earum originem inde ab *Alexandri Tralliani* temporibus repetit, & diverſa de iis Medicorum judicia per complura Secula exponit. Ipſe autem hac ſectione non modo obſtructiones atque inflammationes, extra cranium ortas, derivationis modo tolli, ſed iſtas etiam, quæ cerebrum membranasque invaſerunt, per eandem revulſionis ope propelli, tum experientia tum ratione, ex Anatomia potiſſimum depromta, eleganter probat. Quæ vero de venis jugularibus dixit, ad arteriæ temporalis ſectionem perinde, & quidem propius, ſpectare monet. Commentarius *tertius* de Sudoribus diſquirit. Qui quoniam apud *Hippocratem* non ut curandi inſtrumentum, ſed ut præſagii nota, proponi conſueverunt; hinc nulla etiam apud eundem perinde atque *Celſum* earum eſt mentio. Quamvis vero Autor in noſtri temporis abuſum, cujus originem ab Arabibus deducit, vehementer invehatur; temperata tamen & mediæ naturæ ſudorifera ſuo tempore, præmiſſis maxime evacuantibus, cum emolumento adhiberi, evincit. Vomitoria, quibus Commentarius *quartus* deſtinatur, ſub initium febrium maxime ſalutaria eſſe, judicat, in primis, ſi quando, quod plerumque fit, vel nauſea, vel ventriculi gravitas, vel etiam capitis dolor, invaleſcant. Habent præterea & reſolvendi, & circuitum liberiorem redden-

di,

di, facultatem, quæ laus radici Ipecacuanhæ potiſſimum vindicatur. In pleuritide autem, variolis, & inſtante criſi, non conveniunt. Ad excretionem purulentam, pleuritidisque & peripnevmoniæ differentiam, pertinet Commentarius *quintus*. Inter ſigna pleuritidis, ſive inflammationis pleuræ legitima numerat pulſus duritiem, eamque aſſerit, & cauſam illius a vi pleuræ elaſtica, tunc fortius agitata, cujus auctior oſcillatio ad arteriarum quoque membranas propagetur, perdocte derivat. Ceterum cum pleuritide peripnevmonia a veteribus æque ac recentioribus admodum perturbatur; quæ tamen poſterior tuſſim, pulmonum gravitatem, ſpiritum calidiorem, purisque rejectionem, tanquam certiſſima ſigna conjuncta, habet. Perperam itaque pleuritidi tuſſim & ſputorum excretionem adſcribunt. Ubi vero complicantur, ſimul peripnevmonia adeſt, & pleuropnevmonia morbus vocatur. Sola autem ſæpius pleuritis invadit ſine ullo pulmonum vitio, & fruſtra in eadem puris excretio exſpectatur. Ultimo & de pleuritide ſpuria disquirit. Commentarius *ſextus* abſceſſum, & coli veſicæque ulcera, tractat. Morbos abſceſſu ſolvi, vulgare eſt, isque frequentiſſime febribus & variolis accedit, circa inguina maxime & aures. Nonnunquam & toto corpore diffuſa excreſcunt tubercula, quæ in pus aliquando reſolvuntur. Suppuratio autem circa urinæ meatus hic non adeo frequens eſſe ſolet, quam in calculoſis; ſaltim, quæ febrem perpeſſo ſaluti fuerit, in Medicorum libris perraro commemoratur. Quare, cum ipſi in artis exercitatione ejusmodi ſuppuratio obvenerit, quæ *Hippocratico* exemplo plane reſpondet, copioſius ea hoc loco enarratur. Purgationem ſub examen revocat Commentarius *ſeptimus*, quam vim habeat in febre putrida, quæ variolis confluentibus ſupervenit, & in eryſipelate capitis. Alvi reſolutione ſæpenumero febres judicari, veteres tradiderunt, hancque methodum ii & recentiores nonnulli imitantur. Nonnullæ enim febres purgantia commode recipiunt, nonnullæ plane requirunt. Verum hæc medendi ratio tam multas habet cautiones, ut neque ullæ de ea ſatis accuratæ condantur regulæ, neque, niſi laboris ac judicii plurimum acceſſerit, condi queant, ſed uſu

Digitized by Google

atque exercitatione longe rectius cognoſcatur. In febre dicta inprimis locum habent, maturitate puſtularum vel vigente, vel jam inclinata. Hanc vero purgationem qua demum ratione, & quo potiſſimum tempore, ſectari deceat, ex propriis cujusque ægroti hiſtoriis clarius patebit, quam ſi ea fuerint generatim & univerſe explicata. Quam ob cauſam duæ hiſtoriæ amplæ ſatis & completæ afferuntur, quibus ſalutaris harum purgationum eventus intelligatur. Adduntur Epiſtolæ *Richardi Frewin, H. Levett. Salusbury Cade, Richardi Mead*, quibus ſententiam *Freindianam* Autores hi calculo ſuo comprobant. In capitis eryſipelate, quando minime deferbuit febris, mirificam præſtant purgantia operam, ut ſine iis ſanitas recuperari non poſſit. Tacent ea de re Medici plures, plures eam plane vetant. *Freindius* vero ſtrenue opinionem hanc propugnat, & noviſſimo quodam exemplo hujus curationis uſum confirmat. Et, quandoquidem nonnulli fuerunt, quibus incredibile viſum eſt, adeo ingentem retrimentorum vim purgatione derivari, & ano expelli, calculum hic ſubducit Noſter, oſtenditque, qua ratione ad tranſpirationem ſe habeat glandularum *Peyerianarum* excretio, & quantum, aſſumto purgante, irritatis ſtimulo quodam inteſtinorum tunicis, & ſanguine vehementius circumacto, bileque validius commota, excerni queat. Scilicet ad modum ab Autore propoſitum per inteſtinorum tunicas, quanquam neque alimenti reliquias, neque ſuccum pancreaticum æſtimaveris, cathartico expurgari queunt libræ quatuor cum ſemiſſe. Vaſis autem ſimul ampliatis, copioſior multo erit humorum affluxus, ſcilicet in ratione diametrorum duplicata. Morbum cœliacum ex eo ſimul proficiſci oſtendit, quod humor a glandulis *Peyerianis* exprimi ſolitus aliqua ſaltem ex parte intercludatur. Itaque remedia, quæ alvum leniter irritant, glandularumque ora detergunt, in hoc morbo vim habent maximam. Commentarius *octavus* in urinæ profluvium inquirit. Si evacuationem ſpectamus, parum eſſe diureticis in febrium tractatione fidendum, putat, propterea, quod renibus natura multo pauciora tribuerit ad humores excernendos, quam inteſtinis, vaſcula, ut adeo, utrinque non perinde largam

Digitized by Google

gam futuram eſſe evacuationem, facile colligamus. Præterea vero etiam ſæpenumero diuretica ſpem plane fallunt, effectusque in ſe deſiderari patiuntur. Potiones diluentes, in febribus uſitatæ, movent quidem urinam, uſusque habent eximios, nulla tamen ad materiam febrilem educendam vi diuretica valent. *Nonus* denique Commentarius veſicantia, quæ cantharides recipiunt, excutit. Poſtquam hujus remedii hiſtoriam & fata eleganter enarravit, (ubi tamen graviter illum aberraſſe a vero dolemus, quod & noſtri ævi Medicis in Germania ejusmodi cantharidum uſum formidini eſſe putat,) egregiam ipſis virtutem tribuit, quod dolorem concitent, ſerumque eliciant, ſimul autem interiori quadam vi in ſanguinem agant, ejusque molem attenuent, curſum vero intendant. Itaque aliis compluribus morbis opem, febribusque acutis tutum maxime & expeditum auxilium, afferunt veſicantia, quæ, licet materiam febrilem potentiſſime a cerebro avertant, fluxiones tamen ceteras ſudorum præcipue atque urinæ ſæpenumero juvant, certe nullo unquam modo reprimunt, & tuto ſemper, nulla habitus fervidioris & æſtus in ſanguine ratione habita, applicantur. Imo totus eſt in iis commendandis Autor, & eorum vim in omni morborum acutorum tractatione, tam late patere putat, ut ſaltem haud inverecunde ſibi videatur eſſe dicturus, ægrotos iſtos, quos *Hippocrates* deceſſiſſe commemorat, hanc unam, ſi modo ulla fuiſſet profectura, priſtinæ ſanitati reddere potuiſſe medicinam. Hactenus de Commentariis. Progredimur dehinc ad duas Epiſtolas, alteram de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre adhibendis, in his *Actis* noſtris jam tum *A. 1722 Menſ. Febr. p. 93* commemoratam, adeoque hic merito prætermittendam; alteram de quibusdam variolarum generibus, ad *Richardum Mead*, illuſtrem Britanniæ Medicum, exaratam, ex qua pauca daturi ſumus. Ad Doctiſſ. *Freindium*, tum certa ex cauſa turri Londinenſi incluſum, miſſus erat ab Autore *Helvetianus* de variolis liber, quem cum ille in otio ſuo perlegeret, ſimulque perfecti iſtius & exacti de variolis Operis recordaretur, quod *Richardus Mead* edere in animo habuerat, monet illum hac Epiſtola, oratque, ut fidem datam aliquando libe-

liberaret, atque hac occaſione de quibusdam variolarum generibus ſimul exponit. Chryſtallinum itaque variolarum genus ipſi appellatur, ſi quæ, quarto exacto die, papulæ colorem floridum, h. e. naturalem, non induunt, nec humore denſo atque concocto, qualis puri convenit, extumeſcunt, ut nihil præter laticem quendam pallidum, prætenuem, & pellucentem, contineant. Quod non modo ad confluentes variolas, ſed ad diſcretas etiam, pertinet. Aliquando præ morbi cruditate ne laticis quidem hujuſce tantillum in cuticulam exſudat. Elevantur tantummodo veſicarum aut folliculorum ſimiles pelliculæ rotundæ, concavæ, vacuæ, molles, licet aliquando in ſolidius quid & carneolum indureſcant. Vocantur ab Autore ſiliquoſæ. Verrucoſæ autem dicuntur, ubi tubercula extra cutim quidem protruduntur, ſed quibus nulla illabitur lympha, nec vacui quidquam ſpatii intermeat, ut duritie ſua ad verrucas quam proxime accedere videantur. Omnes hæ ſpecies, quamvis etiam familiæ diſcretarum adſcribantur, longiſſime tamen a diſcretis *Sydenhamii*, utpote benigniſſimis, abſunt. Supereſt denique variolarum & diſcretarum & confluentium ſpecies, a Noſtro enarrata; ubi per varios corporis meatus ſanguis diſſolutus profundi ſolet. Quælibet autem ea variolarum genera ſingularibus hiſtoriis clinicis illuſtrat. Quæ proximo loco cernitur, Oratio anniverſaria in Theatro Collegii Regalis Medicorum Londinenſium ex *Harvæi* inſtituto habita, memoriam Virorum ſua in hoc Collegium beneficentia celebrium conſervat. Eo nomine laudari videas *Thomam Linacrum*, Collegii Medici conditorem, & Præſidem primum, qui, non ſatis habens, hanc Societatem a ſe inſtitutam eſſe, ea, qua apud curiam valebat, gratia id effecit, ut eadem Regio favore & Senatus autoritate confirmaretur, eidemque Collegio ædes ſuas legavit; *Cajum*, qui Collegii ſigna gentilitia primus effinxit, & impetravit, præſidiſque dignitati proſpecturus, idoneos ejus muneri ritus & ornamenta accommodavit, ac rerum per quatuor fere luſtra a Collegio geſtarum Annales reliquit; *Caldwaldum*, qui ſua munificentia id effecit, ut intra hujus Collegii mœnia res Chirurgicæ & explicari & excoli perpetuo queant;

Digitized by Google

ant; *Harvæum*, qui Collegii cœnaculum & muſæum condidit, Bibliothecam ſuis ſumtibus inſtruxit, &, exemplo prope inaudito, alacer pleno in Sodalium conſeſſu, utut admodum ſenex, ſuo ſe ſponte exuit patrimonio, ut ad Collegium ipſo adhuc ſuperſtite hæc hæreditas pertineret; inſtrumenta etiam Chirurgica Profeſſorum uſibus deſtinavit, convivium menſtrûis cenſorum comitiis inſtruxit, epulum annuum Collegii inſtituit, annuumque & honeſtis præmiis ornatum Oratorem evocavit, qui Virorum de hoc Collegio bene meritorum res geſtas perſequeretur, cui inſtituto *Freindianam* hanc Orationem debemus; *Gulſtonum*, qui munificentia ſua eo reſpexit, ut viſcerum ſtructura & morborum ſigna in Collegio traderentur; *Cronium*, qui Myologiam explicari & demonſtrari juſſit; Virum nobilem, *Durnovariæ* titulo inſignem, qui & ipſe ſe huic Collegio & lautiſſimam librorum ſupellectilem donavit, cujus exemplum tanti fuit, ut libenter nunc in Collegium ſanguis Patricius cooptetur; *Hamæum*, qui Collegium temporum iniquitate ſub haſta poſitum ſua pecunia redemit, ædes incendio collapſas novas reſurgere ſuo exemplo juſſit, cœnaculum ornamentis auxit, atque, noſocomiis ne unquam defuturi eſſent Medici ex hoc ordine peritiſſimi, ampla ſtipendia porrexit, moriensque Collegium prædiorum ſuorum hæredem reliquit. Atque ita ſuperato feliciter, in quo decurrendum nobis erat, ſtadio, prope a meta abeſſemus, niſi extremum reſtaret Opus, quod tamen palmam reliquis præripere, & primo loco collocandum eſſe fere videtur, Hiſtoria nimirum Medicinæ, a *Galeni* tempore uſque ad initium Seculi decimi ſexti. Poſtquam enim *Freindius* animadvertit, præſtantiſſimis, quas mirifica laude ubique condecorat, Celeb. *Clerici* Commentariis de Hiſtoria Medicinæ adjectum eſſe ſpecimen quoddam breve & nimis curtum, quo ea Hiſtoria inde a *Galeni* temporibus uſque ad medium Seculum XVI nimis jejune tractetur, multaque negligenter, multa perperam dicantur, ipſe conſilium Hiſtoriæ hujus accuratius diligentiusque contexendæ iniit, & Volumen ejus primum A. 1725, proximo autem ſecundum, patrio ſermone publicavit, quibus Cl. *Clerici* errores identidem caſtigantur,

 Quam-

Digitized by Google

Quamvis vero Doctiſſ. Autor Opus hoc non perfectum, ſed ſparſas veluti obſervationes eſſe queratur, quod ſibi eo tempore, quo illud inchoavit, turri Londinenſi adhuc incluſo, ad libros neceſſarios non patuerit aditus, magno tamen plauſu ubique exceptum fuit, adeo, ut non ita multo poſt in Gallicam linguam converteretur. Ut vero exteri eo magis admitterentur ad libri adeo utilis & jucundi lectionem, eundem, non Anglice ſcriptum, ſed a ſe Latine verſum, inſertis etiam ſuo loco, quæ in *Freindiano* exemplari ad marginem ſcriptæ erant, Annotationibus, nunc ſiſtit Cl. *Wigan*, effecitque, ut uſitata *Freindii* facundia & orationis nitor, quod ille metuit, in hac interpretatione neutiquam deſiderari queat. Ita vero hanc Hiſtorici perſonam ſuſtinuit *Freindius*, ut, de theoriis ſpeculationibusque illuſtrium iis Seculis Medicorum non adeo ſolicitus, ea potiſſimum, quæ ad praxin pertinent, magna cura velut e latebris ſuis excuſſerit, &, quicquid ejus ævi Scriptores egregii de cognoſcendis curandiſque morbis literis mandarunt, diligenter explorarit, omneſque lucubrationes ſuas ad praxin artiſque uſum accommodarit. Et profecto, quando Hiſtoriæ fide, rerum varietate, aliorum Autorum examine, exquiſito Autoris judicio, præceptorum utilitate, & obſervationum delectu, tantopere delectamur, Autorem noſtrum æquum omnino & idoneum ejusmodi rerum arbitrum eſſe, cum Cl. *Wigan* exiſtimamus, qui diuturnam experientiam cum aſſiduo literarum ſtudio conjunxerit, quique ut ineunte ætate probatiſſimos magiſtros tanquam vitæ duces elegerat, ita hos denuo conſummatus jam artifex in termino vitæ, tanquam judex & cenſor, ad examen revocarit. In primo itaque Volumine de Græcis Scriptoribus agit, qui poſt *Galeni* tempora floruerant, de *Oribaſio* nimirum, *Aetio*, *Alexandro*, & *Paulo*, atque eorum ætates, de quibus nihil antea apud optimos Hiſtoricos niſi perturbatum & confuſum reperiri poterat, deſignat accuratius, & *Oribaſium* quidem ad A. C. 360, *Aetium* ad A. 500, *Alexandrum* ad A. 560, *Paulum* ad A. 640 vixiſſe, contendit. Neque minus de *Uranio* & *Procopio*, ad A. 560 claris, *Nemeſio*, *Theophilo*, *Stephano*, *Nonno*, *Michaele Pſello*, *Simeone*, *Demetrio Pepagomeno*, *Actuario*,

Digitized by Google

rio, exponit. In fine Libri veterum præſtantiam eximie laudat, & pro eo acriter decertat, ne nuda tantum experientia freti, ea adjumenta contemnamus, quæ ex diligenti optimorum Autorum pervolutione petuntur. In ſecundo Volumine literarum omnium apud Arabas initia & progreſſum, & Calipharum, his faventium, ſtudia ac munificentiam, fuſe perſequitur. Deinceps Medicorum ex iſto populo, tam quorum ſcripta ad nos pervenerunt, quam qui nomine nobis antea inauditi erant, vitas enarrat, ætatesque evolvit, ex quibus *Rhazes* ad A. 900, *Avicenna* ad A. 980, *Avenzoar* ad annum eundem, *Averrhoes* ad annos proximos, *Alſabaravius*, ſeu *Albucaſis*, ad ætatem incertam, juniorem tamen quam, A. 1085, ut vulgo computant, referuntur, & ſimul diligenter indicatur, quid quisque eorum ad artis ſuæ incrementum contulerit. Relictis Arabibus, variolisque, inter Arabas primum ortis, magna cura deſcriptis, ad inferiora *Freindius* Secula deſcendit, quibus Medicinæ & Chirurgiæ inſtaurationem factam eſſe commemorat, Scholis ad hæc ſtudia Salerni, Neapoli, Monſpelii & Bononiæ conſtitutis. Ac præcipuos is Autores conſectatur, qui in artem tunc temporis, inprimisque Chemiam, Anatomiam, & Botanicam adaugendam & illuſtrandam incubuerunt. In præcipuis commemorantur *Conſtantinus Africanus* ad A. 1060, in Schola *Salernitana* clarus, *Rogerius Baco*, Linguarum, & Mathematices, & Mechanices, & Aſtronomiæ, & Naturalis Philoſophiæ, cognitione recondita inſtructiſſimus, qui in hujus Seculi tenebris ſpiſſiſſimis quaſi ſidus lucidiſſimum effulſit, *Arnoldus de Villa nova*, *Petrus de Apono*, *Gordonius*, *Mundinus*, *Sylvaticus*, *Gilbertus Anglicanus*, *Joannes de Gaddesden*, *Glanvillus*, *Valeſcus de Taranta*, *Hermolaus Barbarus*, *Rogerius Parmenſis*, *Jamerius*, *Rolandus*, *Brunus*, *Theodoricus*, *Guilielmus de Saliceto*, *Lanfrancus*, *Guido de Cauliaco*, *Joannes Andernus*, &, qui, cum in Anglia humilis eſſet artis medicæ conditio, utpote ab illiteratis præcipue Monachis Empiricisque tractatæ, hanc non modo ſcientia & facundia admirabili illuſtravit, ac munificentia juvit, ſed primus etiam Collegii Medici Londinenſis conditor & Præſes fuit, *Thomas*

Digitized by Google

Linacrus. Inter hos tamen ſimul enarrat morbos varios in Hiſtoria medica maxime notabiles, ſuo quemvis tempore, ut peſtem, quæ A. 1348 deſæviit; ſudorem Anglicum A. 1483, qui quinquies etiam ſuccedentibus temporibus rediit; ſcorbutum, qui nautas Luſitanos, Indiam explorantes, primum leviter tentavit, poſtea alio propagatus, per Miſniam A. 1486 graviter lateque ſe diffudit, ſedemque in Dania aliisque Septentrioni vicinis regionibus poſuiſſe aliquamdiu videtur, tandem circa A. 1600 per omnem fere Europam diſſeminatus, in malum his diebus epidemicum degeneravit; luem veneream, ex America a *Columbo* reportatam, in Italia primum A. 1492 animadverſam, quæ duobus poſt annis in obſidione Neapolis, Gallicum infecit exercitum, atque hoc modo intra breve tempus per Italiam, Galliam, & Hiſpaniam, nec ita multo poſt per Europam omnem, Aſiam, atque Africam, contagium propagavit. Summa velut capita doctiſſimi Operis breviter indicavimus. Si quis fata progreſſusque & viciſſitudines artis ſalutaris per omnia ea Secula ex Autore, per veſtigia illius incedens, repetere, & ſuo, quo quælibet geſta fuerunt, ordine ſtrictim perſequi, animum induceret, næ is non Libri argumentum breviter, ut in Annalibus fieri oportet, enarraturus, ſed epitomen Operis, ſeorſim haud ſine fructu edendam, ſcripturus eſſet. Qua de cauſa nos ea, quæ maxime commemorabilia, & ab Autore præ reliquis egregie explicata videbuntur tribus tantum verbis notamus. In exponendis Scriptoribus Græcis iterum iterumque animadvertit, etſi, ut Philoſophiam *Ariſtoteles*, ita quoque Medicinam prope omnem abſorbuerat *Galenus*, multa ſatis ſingularia occurrere, propter quæ illos perlegere operæ pretium eſſet. Multa in his Medicorum illuſtrium *Galeno* antiquiorum fragmenta pretioſa conſervantur. Multa in Chirurgia facta eſſe incrementa, ex iis intelligitur. Quædam recentiorum Seculorum inventa falſo credita iis adſcribuntur, ut glandularum ſalivalium, ab *Oribaſio* deſcriptarum, cognitio, ſetacei, cauteriorum ad aperiendos in cute fonticulos, & acupuncturæ in hydrope, uſus. Peſtis a *Procopio* & *Evagrio* narrata copioſius deſcribitur. Liquorum deſtillatorum prima apud Græcos

eos mentio notatur. Morbi inuſitati, a veteribus deſcripti, exponuntur, ut dracunculi & lycanthropia. Medendi rationes, ab iisdem uſurpatæ, quæ jam vel in deſuetudinem abierunt, vel rarius adhibentur, commendantur, ut ſcarificatio, & arteriotomia. De purgatione in febribus, de eadem leniter admodum ac frequenter inſtituenda in morbis chronicis, de venæ ſectione in exanthematibus & ſyncope, de remedii utriusque uſu in cordis palpitatione, de anevryſmate & hernia inguinali & crurali, de diſcutientium ac ſuppurantium indicatione ac modo, & auxiliis ad utramque rem efficacibus, copioſe diſſeritur. *Lucas*, quod medicinam eſſet profeſſus, ubi de morbis aut curationibus eorum ſermo incidit, præ aliis voces argumento idoneas uſurpaſſe traditur. In enarrandis quoque Chriſti miraculis diligentior fuit, quam ceteri, multasque eo pertinentes hiſtorias conſignavit, quas ceteri tacuerunt. *Nemeſius* ſanguinis itum reditumque non habuit perſpectum, ut Editor ejus Oxonienſis putat, neque etiam *Columbus*, ſed ea gloria *Harvæo* vindicatur; multa etiam de hujus inventi utilitatibus ad praxin medicam ſummis afferuntur. In *altero* Volumine hinc inde de morbis agitur, qui vel Arabicæ tantum gentis Scriptoribus cogniti fuerant, ut vena medinenſis, vel ab iis primo memorati, ut ſpina ventoſa. Præclara multa, occaſione ex eorum ſcriptis arrepta, de affectibus & rarioribus, & vulgariter graſſantibus, diſſeruntur, ſcilicet de inflammatione & abſceſſu, tam in mediaſtino, quam pericardio, de pericardii hydrope, de gulæ paralyſi, de bronchocele, de hydrocephalo, de paracenteſi in hydrope, de calculi extractione e mulieribus. Inſtrumenta Chirurgica ad operationes ſingulas idonea ab *Albucaſi* primum deſcripta, & figuris delineata, memorantur. *Albucaſis* idem cum *Alſaharavio* eſſe traditur. In vita placitisque *Averrhois* complures errores, a *Bailio* admiſſos caſtigavit *Freindius*, ratus nimirum, Arabis ejus ſcripta nunquam a *Bailio* perlecta, ſed varias potius narrationes, & putidas ſæpe fabulas, ex variis Autoribus collectas eſſe, ut *Averrhoes* in ſuſpicionem impietatis & religionis contemtius habitæ adduceretur. Qua in re nunquam cum *Bailio* conſentiat,

tient, qui Arabis libros diligenter pervolverunt. Variolarum, inter Arabas primum ortarum, deſcriptio, & diverſa genera, & prognoſis, & curandi norma, uberius a *Rhaze*, quam a quodam alio veterum, expoſita habetur. Arabes tam in eruptione, quam in declinatione, puſtularum, re exigente, neque ſanguinem detrahere, neque purgationem præcipere, dubitabant. Hi quidem Græcorum veſtigiis preſſe inſtiterunt; tamen præter alia ſingularia, ex eorum Commentariis a *Freindio* excerpta, hoc idem præſtiterunt, ut & leniora multa catharcticorum genera nobis indicarent, & moderatius, quam a Græcis factum eſt, ſanguinem nos educere condocerent. Chymia apud illos ortum habuit. Multæ utilium medicamentorum compoſitiones iis debentur, quæ etiamnum in pharmacopœis omnibus locum habent. Poſteriori tempore Chymiæ introductio *Rogerio Baconi* tribuitur. Ille etiam primus vitrorum ſphæricorum concavorum naturam clariſſime explicuit, atque vim eam, quæ res longe diſſitas combureret. In Libro de perſpectiva Optices ſingulas partes auxit, de luminis reflexione & refractione diſſeruit, cameramque obſcuram, & omnia vitrorum genera, deſcripſit, quæ objectum vel augeant, vel minuant, vel ad oculum propius adducant, vel ab eo longius removeant; atque inter cetera tubi optici, vel teleſcopii, uſus ei plane cognitus fuit. Ille faſtos emendavit. Ille pulveris Pyrii compoſitionem ac vim primus tradidit, ut noſtro quidem Autori videtur. Magna etiam cura notavit, qua primum forma lues venerea comparuerit, & quemadmodum hanc poſtea variaverit, quos progreſſus fecerit, & quænam recentes medendi rationes tentatæ fuerint ad ſiſtendam novæ hujusce peſtis violentiam. Igitur hanc delineat, prout ſeſe per annos quinquaginta aut ſexaginta ab ortu ſuo in his regionibus oſtenderit; unde perſpici poteſt & opinio, & praxis eorum, qui hoc tempore vixerunt, & quidquam de ea literis mandarunt. Neque minus hernia carnoſa, ac veteres novique lithotomiæ modi ſub disquiſitionem vocantur. Accedunt in fine Operis Vita *Gabrielis* filii *Bachtiſhua*, filii *Georgii*, ex Arabico Latine reddita a *Salomone Negri*, Damaſceno, variaque documenta ad illuſtrandam Hiſto-

Digitized by Google

Hiſtoriam medicam comparata, & Autorum rerumque in eandem Index; quem tamen non in univerſa *Freindii* Opera eſſe additum dolemus. Sed hæc ſufficiant. Neque enim, ut antea jam profeſſi ſumus, animus erat, Lectorem ita ad has dapes admittere, ut ſatietatem inde capiat, ſed famem tantum accendere, & velut promulſide quadam ad plenam cœnam invitare.

RIFLESSIONI DI FRANCESCO MARIA SPINELLO, Principe della Scalea, &c.

h. e.

MEDITATIONES FRANCISCI MARIÆ SPINELLI, Principis della Scalea, de maximi momenti argumentis, e Philoſophia prima petitis, conſcriptæ occaſione Primæ Partis Libri, qui inſcriptus eſt: Diſcorſi Critici Filoſofici, &c. i. e. Diſſertationes Critico Philoſophicæ de Philoſophia antiquorum & hodiernorum Sapientum, elaboratæ a PAULO MARIA DORIA.

Neapoli, in officina Felicis Moſca, 1733, 4 maj.
Alph. 2 pl. 19.

Elegans & frugis bonæ plenus, quem producimus, Liber, Auguſtiſſimo Imperatori *Carolo VI* ab Autore illuſtri dicatus, Metaphyſicas *Carteſii* Cogitationes a non incelebris Mathematici & Philoſophi, *Pauli Mariæ Doria*, accuſationibus ut vindicaret, compoſitus eſt. Scilicet, quod in rebus fieri ſolet, quæ novitatis ſpeciem aliquam præ ſe ferunt, non defuere Italiæ, optimorum in quavis arte ingeniorum feraciſſimæ, Viri, qui *Carteſio*, ex quo ejus doctrinæ eo penetraverant, aſſenſu ſuo adſtipulati ſunt; nec contra alii, quibus ejus Philoſophia periculi & erroris ab omni parte ſuſpecta videretur; imo nec qui publice illam objectionibus impeterent, quin & deteſtarentur. Uti his poſtremis acceſſit, quem modo nominavimus, Mathematicus, ob varias inventiones novas, ab ipſo orbi eru-

dito

Digitized by Google

dito oblatas, ſed diverſiſſimis judiciis exceptas, clarus; ita primis non immerito accenſendus Princeps, cujus Librum, tantum ſua, quantum Autoris, dignitate conſpicuum, volvimus; imo illis velut egregii exercitus Dux præficiendus eſſe videtur, utpote qui non ſatis habuit, ſuum Philoſopho addixiſſe aſſenſum, ſed & quod pietatis in magiſtrum, quem ſequitur, erga veritatem religionis eſt, ſuſcepit in ſe defenſoris munus, ejusque intrepidi, feliciſque adverſus argute excogitatos aggreſſus. Cl. *Doria* de modo, quo ipſe Philoſophiæ operam dederit in Introductione ad Diſſertationes ſuas Critico-Philoſophicas de Philoſophia antiqua & nova, nonnulla præfatus, refert, ſe, celebritate novæ hujus Philoſophiæ motum, perlegiſſe *tres priores* Meditationes Philoſophicas *Carteſii*, poſt cum *Epicureis* quibusdam, quos fingit, Philoſophis congreſſum, de Deo & Univerſo diſceptaſſe, argumentis e *Carteſio* deſumtis, cumque fere ab illis victus diſceſſiſſet, defenſionem ejus Philoſophiæ, quam Adverſariis prælegeret, exaraſſe calamo, ſed & hanc a quodam *Spinozæ* aſſecla ita ſolutam retuſamque eſſe, ut ipſe convictus fateretur, ſtraviſſe *Carteſium* viam ad infeliciora dogmata, quibus creator cum univerſo confunditur: qua in ſententia, perlectis *poſterioribus tribus Carteſii* Meditationibus, multum eſſet confirmatus. His in Præfatione fuſius commemoratis, in *prima Parte* ſuarum Diſſertationum Critico-Philoſophicarum ſingulas ſex *Carteſii* Meditationes ſuis impugnat objectionibus, ut, quæ ante ſummatim contra eum diſputaverat, per articulos propoſita, luculentius producerent periculum, in ejus doctrina latens. Quæ contra omnia inſurgens Autor noſter, Opus ſuum in *duas* diſpertitur *Partes*, quarum *prima* Præfationi Adverſarii oppoſita, quæ cumulatim objecta fuerunt, diluit, *poſterior* pro Meditationum *Carteſianarum* ſerie numeroque diſpoſitas accuſationes retundit. Inter generales Reſponſiones hæ fere ſunt præcipuæ: provolaſſe *Doriam* præcipitanter ad diſceptationem quæſtionum, quæ e ſolis *tribus prioribus* Meditationibus *Carteſii* nondum perſpici, nedum ſolvi, poſſint; præoccupato contra *Carteſianos*, qui duplicationi cubi, ab ipſo propoſitæ, aſſenſum denegarant, animo ad legendas Meditationes

tiones acceſſiſſe, *Carteſii* verbis longe alias, quam quas ipſe ſoverat & declaraverat, notiones ſubdidiſſe, quin & nova intuliſſe diſceptationi vocabula, a quibus Philoſophus conſulto abſtinuerit, ſemina infauſti erroris *Spinozæ*, aliunde collecta, puros in agros ipſum projeciſſe, & ſua culpa eo anguſtiarum compulſum fuiſſe, ut horrida *Spinozæ* dogmata detrectare non poſſet. Præcipue in eo ſibi viam ad errorem aperuit, dum ſubſtantias & modos, ſolerter a *Carteſio* ſeparatos, unico productionum, eoque ſatis æquivoco, nomine involvit, rerum a Deo creatarum appellationem perhorreſcens, & neſcio quam eductionem crepans, locoque creationis infeliciter ſurrogans. Succinctam vocabuli productionis, hoc ſenſu uſurpati, hiſtoriam Autor noſter condit, oſtendens, quantis turbis & in Theologiam & in Philoſophiam invehendis uſus ejus incautus occaſionem dederit. Uberiorem excuſſionem poſt hæc inſtitutam deprehendimus unitatis illius, ſub quam Cl. *Doria*, quicquid eſt rerum, *Spinozam*, ut *Carteſio* ægre faceret, imitatus, cogere allaboravit: dum effatum: Unicam eſſe veritatem, quam ultra citraque conſiſtat falſum, male ita interpretatur, quaſi nulla darentur varia veritatum genera. Præcipue egregiam anatomen exhibet Autor modi, quo omnia, ſubſtantias, earum attributa & proprietates, modos denique & relationes, ſub unitatem quandam revocare ſtudent, qui *Spinozæ* favent. Nimirum in corporibus præter extenſionem plurima animadvertimus primo obtutu, veluti materiam, ex qua conſtant, figuram, qua circumſcribuntur, duritiem, qua impreſſioni factæ reſiſtunt, colorem, quo a luce colluſtrata tinguntur, motum, & alia. Sed, cum ex his plurima non tam neceſſario corporibus inſint, ut, ſi abeſſent, corpus nullum remaneret, reliquis mutabilibus omnibus ſeparatis, id unum, quod ſolum conſtans eſſe putant, retinent, extenſionem puta, qua corporis naturam omnem abſolvi arbitrantur. Notat Autor opportune, his omnibus conceſſis, nondum ſequi, corpus tale, quod ſola extenſione conſtaret, nulla alia qualitate inſtructum, exiſtere poſſe. Potius ſic notionem corporis abſtractam nanciſcimur, cui tali, qualis concipitur, & ſine omni alia proprietate &

K modo

modo, exiſtentia omnino repugnat. Extenſio competit omni corpori, ſed ſola nunquam exiſtit, potius, quando exiſtit, variis veſtitur modis & determinationibus individualibus. In mentibus contemplandis iterum varia deprehendimus: percipiunt, judicant, ratiocinantur, cupiunt, lætantur, & quæ reliquæ ſunt mentis affectiones. Id quod iis omnibus commune eſt, ſui eſſe conſcium, naturam mentis conſtituere cenſetur. Sed nec ens, quod ſui ſit conſcium, nec ſaltem aliquibus affectionibus recenſitis re ipſa præditum ſimul ſit, exiſtere poteſt. Subſtantia ſui ſolum conſcia apta quidem eſt, quæ has omnes affectiones, quarum quasdam exemplorum loco nominavimus, ſuſtineat, nullam tamen præ reliquis re ipſa adhucdum ſuſtinet. Poſtquam, qui a *Spinoza* præoccupari ſe patiuntur, ad duplicem hanc claſſem rerum, extenſarum & ſibi conſciarum, revocarunt omnia, ulterius abſtrahendo adſcendere pergunt, id quod utrique huic claſſi commune ineſt, inquiſituri. Cumque nihil utrique ſimul convenire deprehendant præter exiſtentiam, atque negari omnino nequeat, res tam extenſas, quam cogitantes, dum exiſtunt, ſubſtantiarum nomine jure meritoque inſigniri; non exiguo in argumentando hiatu tranſilientes, ſibi confeciſſe videntur, non dari niſi unicam ſubſtantiam, cujus attributa eſſe debeant tum extenſio, tum cogitatio. At quis non videt, ex eo, quod corpora & mentes ſint ſubſtantiæ, plane perperam elici, ſubſtantiam dari non niſi unam? Contradicit hæc concluſio poſitis præmiſſis: ſi enim non ſolum res materiales, ſed & immateriales, proprie ſubſtantiæ eſſe, & per ſe ſubſiſtere, dicuntur; manifeſto duo ſubſtantiarum genera admittuntur, quæ in concluſione tolluntur, qua non ſolum (liceat ita loqui,) unicitas generis, ſed ipſius ſubſtantiæ unitas, ſtabilitur, plurium ſubſtantiarum exiſtentia, quæ modo admiſſa fuit, rurſus ſubverſa. A modis, de quorum exiſtentia ſenſus nos certiores reddunt, recte argumentamur ad rem, quæ modos ſuſtineat. Quis negabit, rotunditatem, rubrum colorem non exiſtere, niſi in ſubjecto aliquo, quod ſit rotundum, quod ſit rubri coloris? Sed, ſi argumentando ad ſubjectum illud, cui modi inſunt, deſcenderimus, comparatione inter ejusmodi ſubjecta varia inſtituta,

ſtituta, & excerpendo, miſſis variabilibus, conſtantia, nunquam cogitatione ſubſtantiam, vel exiſtens ens, complectemur. Si propoſitio: Non dari niſi unicam ſubſtantiam, ad modum, quo deducitur, exigatur curatius, illius nullus alius prodit ſenſus, quam hic: Solas ſubſtantias exiſtere; quo pacto effatum obtinemus tale, quale Philoſophis identicum dicitur, ob eandem notionem & ſubjecto propoſitionis & prædicato reſpondentem. Si enim res hæc ad vivum reſecetur, & notio, quam de ſubſtantia tenemus, quod ſit nihil aliud, quam res exiſtens, pro vocabulo ſubſtituamus; pro dicto: Solæ ſubſtantiæ exiſtunt, talem obtinemus ſententiam: Solum res exiſtentes exiſtunt: veram quidem enuntiationem & omnibus concedendam, ſed a ſenſu, quem *Spinozæ* propoſitioni: Unica ſubſtantia exiſtit, indidit, toto, quod ajunt, cœlo diverſam. E ſimili fonte emanaſſe oſtendit Ill. Autor errorem, quo nonnulli noſtra patrumque ætate ducti ſunt ad affirmandum: Nullam aſſequi nos poſſe ſubſtantiæ notionem; percipere nos non niſi modos & attributa rei, non rem ipſam unquam; vagum ſubjectum ac plane ignotum ſubſtitui veluti ſuſtentaculum horum modorum & attributorum. Quidam, his parum contenti, & ultra metam hanc ferocius progreſſi, aſſeruerunt: Eſſe ſubſtantiam ſolum coagmentationem neſcio quam & commixtionem variorum modorum & attributorum, quibus nulla certa lege inter ſe junctis conſtaret ſubſtantia. Aſſertio periculo haudquaquam vacua, & cum *Spinozæ* ſenſis apprime conſpirans! Sic enim non ſolum ex quovis quidvis fieri, ſed & rei extenſæ cogitatio, cogitanti extenſio, augmenti quaſi loco pro lubitu ſuperimponi & adjungi poſſe videtur. Belle hæc reprimit Autor, oſtendens, modos & attributa plane ut partes integrantes ſubſtantiæ, ſeu ſubſtantiam componentes, conſiderari non poſſe. Sunt modi diverſæ naturæ ab attributis, præcipue conſtitutivis & propriis, quod jamjam *Ariſtoteles* diverſo de utriſque loquendi modo declaravit: dum attributa ait de ſubjecto dici, modos ſubjecto ineſſe, diligenter ſervato hoc enuntiationum diſcrimine. Quis, quæſo, figuram, modum, extenſionem, gravitatem, duritiem, colorem, ut partes integrantes conſiderare poteſt, quibus mo-

tus lapis, quaſi ex totidem fruſtis conjunctis & juxta ſe poſitis componeretur? Eadem potius res extenſa figura terminatur circumſcribiturque, motu transfertur, gravitate deorſum terramque verſus tendit, colore oculos ferit, duritie digito prementi reſiſtit. Eadem ubique res, ſed ſub diverſo reſpectu conſideratur. Sic attributa ſunt vere res ipſæ, ſed ſub conſtantis alicujus proprietatis ratione conſideratæ, miſſis reliquis, quia omnia, quæ rei inſunt, ſimul cogitatione complecti vel nolumus, vel nequimus, varietate utpote obruti. Nec anima cogitatione, ſenſu, ratiocinatione, cupiditate, dolore, &c. tanquam partibus conſtat: ſed, quando cogitatio ut attributum ſpectatur, res ipſa ſub χέσει ejus, quod ei conſtanter adeſt, concipitur, miſſis, quæ mutari & interdum abeſſe poſſunt: interim hæc ipſa res cogitans modo ſentit, modo ratiocinatur, modo cupit, modo dolet. Nec illud ſilentio prætereundum eſt, refutari ab Autore commentum, quod ſupra tetigimus, quaſi ſubſtantiæ unius attributa ſint generalia, extenſum eſſe, ſuique conſcium eſſe, etiam eo argumento, quo attributa rei cujusdam inſeparabilia a ſe invicem eſſe, neutrumque ſine reliquis omnibus poſſe exiſtere, evincitur. Ut exemplo ſolum rem declaremus, attributum corporis eſt, trina pollere dimenſione; corpus omne longitudine, latitudine, ac profunditate, ſeu altitudine, gaudet. In rerum natura non datur longitudo ſine latitudine, & neutra, imo nec ambæ ſine profunditate exiſtere poſſunt. Quod una aliqua ex his tribus dimenſionibus deſtituitur, æque corpus dici nequit, ac id, quod omnibus tribus deſtitueretur. Res omnis exiſtens aut nullius dimenſionis eſt, quales res incorporeæ ſunt, aut trium, qualia corpora. Igitur, ſi cogitatio & extenſio attributa unius ejusdemque ſubſtantiæ forent, ſemper ambæ conjunctæ futuræ eſſent, nullaque res daretur extenſa cogitationis vi non prædita, nec ſibi conſcia extenſionis expers. Quod utrumque cum *Carteſius* data opera everterit, diſcrimen illud infinitum, quod mentem inter materiæ expertem & corpus extenſum intercedit, diſtinctius multo, quam ante ipſum factum fuerat, ſtatuminans, quam valide *Spinoziſmo* poſt ejus fata naſcituro aditum omnem quaſi

præ-

præſtruxerit ſua Philoſophia, in aprico ſane poſitum eſt. Parum quoque opportune inſtat Cl. *Doria*, *Carteſium* non explicuiſſe, quo pacto mundi fabrica orta ſit, quam rem tamen explicare ſuſceperit, & admiſſis omnibus iis, quæ ipſe fingat, nondum inde elici poſſe modum generationis, quo hic, quem miramur, rerum ordo exſtitit. Etenim, modum creationis perſpexiſſe, humani ingenii vim multis excedit paraſangis: imo, niſi fallimur, labor eſt vel angelicis humeris tremendus. Si verum fateri fas eſt, nimium aliquanto indulſiſſe ingenio videtur *Carteſius*, fabricæ mundi explicandæ intentus: hypotheſibus nonnihil ultra quod fas eſt confiſus, quas ſerior ætas pleraſque reprobavit. Verum nec illi merito affligitur incuſatio criminis, quod rem aggreſſus ſit, quam ſummum Numen ſibi reſervaſſe propriam, credibile eſt. Tentavit aliqualem explicationem, nec, ſi ita placet, ſatis feliciter: perveſtigationem plenam nec ipſe, ſi ſapuit, a ſuis moliminibus exſpectavit. Satis eſt intellectui humano, forſan & finito omni, argumentis convinci, e nihilo omnia a Deo creata eſſe: quali modo, perfecte noſſe, nec attinet quidquam, nec convenit. Sed hæc ex *prima* Libri elegantiſſimi *Parte* excerpſiſſe ſuffecerit, qua, præter multa momenta, non minus memoratu digna relatis, infinitam illam ſubſtantiam, quam ſibi *Spinoziſtæ* in ſua unica inveniſſe videntur, nec exiſtere, nec exiſtere poſſe, demonſtratur, quia non abſtracta ſolum notio eſt, ſed ex abſtractis notionibus, novaque momentorum diſcrepantium in comparatione omiſſione, formata; ulla vero notio, ex individuis, ſeu rebus exiſtentibus, per abſtractionem excerpta, & per omiſſionem & mente factam rejectionem multorum modorum, ſine quibus res nulla exiſtere poteſt, ab illis detracta, rei exiſtenti amplius convenire nequit, utpote ex ea quidem deſumta, ſed per omiſſionem hanc ipſam inſigniter mutilata, eoque quidem inſignius, quo altiores abſtractionum gradus ſupergreſſi fuerimus in illa formanda. Imo, quoniam unica illa ſubſtantia *Spinozæ*, quam & infinitæ nomine male, & tantum non ſacrilegio admiſſo, cohoneſtat, dum mente formabatur, ſummam abſtractionum metam, ultra quam ne imaginatione quidem progredi cuiquam

 licet,

licet, omnino attigerit, eam ideo quoque inter omnes reliquas notiones abſtractas locum ab exiſtentia remotiſſimum occupare, tam eſt certum, quam quod certiſſimum. Fere omnes Deo ſoli debitas proprietates, in hanc abſtractam unitatem ſubſtantiæ translatas, præter omnipotentiam, quis feret ſine indignatione adverſus errorem, miſeratione erga errantem concepta, falſis ratiociniis vel inſcium deluſum? Etenim, cum nihil præter hanc ſubſtantiam unicam, infauſto auſu etiam pro æterna venditatam, exiſtat, quis creationi, productioni rerum ex nihilo, deſtructioni rerum finitarum, & aliis omnipotentiæ, ſi exercetur, effectibus, locus relictus eſt? Hinc putide modificationum unicæ ſubſtantiæ figmenta, hinc innumerus impiarum nugarum cumulus exſurrexere. Sed diutius, quam fert paginarum nobis præſtitutarum ſpatium, his fere immorati, hoc ipſo tranſitum ad *ſecundam* Libri noſtri *Partem* maturandum eſſe monemur. Cujus cum rationem & ordinem ſupra jam indicaverimus, nihil reſtat, quam ut etiam ex ea ſpecimina nonnulla breviter quidem, ita tamen, expromamus, ut ne Lectores fructu utiliſſimarum doctrinarum, quibus ea eſt refertiſſima, omnino cenſeri poſſimus defraudaſſe. Et, quemadmodum exempla antea expoſita pleraque fere omnia ad theoriam ſpectabant, ita miſſis, quæ nec hic deſunt, theoreticis, practicas quasdam regulas *Carteſii* ab abuſibus, quos Cl. *Doria*, vel ſerio, vel ſecus, tuitus eſt, vindicatas, paucis referemus. Suaſit Philoſophus amatoribus veritatis, ut continerent aſſenſum in rebus obſcuris, nec illum prius impertirentur, quam clara & diſtincta foret rei dijudicandæ cognitio. Nec tamen eo id ſibi voluit, condemnandum eſſe animum ad inutilem quietem, otiumque, cognitioni acquirendæ, quam quod maxime, adverſum. Sunt quidem rerum omnium primo obtutu hauſtæ notiones obſcuræ ſatis, confuſæ, intricatæ: nec tamen tenebræ, quibus involvuntur, æque craſſæ ex omni parte, æqueque undique craſſæ ac imperviæ ſunt. Obſcurior quædam lux quaſi per clariora hinc inde intervalla perlucet, parteſque aliæ aliis lucidiores apparent. Has apprehendere, has tenere, has extrahere, & a minus lucidis magis magiſque ſeparare animum oportet. Penitius involvuntur tenebris,

Digitized by Google

nebris, qui omnes undiquaque una opera diſpellere conantur. Per partes res tentanda eſt, nec lumen, licet ſubobſcurum, acie ad alia diſtenta, dimittendum. Utamur exemplo, quo noſter Autor hæc declarat, cui ſimilibus plurimis, iisque præclariſſimis, abundat ejus Liber. Nauta, portum, quo navem in ſalo fluctuantem appellat, circumſpiciens, tenebrioſam quandam partem horizontis reliquis altiorem e longinquo cernit. Si cauſatus, ſpeciem hanc nebulæ eſſe poſſe, in nubibus conflatæ, curſum navis eo dirigere intermiſerit, incertus porro jactabitur cum rate ſua vaſtum per pelagus. Sed perobſcurum ſignum in horizonte elatum, quamvis dubium, cum æque denſæ nebulæ, quam promontorii vel terræ indicium eſſe poſſet, parum neglecturus, ubi paſſis velis verſus illud tendat, propinquior factus dubio animi ſtatu liberabitur, atque etiam, ſi fors montis ſpeciem objecerit, ad terram appellet. Adeo nec obſcura, nec dubia, veritatis veſtigia ſatis tuto ſpernuntur: illa potius intenſiore conſideratione illuſtranda, hæc ſolicitius excutienda ſunt. Sed rerum evolvendarum pars non niſi una ſimul conſideranda eſt, & judicium de partibus nondum ita expenſis, ut error eo certius averruncetur, ſuſpendendum. Harum regularum uſum, ad electionem certi alicujus vitæ generis, unde hominis adverſa vel ſecunda fortuna pendet, applicatione inſtituta, commonſtrat Autor, qua in re nos ipſum ſequi non poſſe, dolemus. Nihil ultra adjicere licet, quam tractari præ reliquis paulo fuſius has quæſtiones: quantum oporteat retinere vocabulorum ſignificatus jam introductos? quæ ſit definitionum natura? an noſtri cognitionem juſtam, non advocata in ſubſidium notione entis perfectiſſimi, a quo dependeamus, conſequi poſſimus? quam ſit vera regula: quicquid clare & diſtincte concipitur, verum eſt? qualis origo humanorum errorum? unde certitudo omnis cognitionis petenda? quot judiciorum genera dentur? quam multum influant Dei attributa in noſtram cognitionem omnem? quomodo differant ideæ innatæ, adventitiæ, factitiæ? quantum valeat argumentum pro Dei exiſtentia e natura entis perfectiſſimi repetitum? quam parum obſtent imperfectiones partium perfectioni univerſi? quis boni mali-

Digitized by Google

maliqueſ fons? errores voluntatine an intellectui debeantur? qui probanda rerum corporearum exiſtentia? datumne ſit homini, noſſe differentiam animum inter ſuumque corpus?

ILLUSTRIS S. R. I. BARONIS, LEOPOLDI PILATI, Eccl. Cathedr. Trident. & Jaurinenſis Canonici, S. Adalberti Præpoſiti, ad ADULPHUM, Jaurinenſem Epiſcopum, Epiſtola de conciliandis annis Juliano & tropico; una cum Annotationibus GEORGII ERHARDI HAMBERGERI.

Jenæ, 1734. 4.
Plag. 2.

Ut de inſtituto & ingenio Ill. Autoris eo rectius judicare Lector poſſit, integram fere ejus Epiſtolam, quippe ſatis brevem, & minime vulgarem, Cl. *Hambergero* magnopere probatam, huc transſcribemus, de Annotationibus deinceps dicturi. Ita autem ille: *Pace tua, doctiſſime Vir, novam veteris argumenti opinionem felici conſilio pandam. Vetus argumentum ſitum eſt in anno 709 ab U. C. quem C.* Julius Cæſar *ex diebus 365, horis 3 integris, ad biſſextum quarti anni diem inſtituit. Cum autem verus ſolis curſus Juliano calculo citior ſit, evenit Æ. V. 1582 anno, ſolem 10 integris diebus praiviſſe, ut nempe vernum æquinoctium in Calendario, neque Paſcha rite apud nos amplius coleretur. Tunc* Gregorius XIII, *deletis illico decem bis diebus, poſitaque lege, ne tribus ſeculis non omitterentur conſueti tres biſſextiles dies, qui biſſextus quidem dies quarto quovis ſeculo fixus hærebat, graviſſimo errori plus quam ſatis ſe providiſſe arbitratus eſt. Cautio ſuſpendit malum, non tollit, quemadmodum brevi exponam. Nova opinio ſempiternum remedium offert, ſi faciles præbueris aures &c.* Cæſar, *ſuo ductus arbitrio, ſolis vias nullas petiit. Ductorem ſequentes malum, quantum a recto tramite non divagantur? Alienas ſemitas nemo non deplorat. Conſtantienſes, Baſileenſes, Tridentinos clamantes Patres audio. Quærunt antiqua veſti-*

Digitized by Google

veſtigia, errantes revocant, ſegnes excitant. Occurrit Gregorius XIII. Ignotum monſtrantibus peritis, vix tutum indicat iter. Quid facto opus? Minus procul diſtamus: in via non ſumus. Ego vero cum ſole redux, vix non ipſa ſolis veſtigia calco, & qua licet, multis latentem ſeculis callem carpo, ad ſemitam ſto proximus, in eadem magni ſideris via me juſtum curſum currere mihi videor. Io; ne ceſſa &c. Propoſitio ad conciliandos annos Julianum & tropicum: Quotannis tropicus deficit, vel præcedit civilis in ſcrup. 11, quia annus ſolaris tropicus, ſive Aſtronomicus, facit dies 365, hor. 5, ſcrup. 49: civilis, ſive Julianus, dies 365, hor. 6 integras: 4 ſex horæ conſtituunt diem, qui tamen quovis anno quarto deficit, in ſcrup. 44. Hi quovis Seculo dant ſcrup. 1100, i.e. hor. 18 ſcrup. 20. Jam vero quovis Seculo quarto numeramus ſcrup. 4400, qui faciunt hor. 73, ſcrup. 20. Etiamſi quovis quarto Seculo Gregorius XIII detraxerit dies 3, adhuc ſupereſt hor. 1 ſcrup. 20, quibus civilis quovis quarto Seculo tropicum antevertat. Ab A. 1582 correct. Gregor. ad annum hunc 1734 fluunt anni 152. Per annos 152 computando quotannis ſcrup. 11 habebis diem 1 hor. 3 ſcrup. 52, ſed A. 1700 omiſſus eſt dies. Itaque manent hor. 3, ſcrup. 52, quibus ad finem A. 1734 tropicum præcedet civilis annus. Clemens XI animadvertit errorem, quem ipſe Aloyſius Lilius prædixit. At neuter emendavit. Remedium: Ab A. 1582 (quo anno finito ſupponimus facile coiviſſe annum utrumque, vel nulla ſaltim notanda periculoſaque diſtantia laboraſſe,) ad A. 1713 exeuntem, fluxerunt anni 131, quos multiplicabis per 11. Exibunt ſcrup. 1441, qui conſtituunt hor. 24, ſcrup. 1. Sed A. 1700, qui juxta Julii Cæſaris computum biſſextilis fuiſſet, juxta proviſionem Gregorii omiſſus eſt biſſextilis dies: ergo civilis A. 1713 ſuperavit, ſive præceſſit tropicum ſcrup. 1. Hunc unicum ſcrupulum aut ſperne pro hac vice, aut uno ſcrupulo tardius numera ſequentem potius annum 1714; aſſecutus es, & æquaſti civilem cum Aſtronomico. Ab ineunte A. 1714 pro remedio temporum Epocham indicimus. Quolibet quarto anno biſſextilis maneat, quemadmodum Gregorius juſſit. Quolibet primo, ſecundo, tertio Seculo ineunte, non minus quam quarto Seculo ineunte, quan-

Digitized by Google

quandocunque quartus incidit annus, ille non intermiſſe biſſextilis eſto, præterquam quod Gregorius *juſſerit. Cum vero tropicus quotannis adhuc deficiat in ſcrup. 11, qui per annos 131 conſtituunt diem, & ſcrup. 1.* Quilibet centeſimus trigeſimus primus annus extra ordinem biſſextilis eſto; *qui conſuetum biſſextilium calculum non ingrediatur, in qualemcunque vel ante, vel poſt, ex quatuor annis conſuetus annus biſſextilis inciderit. Imo, ſi conſuetus biſſextilis annus incidit in memorandum hunc 131 annum, tunc Februarius illius anni habeat dies 30, ſicuti reliquorum biſſextilium Februarius habet dies 29. Supereſt ſcrup. 1, quem ſpernere multis Seculis tutum amplius non eſt. Alias poſt annos 1440 ſcrup. 1 facit diem: qui primo contingeret Æ. U. an. 3154. Ideo uno ſcrupulo tardius annum 1714 ineuntem numeraſti, ut inpoſterum aſſequaris, & ſemper æques civilem cum Aſtronomico. Aut eadem cautela neceſſe foret quolibet anno 1440 diem integrum adjungere &c. Annus ille 131 perpetuis temporibus ſingulari appellatione dignus eſt, quem ideo* magnum biſſextilem annum *pronuntiamus & devovemus.*

RUBRICA PERPETUA:

Sume Epocham	1714	
Adde	131	
Summa	1845,	primus annus magnus biſſextilis.
	131	
	1976,	annus alter.
	131	
	2107,	annus tertius, &c.

Hactenus Epiſtola *Leopoldi Pilati*, quam ejus ipſius verbis fideliter exhibuimus, ne quid forte non recte aſſecuti videamur. Reſtat, ut de Annotationibus Cl. *Hambergeri* rationem reddamus. Optandum ille putat, ut S. R. I. Electores, Principes, atque Status, hunc reducendi annos civiles ad ſolarem modum, quo meliorem negat dari poſſe, communi decreto adoptent.

Duo

Digitized by Google

Duo tamen ſunt, quæ ſummo jure monenda arbitratur. Quorum unum in eo conſiſtit, quod docet, poſt elapſos annos 131 non addendum, ſed ſubtrahendum, diem eſſe, ideoque annum quemlibet centeſimum trigeſimum primum non extra ordinem *biſſextilem*, ſed potius *antibiſſextilem*, conſtitui debere, i.e. talem, qui uno die minor ſit reliquis, ita, ut Februarius, ſi iſte annus vulgaris fuerit, 27 dies, ſin biſſextilis, 28 dies obtineat. Res oppido aperta eſt, cum anni *Juliani* 131, totidem annis tropicis, uno die non minores, ſed majores, ſint. De cetero, ſi anni *antibiſſextiles* non placuerint, reductionem fieri poſſe oſtendit Cl. *Hambergerus*, ſi annus biſſextilis, antibiſſextili proximus, mutetur in annum civilem ordinarium 365 dierum. Simile eſt alterum, quod Vir doctiſſimus contra Illuſtrem Epiſtolæ Autorem monet. Cum enim non ſinguli, ſed 131 demum anni *Juliani*, totidem annos tropicos, præter diem ſolidum, adhuc uno ſcrupulo ſuperent, hinc ſequi demonſtrat, non, ut *quolibet anno 1440 dies integer adjungi* debeat, ſed ut, elapſo tempore 131 vicibus majore, denuo ſit dies unus ſubtrahendus.

G. F. R. DE PRÆCEDENTE SCHEDIASmate Chronologico Judicium.

Res videntur eſſe potiſſimum duæ, circa ipſum argumentum Schediaſmatis ſuperioris animadvertendæ. Nam primo ſatis liquet, nec Mathematicos Gregorianos, nec alios Chronologos, hucuſque neſciviſſe, Calendarium *Julianum*, ſi anno cuivis tropico accurate competant dies 365, cum horis 5, & ſcrup. 49, ſpatio 131 annorum, uno die abundare. De cetero (ut eſt) multo elegantius & commodius viſum fuit reformatoribus *Gregorianis*, ſervata diſtributione quadripartita, ſingulos annos centeſimos ſingulis communibus annis, & ſingulos quadringenteſimos ſingulis quartis biſſextilibus æquare, atque adeo non quidem poſt annos 131, ſed aliquanto citius, videlicet quovis anno centeſimo, ſive ſeculari, diem unum ex Calendario *Juliano*, tanquam ſuperfluum, abjicere, id vero, quod hoc pacto nimium foret, poſt ſingula quatuor Secula, relicto die biſſexto,

Digitized by Google

rite compenſare. Nihil fieri poſſet hac methodo pulchrius
d. h.
atque exquiſitius, ſi vera tropici anni magnitudo eſſet 365. 5. 49′. 12″. Iſto enim pacto non 131, ſed $133\frac{1}{3}$ anni *Juliani*, uno die; quadringenti vero tribus diebus, totidem tropicos ſuperarent. Nec putandum eſt, annum tropicum ita definite repertum ab Aſtronomis eſſe dierum 365, cum horis 5, & ſcrup. 49, ut omnium conſenſu ne tantillo quidem major vel minor eſſe poſſit. *Dav. Gregorius*, *Clavio* & *Lilio* aſſentiens, expreſſe addit partem quintam unius ſcrupuli, ſive 12 ſcrupulos ſecundos, Aſtron. Phyſ. & Geometr. Lib. II. *Bullialdus* addit ſcrupulos ſecundos 4, *Vendelinus* 5, *Purbachius* 16. Contra alii de 49 ſcrupulis aliquid detrahunt. *Kepplerus*, *Landsbergius*, *Keilius*, ponunt 48′. 57″; *Wurtzelbauerus* 48′. 55″; *Hevelius* 48′. 50″; *Tycho* 48′. 45″; *Ricciolus* 48′. 40″: ut alios omittam. Atque hoc alterum eſt, quod obſervandum puto, quippe doctiſſimis Autoribus ſuperioris Schediaſmatis non quidem, ut opinor, ignotum, ſed tamen aliquanto minus, quam vellem, conſideratum. Perit enim omnino præclarum illud *Pilatianum* inventum, vel certe a methodo *Gregoriana*, quippe longe concinniore, & ad minimum æque exacta, haud dubie ſuperatur, ſi annus tropicus paulo minus vel amplius ha-
d. h.
bet, quam 365. 5. 49′. Quodſi *Hevelium* inprimis ſequi placuerit, quippe & ſummum Aſtronomum, & in calculis iſtis accurate ſubducendis ſolertiſſimum, neque a media via multum declinantem, demonſtrabo nunc paucis, quomodo præclare conſervari methodus *Gregoriana*, facilique & commoda ratione perfici poſſit. Sumamus igitur, veram anni tropici magnitudinem eſſe dierum 365, hor. 5, ſcrup. 48, & ſecundorum quam proxime 50, vel potius $50\frac{1}{2}$. Cum hoc pacto, poſt quatuor quæque Secula, in Calendario *Gregoriano* ſuperſint non horæ, ſcrup. 20, ſed hor. 2, ſcrup. 24, atque adeo poſt 4000 annos horæ 24, ſive dies integer, opportune demendus, conſtituatur lex hujuſmodi: *ut ex annis milleſimis, perinde ut ex centeſimis, quartus quisque biſſextilis ſit, ceteri communes.* Quia enim

enim alias anni milleſimi alternatim biſſextiles & communes eſſent, fieri per novam legem omnino neceſſe eſt, ut de ſpatio 4000 annorum unus dies diminuatur: nam anni 2000, 6000, 10000, 14000, pro biſſextilibus huc uſque numerati, nunc communes fient. Si hæc ita recte ſe habent, non tamen ante annum 6000 a vulgata methodo diſcedendum arbitror: nam dies, A. 2000 omittendus, jamjam videtur haberi poſſe pro omiſſo. Fingamus enim, Calendarium noſtro & *Gregoriano* ſimile, jam 2000 annos ante æram Chriſtianam uſurpatum, tempore Concilii Nicæni, cum Calendario *Juliano* conſenſiſſe, ſubducto calculo patebit, præſenti tempore non amplius, quam 10 diebus, iſtud Calendarium differre a *Juliano* poſſe. Differt autem noſtrum diebus 11; non aliam ob cauſam, quam propter diem, A. 2000 omittendum. & jam maximam partem completum, ideoque nuper a noſtris Calendarii reformatoribus ſimul cum reliquis ſublatum. At, inquies, quid fieri oportebit, ubi conſtiterit, calculum *Hevelianum* a vero aliquantum diſſentire? Dicam: Si levior diſſenſus, ſervanda methodus propoſita; ſin talis, ut calculus *Gregorii* vero propior, in hujus ſimplici decreto acquieſcendum erit: quippe cum hoc pacto per plurima annorum millia nullus exiſtere error corrigendus poſſit. Cetera tam remotorum Seculorum homines, ſi qui ſunt futuri, viderint. Itaque hæc mea eſt ſententia, quam candide expono: in Calendario *Gregoriano* intercalandi rationem cuivis alii, atque etiam ipſi *Gelalææ*, ceteroquin præſtantiſſimæ, anteferendam, planeque tenendam eſſe; at epactarum methodum, quantumvis a *Bettazzio* & aliis ornatam ac correctam, propter rationes, in enarratione Operis Paſchalis *Bettazziani* a me allatas, (vid ſupra in *Actis A. 1734 Menſ. Sept. pag. 424.*) vix ac ne vix quidem videri approbandam.

CCCXVI OBSERVATIONES DE LUMINE Boreali, ab A. 1716 ad A. 1732, partim a ſe, partim ab aliis, in Suecia habitas, collegit ANDR. CELSUS, in Acad. Upſal. Aſtron. Prof. Reg. & Soc. Reg. Scient. Suec. Secret.

Digitized by Google

Norimbergæ, apud W. Maur. Endteri hæredes, filium Mayeriam, hujuſque filium, 1733, 4.

Plag. 7½.

Singularis plane divini Numinis providentia elucet ex admirando illo meteoro, quod a populis Septentrionalibus, *Nordlius*, *Nordskien*, *Nordblys*, *Nordbloſſ*, *Lyſnor*, *Lyſningar*, & *Lotterskien*, id eſt, lumen boreale; a *Gaſſendo*, voce nova & forte minus commoda auroræ, appellatur. Summam enim habet opportunitatem, ad longiores arctoas noctes, ſilente maxime luna, illuſtrandas. Non dubitat Cl. Autor illud ipſo polo arctico coævum ſtatuere: quippe cum ex plurimis monumentis ſatis conſtet, apparitionem ejus continuam eſſe regionibus polo vicinis, etſi non perpetuo eandem vim & magnitudinem habere videatur. Scilicet minora hujus generis lumina, (ut Noſter, cum Autore *Speculi Regalis*, antiqui Norwegici de Grœnlandia libri, judicat,) in Islandia, Grœnlandia, & boreali Norwegia; majora etiam in Britannia, Dania, Suecia, & interdum Germania, Gallia, Hiſpania, & Italia, conſpiciuntur. Porro apparitiones majorum luminum eſſe periodicæ videntur. Nam & Seculo XVI, inprimis ab A. 1560 ad A. 1588, itemque ſub initium Seculi XVII, perquam frequentia exſtiterunt: & noſtro tempore, poſt multorum annorum defectum, denuo velut recuperatis viribus, etiam in his terris, a polo longius remotis, identidem exſplendeſcere cœperunt, multorum doctiſſimorum hominum Obſervationibus concelebrata. Atque horum laudanda quidem diligentia, de cetero vero dolendum eſt, nullas huc uſque experientias fuiſſe publicatas, in ipſis regionibus arcticis hac de re factas. Id intuens Cl. *Celſus*, operæ pretium non immerito judicavit, præſentem edere Obſervationum Faſciculum, ab A. 1716 ad A. 1732, partim a ſe, partim ab aliis, de luminibus borealibus in Suecia, habitarum. Sex ſunt & decem ſupra trecentas: neque tamen dubitandum eſt, quin multo plura hujusmodi phænomena diligentiam Obſervatorum prætererint. Et claritas illa, quæ in horizonte Upſalienſi, omnibus fere noctibus ſerenis & luce inprimis crepuſculorum

lunæ-

Digitized by Google

lunæque privatis, conſpici verſus Septentrionem ſolet, in diarium a Noſtro plane non eſt relata. Quod ad ipſas Obſervationes pertinet, pleræque ſunt perbreves, adſcriptis tamen barometri altitudinibus, ventorumque & cœli ſtatu, pro die præcedente & ſequente. Ex quo ſatis conſtare videtur, aeris & ventorum conſtitutiones aut nullum, aut perexiguum, in producendo lumine boreali, habere momentum: nec frigus ſemper notabile cum eo conjunctum eſſe: nec mutationem tempeſtatis certam conſequi. De cetero plerumque aer deprehenſus fuit ſerenior, tranquillior, ponderoſior, atque ad vapores ſurſum pellendos apprime opportunus: præſertim cum ardere cœlum videretur: quod phænomenon a ſimplici ſplendore ſeptentrionali omnino diſtinguendum, & in ipſum fere aerem ſuperiorem earum regionum collocandum exiſtimamus, in quibus conſpicitur. Denique non raro aliquem ſibilum in aere exaudire, interdum etiam odorem neſcio quem percipere, ſibi viſi ſunt Obſervatores noſtri.

ELEMENTA PHYSICÆ, CONSCRIPTA IN uſus Academicos a PETRO VAN MUSSCHENBROEK.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmann, 1734, 8 maj.
Alph. 1 pl. 9, Tabb. æn. 21.

Nobiliſſ. Autor, de rerum naturalium ſtudioſis optime mereri pergens, Elementa ſua Phyſices denuo edidit, ea forma & perfectione, ut jure Librum plane novum dicere poſſis. Priorem editionem in *Actis* noſtris *A. 1726 Menſ. Nov. p. 505* laudavimus. De præſenti Opere hæc cumprimis notanda videntur. Præter inſignem copiam novorum ſelectiſſimorumque theorematum atque experimentorum, etiam delineatæ figuræ, & demonſtrationes adjectæ ſunt, antea omiſſæ. Multa loca luculentius Autor perſecutus eſt: in aliis ordinem, in nonnullis ſententiam mutavit. Matheſi quoque utendum duxit, ſed parcius: quippe in Elementis pro tyronibus conſcriptis. Hinc quædam

Capi-

Capita, quæ in priori Opere tetigerat, nunc omiſit; non quod inutilia putaret, (veluti de undis, de fluidorum reſiſtentia, percuſſione, & motu mixto,) ſed quia in iis ſubtiliores propoſitiones occurrunt. *Primum Caput* eſt de Philoſophia, & regulis philoſophandi. Phyſicam deſcribit, quod ſit ſcientia Philoſophica, quæ examinat omnia totius univerſi corpora, explorans eorum naturam, attributa, proprietates, actiones, paſſiones, ſitum, ordinem, vires, effectus, horumque cauſas, modos, magnitudines, uſus, origines, & ea Mathematice, quantum fieri poteſt, probans. Objecta Phyſices ipſi ſunt *corpus*, *ſpatium*, & *motus*. Spatium ſine corporibus vere exiſtere, infinitumque & creatum eſſe, ſtatuit. Inter attributa corporum, hactenus quidem cognita, præter extenſionem, numerat ſoliditatem, vim inertiæ, mobilitatem, quieſcibilitatem, figurabilitatem, gravitatem, & vim attractionis. In doctrina de attractione, itemque in Opticis, & multis aliis locis, *Newtonum* ſequitur. In æſtimandis viribus corporum vivis a *Leibnitio* non diſcedit. *Boerhaavii* veſtigiis paſſim inhæret, præſertim ubi de igne tractat. Ætherem, cui multi maximos in natura effectus tribuunt, pro re ficta habet. Quod fulmina non in nubibus gignantur, ſed paſſim in aere, atque adeo in ipſis locis fulguritis, *Maffeo* & *Richtero* noſtro aſſentiens, confirmat. Rorem non ſuperne decidere, ſed e terra exhalari, & ex ipſis plantis transſudare, exiſtimat, rationes & experimenta *Gerſtenii* probans, de quibus in *Actis A. 1733 Menſ. Jun. p. 276* diximus. Denique etiam in variis locis fateri haud veretur, ſibi non liquere, veraſque rationes necdum videri inventas. Minime dubitare licet, quin egregius hic Liber genuinis Phyſicis cultoribus magno ſit uſui futurus.

NOVA ÆSTUS MARINI THEORIA, EX Principiis Phyſico Mathematicis detecta. Cui accedit Examen acus magneticæ ſpiralis, inſtitutum a JO. FRID. BACHSTROHM, M. D.

Lugduni Batavorum, apud Conr. Wiſthoff, 1734, 8.
Plag. $5\frac{1}{2}$, cum Tabb. æn. 2.

Cum

Digitized by Google

Cum æſtuum marinorum cauſam *Gallilæus* in ipſo motu compoſito atque inæquali telluris, *Carteſiani* in preſſione lunæ, *Newtoniani* in attractione hujus ſideris, & ex parte etiam ſolis, quæſiverint, Nobiliſſimus præſentis ſcripti Autor, aliquid novi hac de re dicturus, ſpreta luna, ſolem pro vera & unica æſtuum cauſa habet. Rem ita imaginatur, ut ventum illum perpetuum orientalem, a motu ſolis vel terræ diurno excitatum, ſubjecta circa æquatorem maria, calore ſolis tumefacta, fluctuum forma, ante ſe & ad latera agere cenſeat. Horum fluctuum ſive undarum ſingulis latitudinem undecim circiter milliarium Germanicorum, tantamque celeritatem tribuit, ut eundo per illud ſpatium ad littora, atque inde relabendo, ſecundum tempus medium, horas 12, cum minutis primis 25, poſtulent. Inæqualitates æſtuum maximam partem ex natura undarum relabentium, inſequentesque deprimentium ac retundantium, deducere conatur. Denique undas commemoratas, per medium oceanum delabentes, eas ipſas eſſe contendit, quas nautæ *torrentes* vocare ſoleant. Omittimus, quæ Autor ad illuſtrandam ſuam theoriam, de natura & actione fluidorum, de calore, univerſa corpora expandente, itemque de origine & vi ventorum, in medium affert, nova pleraque, ut ipſe arbitratur, & partim communibus Mathematicorum placitis contraria. Quod vero attinet ad *acus magneticæ ſpiralis examen*, loco Appendicis huic Tractatui adjectum, de eo paucis notamus, Clariſſimum Autorem id agere, ut ad Cel. *Poleni* objectiones contra ſententiam Inventoris Pariſienſis, *le Maire*, (qui acum ſuam ſpiralem a declinatione & inclinatione liberam opinatur,) nova quædam dubia adjiciat, a centro gravitatis & ſitu polorum, in laudata acu difficulter determinandis, potiſſimum deſumta.

Reformation der Kirche in Engelland, ꝛc.

h. e.

ANTON. GUIL. BOEHMII, REG. CELS. GEORGII, Principis Danorum, quondam a Concio-

nibus ſacris, Libri VIII de Reformatione Eccleſiæ Anglicanæ, & quæ inde ab A. 1526 ſub HENRICO VIII & ſequentibus Regibus uſque ad CAROLUM II memorabilia in eadem contigerunt, nunc primum in lucem protracti, cum Præfatione JO. ALB. FABRICII, S. S. Theol. D. & P. P. in Gymnaſio Hamburgenſi.

Altonaviæ, impenſis Jon. Korten, 1734, 8.
Alph. 3 pl. 5.

Autoris nomen ex ſcriptis homileticis & aſceticis, quæ Voluminibus aliquot annis ſuperioribus junctim publicata ſunt, haud prorſus ignotum eſt: ac, ipſum quoque, dum viveret, ad argumenta hiſtorica perſequenda animum adjeciſſe, Liber præſens nobis comprobat. Argumentum, quod in eo ſibi tractandum ſumſit, haud omnino indignum commemoratione noſtra viſum eſt, ut proinde, curate de eo hic ediſſerere, nobis ſit conſtitutum. Adducemus vero ſumma tractationis capita, ut, quid labore hoc ſuo Autor noſter præſtare voluerit, Lector hinc intelligat; id ipſum vero num ab eo recte ſatis ſit præſſitum, curabimus etiam, ut ex ſubjunctis aliquot Animadverſionibus quodammodo ad oculum pateat.

Ex *Libris VIII*, in quos Autor Commentationem hanc diſtribuit, *primus* res eas perſequitur, quæ regnante *Henrico VIII* ab A. 1526 uſque ad 1546 cummaxime, contigerunt, de quibus *ſeptem* diſtinctis *Capitibus* tradit, ita quidem, ut *Cap. I* exponat cauſas præcipuas, quæ Reformationi Eccleſiæ Anglicanæ locum fecerint; quo nomine, poſt *Jo. Wicleſi, Walth. Lollardi*, atque *Jo. Coleti*, præludia, ſumma Cleri corruptio, immenſæ Pontificum exactiones pecuniariæ, ac Regium divortium, in cenſum veniunt. *Cap. II* de ipſa Reformatione, quales progreſſus ſub regimine *Henrici VIII* fecerit, de juriſdictionis Papalis, miraculoſarum imaginum, & itinerum ad eaſdem religioſorum, abrogatione; *Cap. III* de abolitione Monaſteriorum,

rum, Abbatiarum, & Domuum religioſorum Ordinum aliarum, de vanitate earundem & abuſu, & incolarum vita corrupta; *Cap. IV* de variis ſeditionibus, & aliis, quæ Reformationi obſtiterunt, impedimentis; quo inconſtans Regis animus, invecti ſex Articuli captioſi, *Lutheri* in Regem ſtilus durior, ac tragicus interitus Reginæ *Annæ Boleniæ*, referuntur; *Cap. V* de perſecutionibus, & aliis horum temporum difficultatibus, de *Rob. Barneſio*, *Gerardo Jerovio*, *Jo. Fritho*, *Thom. Bylnejo*, *Guil. Bindalio*, *Lollarditis*, *Anabaptiſtis* quibusdam e gente Belgarum, *Anna Aſkevia*, *Patrick Hamiltonio*, combuſtis, ejusdemque ſupplicii periculo, quod ipſa *Catharina Parria*, quinta, quam Autor numerat, Regis conjux, incurrit; *Cap. VI* de Bibliorum verſione & lectione in Anglorum lingua vernacula, variisque motibus, quos alii hoc inſtitutum probantes, alii improbantes, excitarunt, quibusque & Rex immortuus eſt; *Caput* denique *VII* de Doctoribus & Eruditis, *Thom. Cranmero*, *Thom. Moro*, *Jo. Coleto*, *Polyd. Vergilio*, *Guil. Tindalo*, qui hoc tempore vixerunt, agit.

Libro II ad regimen *Eduardi VI*, ab A. 1547 uſque ad 1553, delatus Autor, exhibet *Cap. I* Reformationis apud Anglos progreſſum, Conſtitutiones Liturgicas, atque conditos fidei Articulos; *Cap. II* ſingulares quasdam controverſias, & in his cummaxime originem non-conformitatis, rixasque veſtiarias; *Cap. III* ſeditiones ac motus varios, nec non confuſionem circa Reformationis negotium ſubortam, mortemque *Eduardi*, Regis; *Cap. IV* Eruditos & inprimis Theologos quosdam extraneos, quorum aliquæ in Reformatione Anglicana partes fuerunt, utpote *Bucerum*, *Fagium*, *Petr. Martyrem*, *Jo. a Laſco*, atque *Jo. Lelandum*.

Liber III, itidem *quatuor Capitibus* diſtinctus, res ſub regimine *Mariæ I*, Reginæ, ab A. 1553 uſque ad 1558, perſequitur, traditque *Cap. I* de Reformatione ſublata, & Papiſmo in locum ejus reſtituto: de *Joanna Graja* capite truncata: deque Academiis & Epiſcopatibus in priſtinam formam redactis; *Cap. II* de combuſtionibus & perſecutionibus aliis durioribus in Proteſtantes, Epiſcopos nempe, *Cranmerum*, *Ridlejum*,

Digitized by Google

Latimerum, *Hooperum*, *Farrarum*, *Coverdalium*, *Rogerium*, aliosque multos, tam Epiſcopos verbique Miniſtros, quam nobiles ignobilesque opifices, piſcatores, imo cœcos, claudos, viros atque fœminas, ſenes quoque ac virgines, infantes uxoresque gravidas: de Epiſcopis, *Gardinerio*, *Bonnero*, atque *Chriſtophorſonio*, quorum inter perſecutores præcipua nomina fuerunt, quique furorem atque rabiem ſuam ad ultimum vitæ halitum usque *Mariæ*, Reginæ, continuarunt; *Cap. III* de Anglis trans mare refugis, quid cum illis actum, quasque inter ſe lites atque perſecutiones concitarint, idque potiſſimum Francofurti ad Mœnum; *Cap. IV* de Scriptoribus & Eruditis in hac rerum viciſſitudine, de *Joanna Graja*, *Jo. Knoxio*, aliisque.

Liber IV, qui feliciorībus ſub regimine *Eliſabethæ*, Reginæ, temporibus deſtinatus eſt, quicquid ab A. 1558 usque ad 1603 geſtum, *Capitibus octo* complectitur. Siſtit igitur *Cap. I* Papiſmum reprobatum, & ſubinvectam rurſus in ejus locum Eccleſiæ Reformationem: duriores Reginæ vices, & mortis periculum, ſub præcedente ſororis gubernaculo; ut ipſa ſe caput Eccleſiæ dici detrectarit, utque ob defectum literatorum virorum haud pauci ex mercatoribus & opificibus illiteratis ad mininiſterium Eccleſiæ vocati & ordinati ſint: de Liturgia item atque XXXIX fidei Articulis ſub incudem revocatis. *Cap. II* traditur de eventibus & caſibus quibusdam, qui Reformationis negotio interceſſerunt; ubi primum Romanorum Pontificum occurrit urbanitas, quæ in illam poſt inſolentiam degeneravit, ut a juramenti fide populum liberarent, Reginam autem excommunicationis fulmine percutere haud dubitarent: de ſeditionibus & ſeminariis, in gratiam Anglorum Papiçolarum extra regnum Duaci, apud S. *Audomari* fanum, Rhemis atque Valliſoleti, erectis; *Cap. III* de ſingularibus quibusdam & eventibus litigioſis, durantibus duodecim prioribus annis ab A. 1558 usque ad 1570: de origine nominis Puritanorum, continuata lite veſtiaria, controverſiis cum Anabaptiſtis, *Eliſæo Hallo*, *Velſio*, cum Non-Conformiſtis, ac docto *Cartwrighto*; *Cap. IV* de continuatis Papiſtarum moti-

bus,

Digitized by Google

bus, inprimis de *Maria*, Scotorum Regina, claſſe Hiſpanorum, Jeſuitarum, Judæi alicujus, & aliorum quorundam pernicioſis molitionibus, ad mortem uſque Reginæ Scotorum; *Cap. V* de Anabaptiſtis, *Henr. Nicolai*, ejusque aſſeclis, Familiſtis ſic dictis, ſive familia charitatis; *Cap. VI* de Scripturæ ſacræ interpretatione, quæ doni prophetandi nomine tum venire conſuevit, atque ex hac re ſubnatis litibus, propterea que a D. *Grindalio*, Cantuarienſi Archi-Præſule, devoratis ærumnis; *Cap. VII* de controverſiis cum Papæis, ac inprimis de Rhemenſi Novi Teſtamenti verſione: de *Walſinghamii*, Status adminiſtri, probata circa Reformationis negotium fide & induſtria; *Cap. VIII* de Epiſcopalibus, Puritanis, Browniſtis, Barrowiſtis, &c.

Liber V in exponendis rebus ad tempora Regis *Jacobi I*, ab A. 1603 uſque ad 1625, pertinentibus occupatur, oſtenditque *Cap. I* machinationibus Papiſtarum improbis, quibus in hunc Regem uſi ſunt, idque cummaxime in conſpiratione pulveraria ſic dicta. *Cap. II* de controverſiis religionis Epiſcopales inter atque Theologos Presbyterianos agitatis, inprimis de Conventu ad Hamptoni curiam inter eosdem habito; *Cap. III* de certis quibusdam capitibus, Papiſmum attinentibus: de periculo a matrimonio Principis hæredis *Caroli* cum Hiſpaniarum Regis filia imminente: de ruina domus cujusdam, in qua complures & Papæi cummaxime homines extincti ſunt; *Cap. IV* de aliquibus porro argumentis ſeorſim: de Synodo Dordracena: *Jo. Seldeni* controverſiis, &c. *Cap. V* de cauſis quibusdam ad perſonam Regis & regiminis formam pertinentibus: de Puritanis, atque Regis obitu; *Cap. VI* de Eruditis quibusdam ſub hoc Rege celebrioribus diſſerit, *Georg. Buchanano*, *Cartwrighto*, *Marc. Ant. de Dominis*, *Bedellio*.

Liber VI calamitoſa ſub Rege *Carolo I* tempora, ab A. 1625 uſque ad 1648, per integra *duodecim Capita* latius perſequitur. Agit *Cap. I* de tumultibus a Papæis agitatis; *Cap. II* de Arminianiſmo: de Sabbatarianis, variisque hinc turbis & litibus: de invecta apud Scotos Liturgia Anglicana, ac peculiaribus quibusdam capitibus aliis; *Cap. III* de motibus iterum Papiſtarum:

rum; de *Guil. Laudo*, Archi-Epiſcopo, ejusque ultimo ſupplicio; *Cap. IV* de Puritaniſmi litibus: de *Prynnio*, *Burtono*, *Baſtwickio*; de Independentibus, *Thom. Goodwino*, & reliquis; *Cap. V* de propagatione Evangelii in nova Anglia: Quakeris, eorumque diſceſſu in Americam Septentrionalem: de diſſidiis eorundem a ſe invicem, ſicubi tranquillo otio vivere poterant; *Cap. VI* de Scriptoribus & Eruditis aliquot in nova Anglia; *Cap. VII* de caſu Epiſcoporum, & poteſtatis eorundem decremento, ut & Regis ipſius; *Cap. VIII* de Synodo Weſtmonaſterienſi, de confœderatione Britannica, belliſque civilibus: de miſero ſtatu Regis, captivitate ejusdem, & capitis amputatione; *Cap. IX* de variis Sectis & partibus in cauſa religionis inter ſe diſſidentibus, iisque potiſſimum, quæ Ranterorum, Sekerorum, Antinomorum, Levellorum, Eraſtianorum, ac Bœhmiſtarum, nominibus venerunt; *Cap. X* de *Lud. Frid. Giffthei|io*, *Jo. Duræo*, & ejusdem conſiliis irenicis; *Cap. XI* de eventibus prorſus ſingularibus per totum fere Reformationis intervallum, inprimis quid cum Duce *Buckinghamio* & verſione Colloquiorum menſalium B. *Lutheri* Anglicana evenerit; *Cap. XII* de Rebellione Hybernica.

Liber VII de Interregno illo tradit, quod, *Cromwellio* regni Protectore, ab A. 1649 uſque ad 1660, duravit, *Cap. I* de *Oliverio Cromwellio*, variisque de eo judiciis; de incertis ejusdem animi affectibus, & imperio violento, exponit; *Cap. II* de Reformatione Cleri, de tribus partibus, diverſis ſtudiis a ſe disjunctis: de morte *Cromwellii*; *Cap. III* de rebus aliis hujus intervalli: de fuga *Caroli Stuarti*, ejusque exilio, & ſingulari providentia, durante eodem, & tempore reſtitutionis ſuæ.

Liber VIII & *ultimus* præcipit de rebus ſub Rege *Carolo II*, ab A. 1660 uſque ad 1684, geſtis; traditque *Cap. I* ſuſceptionem Regis, feſtinatam, & nullis conditionibus limitatam: mutationes in cauſis Eccleſiaſticis: poteſtatis Epiſcopalis reſtaurationem, eamque cum oppreſſione Independentium & Non-Conformiſtarum conjunctam; *Cap. II* de controverſiis Liturgicis, ubi ex vulgato unifor-

nui-

mitatis decreto res in pejus ruunt, & loco ſperatæ unio-
nis major partium disjunctio oritur, hincque injecti con-
ſcientiis laquei, multorumque gemitus provocati; *Cap. III*
de peſte Londinenſi, fuga Aulicorum & Miniſtrorum Epi-
ſcopalium, de fide contra dimiſſorum antea verbi præconum
e cœtu Puritanorum, derelicto & ſolatii experti populo nunc
præſtita, ac duritie tamen illis ab aulæ proceribus invicem
reddita; *Cap. IV* de incendio funeſtiſſimo, quo urbs Lon-
dinenſis fere tota conflagravit, de præſagiis, quæ ſecuta
tremenda hæc judicia prænuntiarunt; *Cap. V* de Quinto-
Monarchiſtis, Anabaptiſtis, atque Mugletonianis.

Huc uſque conſpectus ſummorum capitum, quæ Autor ſi-
bi ſumſit pertractanda, & quæ ejusmodi ſane ſunt, ut, quod
nobis accidit, Lectorem quemlibet ad ipſum Librum pervol-
vendum facile allicere queant; cui & accedit, quod alio ad-
hucdum ſcriptore deſtituamur, qui in lingua noſtra verna-
cula de hoc ipſo argumento dedita profeſſaque opera com-
mentatus ſit: ac ea denique de Autore, qui inter Anglos æta-
tem conſumſit, opinio eſſe debeat, eum non niſi neceſſa-
riis præſidiis probe inſtructum atque munitum ad concinnan-
dum hunc laborem acceſſiſſe. Sed valde tamen veremur, ut
ipſa Autoris tractatio expectationi Lectoris, hiſtoricæ artis
haud ignari, magis ac noſtræ ſatisfaciat. Primum etenim nusquam
dicta ſua monumentorum vel Autorum fide dignorum autorita-
te communivit: quod tamen in rebus ab ætate noſtra adeo re-
motis ita neceſſarium judicamus, ut narrationem hiſtoricam iſtis
præſidiis deſtitutam fabularum vel anilium, vel Romanenſium,
ſortem haud egredi exiſtimemus. Quod etiam nonnunquam ali-
quis, quidam, vel nonnemo, cujus nec nomen, nec fides, nec teſti-
monium perſpectum habetur, ab Autore adducetur, id ipſum ſane
fabularum Scriptoribus magis, quam Hiſtoricis, ſolenne eſſe ſolet.
Deinde ipſa in hunc modum conformata narratio in præcipuis
ſuis partibus ſæpenumero vel manca admodum & jejuna, vel pror-
ſus omnino nulla eſt. Prioris exemplum ſit recenſus de Confeſ-
ſionibus, ſive Articulis, fidei Eccleſiæ Anglicanæ, *Lib. II Cap. I* &
Lib. IV Cap. I inſtitutus; (quanquam, qua de cauſa illud factum
ſit, nonnulli facile divinaturi ſint,) poſterioris exemplum præ-
bet

bet promiſſa in Synopſi ad *Lib. IV Cap. VIII* tractatio de Browniſtis & Barrowiſtis, de quibus tamen in exegeſi deinde nec vola, nec veſtigium, occurrit. Tertium denique, quod omne Libro fere pretium adimere poterit, inſigne partium ſtudium eſt, quo Autor contra Anglorum Eccleſiam Epiſcopalem, atque adeo univerſum ejus externum regimen, ſe duci paſſus eſt; indeque Puritanorum aliorumque longius aberrantium patrocinium ſubinde ſuſcepit. Uti autem hi generatim indicati hiſtoriæ hujus nævi ita comparati ſunt, ut de iis Lectorem noſtrum rite monendum eſſe duxerimus; ita & illud adhuc addimus, aliquem e numero noſtrorum jam in eo eſſe, ut Animadverſiones Hiſtorico-Theologicas ad hunc Librum paret, easdemque lingua itidem vernacula in publicam lucem proferat; quo ſuo labore hunc ſibi potiſſimum ſcopum propoſitum habet, ne hæcce minus fida narratio Lectori cuilibet Germano, nec ſatis etiam cauto, imponere amplius poſſit.

A PHILOSOPHICAL ENQUIRY INTO THE phyſical ſpring of human actions &c.

h. e.

INQUISITIO PHILOSOPHICA IN FONtem verum actionum humanarum, & cauſam cogitationum immediatam.

Londini, ſumtibus Jo. Peele, 1732, 8.

Plag. 6.

Hominem, plerique cenſent, ex anima, parte ſpirituali, & corpore, materiali parte, compoſitum eſſe. Sed falli eos, exiſtimat Autor, cum creatura intelligens, quæ homo appellatur, non ſit niſi corpus, certa ratione modificatum: vis cogitandi licet ſingulis materiæ corpuſculis non competat, eam tamen in tota ſubſtantia reperiri poſſe, uti corpus rotundum fiat ex particulis minimis non rotundis. Cogitationem diverſo tempore diverſam cum animæ ſpiritualitate vix componi poſſe; nec vires motrices mentis, nec ejus in corpus imperium, illa exiſtente non-materiali, poſſe concipi; realem differentiam ſubſtantiæ intelligentis & non intelligentis in eo quærendam, quod prioris ſubſtantiæ ſtructura differat a poſteriori; diverſitatem motuum & directionum corporis humani, quatenus ii differunt a reliquis corporum inanimatorum motibus, cum principiis & legibus Mechaniſmi facile componi poſſe. Ex pauciſſimis his, cujus generis ſit libellus iſte, & quo in pretio habendus, ſatis, bone Lector, intelligis.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCXXXV.

HISTORIA ECCLESIÆ GANDERSHEMENſis Cathedralis ac Collegiatæ Diplomatica, Autore JO. CHRISTOPH. HARENBERGIO, Rectore Lycei Gandershemenſis.

Hannoveræ, ſumtibus heredum Nic. Foerſteri, & filii, 1734. fol. Alph. 20 pl. 13, cum Tabb. æn. 43.

Autor Clariſſimus, qui hiſce *Actis* jam pridem nomen ſuum operamque Collectore dignam conſecravit, in præſens vero miniſterium rei ſacræ iniit, onus ſuſcepit Ætna gravius, ab aliis facilius reprehenſionibus expoſitum, quam ſimili tamque diffuſo opere ad cynoſuram imitationis expreſſum. Nam Hiſtoria hæc Diplomatica complectitur *fundatorum, fundationem*que Eccleſiæ Gandershemenſis, *advocatos & defenſores*, *Abbatiſſas*, *Canonicas*, *Canonicorum præcipuos*, *exemtionem Eccleſiaſticam Papalem, tuitionem Regiam, miniſteriales, eorumque genuinam indolem, benefactores*, inprimis *Ludovicum* juniorem, Regem Franciæ Orientalis Saxoniæque, *Lotharium Saxonem*, *Ottonem IV*, & *Comites Principesque Schwarzburgicos*, *Vaſallos ſummos & medioximos*, *rem ſacram & literariam*: nominatim *Ducum Saxoniæ hiſtoriam uſque ad Henricum Longum*, *Ducumque Brunſuicenſium ex maſcula ſtirpe Italica & feminea Suevica hiſtoriam genealogicam*,

gicam, ab ineunte ſeculo IX uſque ad ſeculum XV: porro *Comitum ac Nobilium-Dominorum*, quibus adhæſerunt cognomina *ab Alvensleben, Asle, Aſſeburg, Aſſel, Bielſtein & Linderbeck, Blanckenburg, Bodenburg, Boizenburg, Bomeneburg, Brunſuic, Burchtorf, Burg, Calenberg, Cletenberg, Dannenberg, Daſſel, Dehn, Dipholz, Dorſtat, Duderſtad, Eberſtein, Eimbec, Empne, Gandersheim, Gerſtenbutle, Gebeldehuſen, Gleichen, Groningen, Hadamarsleve, Hakeborn, Haldesleve, Hallermunt, Hartisburg, Halſte, Holſtein, Hoja, Homburg, Ileveld, Inſula, Kirchberg, Kucburg, Lauenrode, Limmer, Linden, Luca, Luchau, Luneburg, Meinover, Northeim, Oſterode, Peine, Pleſſe, Poppenburg, Pyrmont, Regenſtein, Ringelheim, Scartfels, Schulenburg, Seburg, Stichelſtein, Sladem, Sommerſchenburg, Speigelberg, Stade, Staufenburg, Steinberg, Stolberg, Schwerin, Schwinfurt, Suplinburg, Swalenberg, Valkenſtein, Waldbec, Walmoden, Wanzleben, Werberge, Wernigerode, Winzenburg, a Wittekindo Magno, a Woldenberg, Woldenſtein, Wolfenbuttle, Wolpe, Woltingerode, Wunſtorpe.* Adjectæ ſunt Genealogiæ & expoſitiones Familiarum generoſorum quamplurimarum, quæ olim per Saxoniam inferiorem & confinia floruerunt, vel adhuc vigent, nominatimque cognominibus eminent, deductis ab *Alten, Ampleve, Angerſtein, Aſſeburg, Aulica, Ballenhuſen, Banzleve, Bardeleben, Bartensleben, Barum, Benniſſen, Benzingerode, Berge, Berkefelde*, ac præcipue *Boc, Bortfelde*, & *Gramme*. Omiſſi ſunt nobiles de *Clawenſen* dicti, qui frequentiſſime occurrunt in Diplomatibus Seculi XIV & XV. Locus *Clawenſen* eſt deſolatus, olim poſitus haud procul Gandershemio inter Brunshuſam & Wolperode, in angulo prope amnem Gande. Prædicat Autor antiquitatem generis ac ſumma merita Illuſtrium Virorum, qui ab *Hardenberge, Münchhauſen, Wrisberge, Grote* & *Alvensleben*, ac *Schulenburg*, appellantur. Omiſit verò Generoſiſſimos & Illuſtres Viros ab *Hattorp, Bornſtorf, Mansberg*, & *Bulow* dictos, eo quod ipſi non ſatis cognitæ extiterint tantæ Familiæ, & quia ipſe potiſſimum ad Gandershemenſia reſpexit. Diplomatum ineditorum hic mira occurrit ſeges & nubes denſiſſima.

Digitized by Google

ma. In Supplementis & emendationibus afferuntur nævorum
quorundam correctiones, ac Diplomatum complurium ſummæ,
Tabulæ Genealogicæ, quibus aliàs Opus ipſum abundat.
Negat Autor *pag. 1686*, caſtellum Luneburgi innexum eſſe Feu-
dis Gandershemenſibus. Præfixa eſt Operi icon Reverendiſſi-
mæ ac Sereniſſimæ Ducis ac Abbatiſſæ Gandershemenſis, *Eli-
ſabethæ Erneſtinæ Antoniæ*, cujus merita in rem ſacram & li-
terariam Cl. Autor jure dilaudat. Addita ſunt Operi ſigilla quam-
plurima in æs inciſa, maximam partem nunc demum in lucem
protracta. Inſertæ quoque conſpiciuntur quatuor Tabulæ Geo-
graphicæ. Afferuntur denuo emendatius *Agii*, Presbyteri, Vi-
ta Abbatiſſæ *Hathumodæ p. 451 ſeq.* ejusdemque Dialogus ele-
giacus de obitu *Hathumodæ p. 460 ſeq. Hroswithæ* Carmen
hexametrum de conſtructione cœnobii Gandershemenſis *p. 469
ſeq.* ac *Eberhardi* Presbyteri, Verſus Saxonici antiqui ex Se-
culo XIII de fundatione & incrementis Gandershemenſis Ec-
cleſiæ *p. 476 ſeq.* Ad tumbam *Hathumodæ* condecorandam Cl.
Autor adjecit *Expoſitionem Theologicam, Hiſtoricam & Criti-
cam Canonis XXXIV Synodi Eliberitanæ*, de *domiciliis ani-
marum ſeparatarum infra & circa ſepulchra*, olim creditis,
nunc profligatis, *p. 543 ſeq.* Ad animæ humanæ ſpiritusque
naturam, & deſcenſum Chriſti ad inferos factum, varia, eaque
orthodoxa, præſidia hic ex penitiori Philoſophia ac Hiſtoria
Dogmatum Theologicorum proferuntur. Exponuntur inprimis Pag. 570 ſeq.
loca difficiliora *1 Petr. III, 19, 20, IV, 6.* Atheiſmus & Pantheiſmus
ſubtilior, ac *Andreæ Rüdigeri*, Philoſophi non ignobilis, ſententia
de animæ humanæ natura, hic excutiuntur ac refelluntur. Qui
ſumtus ſuppeditaverunt, addiderant inſcriptioni *Hannoveram*,
& totum *Opus in Supplementum Collectionis celeberrimæ Scri-
ptorum rerum Brunſuicenſium Leibnitianæ adornatum.* Hæc
quidem ita erant poſita ex ſcopo haud improbo, inſciente ta-
men Autore. Enatum hinc Cl. Autori & Operi fuit nonnihil in-
commodi. Dedicatus eſt Liber Abbatiſſæ, quam modo nomi-
navimus. In Præfatione collaudat Autor adminicula ſibi ſup-
peditata a Perilluſtri Domino, *a Buchholz* dicto, Præſide Æra-
rii Epiſcopalis Hildeshemenſis, Canonico majoris Eccleſiæ ad-

modum Venerabilis; porro a Venerabili Abbate Cœnobii Lamſpringenſis, *Joſepho II, de Rockeby* dicto, accepta, nec non a Viro Reverendo, Eccleſiaſte Brunſuici fideliſſimo, *Philippo Julio Rehtmeiero*, item a Celeberrimo Academiæ Equeſtris Luneburgicæ Profeſſore, *Joanne Ludovico Levino Gebhardi*, porro a D. *Conrado Bertholdo Behrens*, ac genero ejus, *Joanne Adolpho Weinhagen*, fautoribus ſuis maximis, ſubminiſtrata. Significavit nobis Cl. Autor, ea, quæ de beneficiis Epiſcoporum Hildeshemenſium, in oppidum Hildesheim collatis, de parte pecuniæ feriundæ oppignorata, & chartario diplomatico A. 1634 ex *Epiſcopii* penetralibus translato, leguntur *p. 979*, deprehendi quodammodo falſa, & ſeſe poſtea de iis rebus ex aliis documentis accuratiora fuiſſe edoctum. Hiſtoria de reformatione oppidi Hildesheim religioſa *p. 977 ſeq.* nititur MSto libro, quem Vir Ven. *Jacobus Fridericus Reimmannus* cum Cl. Autore communicavit. *Corvini* Præfatio, Ordinationi Eccleſiaſticæ Hildeſienſi A. 1544 præfixa, non habetur ab Autore pro libello famoſo, ſi ea per ſeſe conſideratur. Id tantum dicitur ab Autore, eam pro indole ejus Seculi eſſe duriorem & invectivam, ita, ut, ſi nunc ſcriberetur ac ederetur, ipſa pro libello famoſo reputaretur. Odit paſſim Cl. Autor Fanaticiſmum, nec eo laborat morbo, quo plerique de hominibus ſui ordinis ſuæque religionis vel patriæ nil niſi eximia & præclara exponunt ac edunt. Hiſtorici enim eſt, eum adhibere candorem, ut profeſſionem, patriam, & ordinem ſuum a veritate ediſſerenda tantiſper removeat. Scripta Cl. Autoris recenſentur *p. 1665 ſeq.* Miramur, qui fieri potuerit, ut Vir quidam doctiſſimus de libello Autoris, quo *Miraculum Pentecoſtale expoſitum & vindicatum* eſt *ad Act. II*, ſiniſtre judicaverit, cum hic in *Theſauro Philologico-Theologico*, Amſtelodami ac Lugduni Batavorum annis 1732 & 1733 edito, ac a Theologis Bataviæ ſummis, *Franciſco Fabricio*, *Joanne Weſſelio*, & T. *H. van den Honert*, ſub cenſuram revocato, exſtet, nec aliam, ac receptam, ſententiam latius exponat vindicetque, & eam quidem, quam ſuggeſtus noſtri quotannis reſonant. Appendicis loco ſubjecta eſt Commentatio de

Sacri-

Encrino, ſeu *Lilio lapideo*, quam in his *Actis A. 1732 Menſ. Febr. p. 73 ſeq.* recenſuimus. Exhibetur præterea enarratio brevior ac compendium de lithophylacio Seren. Abbatiſſæ Brunſviceno *p. 1621 ſeq.* An ii, qui tot Diplomata tantumque laborem publicæ luci conſecrant, locorumque, in quibus degunt, hiſtorias cum orbe erudito communicant, per calles abruptos & ſæpius inhoſpita ſaxa greſſi, ideo ſint vituperandi, ſi unum alterumque in rebus obſcurioribus admiſerint nævum, id iis diſquirendum relinquimus, qui Opera edunt magna, omnis limæ ac imperfectionis expertia. Si tunc demum libri hiſtorici de rebus ævi medii emittendi forent, quando uni viro in uno loco ſingula eſſent perſpectiſſima, tunc certe vel nunquam, vel profecto infrequentiſſime, libellum hiſtoricum conſpiceremus editum. Gratulamur itaque Cl. Autori de labore herculeo feliciter exantlato, in quo de *Sigillis Imperatorum* & *Bullis Pontificum*, de *Miniſterialibus*, aliisque momentis hiſtoricis, antiquariis, Theologicis, & Juridicis, afferuntur haud tralatitia. Ad librum *de tribus Impoſtoribus* exponuntur hic ſcitu jucunda & curioſa *p. 728 ſeq.* Hiſtoria *de Joanna Papiſſa* exponitur per probabilem conjecturam *p. 958 ſeq.* Autor enim in ea eſt ſuſpicione, *Joannam* ejusmodi exſtitiſſe nunquam, ſed monumentum quoddam ſaxo inſculptum anſam dediſſe civibus Romanis, Pontificem ſuum exoſis, ut ex Apolline & Venere, vel aliis ejusmodi perſonis, *Joannam*, puerulum enixam, finxerint fabricati, idque circa tempus, quo Papæ Avenionem ſeceſſerant Seculo XIV. Fabulam hanc de *Joanna*, ſi ita vocanda eſt, *Joannes Mabillonius Tom. I P. I Itin. Ital. p. 27 ſeq.* deducit ex fabula quadam, per ſomnium in Græcos euſa, & a Græcis in Romanos retorta. De cetero Cl. *Saxius*, Præfectus Bibliothecæ Ambroſianæ Mediolanenſis, ac Canonicus honorarius, in fine *Præfationis ad Diſſertationem hiſtoricam, qua vindicat veritatem contra allegata ad concordiam in cauſa Præcedentiæ, in qua antiqua Ambroſianæ Eccleſiæ diſciplina & Metropolitani Mediolanenſis dignitas illuſtrantur*, egregie monuit, innocentes controverſias, quæ inter ſacros miniſtros agitantur, uſque ad inconditum mulierculaPag. 1669 ſeq.

rum judicium deferri haud debere. Quod nonnemo in Cl. Autore notavit, eum Eccleſiæ Gandershemenſi attribuiſſe immedietatem imperialem, id ſane ſecus elucet ex *p. 115* ac nota **, ubi perſpicue traditur, Autorem in eo momento interpretem egiſſe, non approbatorem, non cenſorem. Qua de cauſa in eum culpa conjici poteſt nulla, eo quod characteres immedietatis, a *Daniele Ottone*, aliisque, recenſos, haud ſecutus fuerit. Non enim ſententiam ſuam protulit, ſed alienam fuit interpretatus. Nec tamen audivimus, *Henricum de Cocceji*, ac *Fridericum Ludovicum de Berger*, ejus Commentatorem, tirunculos in Jure fuiſſe publico, ratos quippe, *Statum immediatum nec matricula probari, nec contributione onerum Imperii, uti nec immunitas ab oneribus ſtatum tollat.* *Bombardam*, quæ in ſponſalitio *Ottonis II* & *Theophaniæ* documento occurrit, impune ignoramus. Si conjecturis locus detur, ex Vita *Meinwerci* urbs & ſitus conſtabit melius, quam ex *Valeſii Bopardio*, ad Rhenum ſito. Ex Documento illo ſponſalitio avtographo felicius quoque eruuntur expoſitiones compendiorum ſcripturæ, quam ex apographo qualicunque. In Hiſtoria patriæ excolenda eſſe aſſiduum, lege nulla fuit prohibitum: nec ſtudium ſcribendi Hiſtorias ulli ordini, ætati, & loco, inſtar monopolii huc uſque fuit autoritate publica adſtrictum. Nec is illico repudiandus eſt, qui nodos Chronologicos, Genealogicos, Geographicosque, ubique haud accurate exſolvit. Lapſi ſunt ſummi paſſim Hiſtorici, iique impingunt in dies. *Joannes Andreas de Aſtefatis* in *Epiſtola, qua annus 817 Bernardi, Regis Italiæ, emortualis oſtenditur*, *Carolum Sigonium*, *Antonium Pagium*, & Socios Palatinos Mediolanenſes, errorum convincit, at quantos Viros! Lubecam *Adolphus*, Comes *de Schowenburg* ſenior, haud procul a veteri portu & civitate, Altenburg dicta, condidit. Id Autor ad A. 1139 *p. 317* de Lubeca, ad Travam ſita, ſatis recte ex ſcriptis veterum, & *Lerbeccii* Chronico Epiſcoporum Mindenſium, comprobat, humani quid paſſus, dum *p. 96* locum *Lerbeccii* ad Lubbecam, Viſurgi haud procul Minda adjacentem, feſtinabundus traxerat. Quod Cl. Autor haud deſiturus ſit diſcere, ac in definiendo veterum locorum

corum

eorum ſitu cautionem tarditatemque requirat *p. 1495*, id quidem non culpa tantum vacat, ſed & laudandum cummaxime putamus. Si igitur unum pagum inde a Gottinga ad Hannoveram usque collocaſſet, eique nomen *Leinga* indidiſſet, haud immerito præcipitem emendaſſet ſententiam. *Dedonem*, Comitem Gotteſeccenſem, A. 1040 factum eſſe Comitem Palatinum, Autor *p. 1494* oſtendit; eum vero obiiſſe A. 1056, quem habet *Lambertus*, haud adeo eſt certum, uti *p. 1494 ſeq.* comprobat. Ipſe *p. 175* ſuſpicatur, Comites Wettinenſes ex Comitibus Sommerſeburgicis profluxiſſe, ac porro Comites Wettinenſes e Gotteſeccenſibus fortaſſis derivari poſſe. At, cum utraque conjectura ei poſthæc videretur audacior, haud quippe ſubnixa evidentibus Scriptorum teſtimoniis, eam abjecit & repudiavit *p. 1496 ſeq.* idque Lectorem monuit *p.* 1486. Quatuor enim ſunt claſſes Comitum Sommerſeburgi Palatinorum. Prima orditur ab *Athelberone*, & in *Tammone* deficit. *Athelberoni* tribuuntur liberi, *Thidericus*, A. 995 defunctus, *Rothegardis*, Abbatiſſa Hilwardishuſana, mortua A. 1006, *Sigibertus*, qui A. 995 obiit, ac filia, quæ *Ethelgerum* peperit. Ex *Thiderico* videtur natus *Tammo*, quippe qui paternum caſtellum ſuſcepit regendum, frater *Berwardi*, qui, Epiſcopatum Hildeshemenſem nactus A. 993 d. 17 Jan. obiit A. 1022 d. 20 Nov. Secunda claſſis complectitur Comites Palatinos Gotteſeccenſes. *Fridericus I*, Palatinus Præſes, obiit A. 1020, maritus *Agneſæ*, ex Comitibus Wimarienſibus progenitæ. Ex *Friderico I* exorti ſunt liberi quinque: *Fridericus II* obiit A. 1088, cui uxor fuerat *Hedewigis*; *Dedo*, circa A. 1056 defunctus; *Albertus*, Archi-Epiſcopus Bremenſis A. 1043, mortuus A. 1083; *Oda*, uxor *Alberti*, Comitis Sommerſeburgici, defuncta A. 1023, ac *Bertha*, *Bertholdo II*, Comiti Hennebergico, nupta, mortua A. 1090, enixa antehac filiam *Lutgardem*. Ex *Friderico II* progenitus fuit *Fridericus III*, mortuus A. 1085, maritus *Adelheidæ*, ex *Udone*, Comite Stadenſium, natæ. *Friderici III* filius exſtitit *Fridericus IV* poſthumus, qui ex ſeſe genitam reliquit *Sophiam*, *Hermanni*, Landgravii Thuringorum, filiam. Tertia claſſis ex *Alberto Seveke*, ejusque uxore, *Oda*, eſt deducenda, quorum filius Pag. 1496 ſeq.

filius fuit *Fridericus I*, mortuus A. 1120, uxori *Idæ* junctus. Ex *Friderico I* nati fuerunt *Fridericus II*, mortuus A. 1162, *Albeida*, *Juditha*, *Agnesa*. Ex *Friderico II* progenitus fuit *Albertus II*, mortuus A. 1175, & *Adelheida*, Abbatiſſa Quedlinburgi & Gandersheimii. Quarta claſſis ex Comitibus Wettinenſibus eſt derivanda ob *Chronicon montis ſereni ad A. 1207 p. 81.* Hanc Cl. Autoris ſententiam facile unusquisque admittet. Id vero videtur ſingulare, quod perhibet idem *p. 511*, *ſpecimina ſcripturæ veterum Germanorum prolata eſſe.* Prolata eſſe ea unquam, nemo negabit. Num ea adhuc exſtent, quæritur. Olim ea exſtitiſſe, videtur innoteſcere ex *Tacito* de *M. G. Cap. 3*, ac *Cæſare* de *B. G. Lib. I Cap. 29*, unde conjicere licet, Gallos, Helvetios, Rhætos, & Germanos, literis uſos eſſe Græcis, ex urbe Maſſyliæ traductis. *Druidæ* certe, Gallis Germanisque communes, literis uſi ſunt Græcis, teſte veteri *Cæſaris* interprete Græco, de *B. G. Lib. VI Cap. 14.* Quare illud ſpecimen literarum, productum a *Joanne Mabillonio* in *Muſeo Italico Tom. I P. I p. 141*, a Germanorum veterum uſu haud erit alienum. Sigillum porro *Henrici Longi* a typothetis *p. 1268* fuiſſe ſubſtitutum, Autore inſciente, ſigillo patris, *Henrici* nempe *Leonis*, Cl. Autor ipſe notat & reprehendit *p. 1757. Henrici Leonis* ſigillum exhibet unum *Tab. II n. 5*, alterum *Tab. XXV n. 7. Henrici Leonis* vitam & fata vides copioſe expoſita *p. 315-360*, & paralipomena *p. 1268-1272. Henrici* vero *Longi*, Ducis Saxoniæ, & Comitis Palatini ad Rhenum, vita & geſta fuſe exponuntur *p. 1272-1277.* Inſigne Ducum Brunſuicenſium *p. 1269* obvium, & ex Ven. *Rehtmeiero* a typothetis deſumtum, haud debetur quidem pictorum imaginationi, ætati tamen recentiori. Nummus, in *Fridericum*, electum Romanorum Regem, percuſſus, *p. 847* obvius, & ex ejusdem *Rehtmeieri* Chronico deſumtus, an *Meibomio* fuerit notus, & an ſit genuinus, dijudicare poterunt ii, qui eum poſſident & inſpexerunt. Dentem *S. Joannis* ex inſignibus Imperialibus ab *Henrico*, Comite Palatino ad Rhenum, fuiſſe reſervatum, *Joannes Georgius Eccardus* perhibuit in *Beſchreibung eines Kleinodien-Käſtleins §. 15 p. 41.* Cœnobia a Monaſteriis Feuda ſuſcepiſſe, haud adeo

inſo-

inſolitum, ſiquidem vel ex hoc Opere pateſcit, Abbatem Cluſienſem, Præpoſitum Brunteshuſanum, & Abbatiſſam S. Mariæ, imo Capitulum Gandershemenſe, a Præſide Reverendiſſima majoris Monaſterii feuda ſuſcepiſſe. Pro *cœnobio Luneburgi p. 207* legendum eſſe caſtrum, monuit Autor *p. 1686* & 1715. Caſtrum Luneburgi eſſe feudum Eccleſiæ Gandershemenſis, aperte negat *p. 1686*, alibique docet, *Judithам*, Abbatiſſam, renuntiaſſe juri ſuo quæſito, quod ſibi eſſe perſuaſerat in Luneburgum ac Giſhornium, ac de feudis veteribus altum impoſitum fuiſſe cuique ſilentium ex compacto, inter Duces Sereniſſimos & *Catharinam Eliſabetham* inito. Cl. Autor montem Schellen-Pirmont vetusque caſtellum Pirmonti confudit cum Herminsberg, loco, qui ad alterum latus Pirmonti nunc eminet. Quæ notanda ſunt ad *p. 1538*. *Irminſul* videtur potius fuiſſe locus ad Eresburgum ævo *Caroli Magni*, quam *Arminii* ſtatua. Fama de amne Eternan in Eidera a nonnullis quæſito, & feudis ab *Henrico Leone* retentis, *p. 722*, nititur libro manuſcripto. Geminum *cc* olim notabat Eccleſiam; geminum *tt* deſignabat vel *teſtem* vel *titulum*. Teſtem notat in ſcriptis *Langobardicis* apud *Joannem Andream de Aſteſatis* ad *Manelmi Comment. de Obſidione Brixiæ*, in Præfatione *p. 50*, & in Opere *p. 99*. In *Cherubini* Bullario expoſitum fuit per vocem tituli. Exemplum habes in hoc Opere *p. 443*, & apud Annaliſtam Saxonem ad A. 870 *p. 208*. Multa in Capite Surarum Alcorani occurrunt ſcripturæ compendia, de quibus doctiſſimi Muhammedani diſſident, ceteroquin artis legendi peritiſſimi. *Ludovicum II* dici *Regem Romanorum*, abſonum haud eſt. Appellationem eam adhibuerunt Imperatores Græci ante Carolingos. *Ludovicus II* certe jam A. 843 a patre *Lothario* in ſocietatem Imperii & Regni fuit adſcitus, uti ex tribus conſtat Diplomatibus. Præterea Notarii eorum temporum formulas certas haud admodum religioſe obſervarunt. An *Henricus VII* veneno in euchariſtia ſit interemtus a *Bernardo Montepolitiano, Dominici* ex Ordine, anceps eſt quæſtio. Cl. Autor teſtimonia affert affirmantia *p. 795*. Addantur *Martinus Fuldenſis p. 1722*, & *Joannes Vitoduranus* in Chronico apud

O *Eccar-*

Eccardum Tom. I p. 1777 ſeq. *Martinus* autem Minorita id negat *p. 1637*, inductus Epiſtola quadam, quam edidit *G. G. Leibnitius P. I Cod. Juris Gentium Diplomatici n. 87 p. 188 ſeq.* ex qua ipſa patet univerſalis de Imperatore per venenum enecto fama, quam tandem ſupprimere ſtuduerunt Dominicani, a Minoritis ideo turpiter traducti. In honorem Clericorum ni veritas fuerit ſupreſſa, facinus omnino eſt negandum. Comites Northeimenſes deducit Autor demum ab exeunte Seculo decimo *p. 1462 ſeq.* Quare in mendo jacent verba *p. 103* allata, ubi ita legendum: *Comites Brunſwicenſes & Northeimenſes eadem ratione heredia ſua in vicinia obtinuerunt, antequam Franconici Imperatores Regesque Germaniam borealem in ſervitutem adigere ſuſtinerent.* Ibidem Cl. Autor ex *Ditmari Annal. Lib. I p. 325* docet, *Henricum Aucupem* alia poſſediſſe ex allodio, alia ex beneficio gratuitoque Regis munere; nam *hæreditas & beneficium* ibi opponuntur; ad priorem pervenit *Henricus jure*, ad poſterius *gratuito Regis munere.* Hæreditas illa eique factæ acceſſiones ab *Ottone Puero* traditæ ſunt & oblatæ Imperio ac Imperatori in feudum. Decreta tribunalium Saxoniæ Cl. Autor noluit fide privare. At ideo ab injuriis, in Familias generoſiores evibratis, ubique apparet alienus. Collegit Cl. Autor vitas Virorum generoſiorum & ſpectatiſſimorum, qui rei vel publicæ, vel ſacræ, ſedulam navarunt operam, ac inprimis ei inſeruit merita admodum beati *Urbani Dieterici de Ludeke*, uti apparet ex *p. 1550*, nec non vitas collegit *Stifferorum*, quemadmodum ſignificavit *p. 1657.* Librum, vitas illas continentem, vocat *Hiſtoriam anecdotam*, eamque deponet in loco publico, ne ipſo typis excudatur vivente, indubie rationibus gravioribus ita ſuadentibus: tantum abeſt, ut ipſe minetur miniſteriis aularum dictaturam & virgam cenſoriam. Omittimus alia, rivosque claudimus, id potiſſimum laudantes, Autorem nævos Eccleſiaſticos politicosque ſubinde haud diſſimulaſſe, idque nunquam non dediſſe operam, ut veritatem nobis nudam, planam, & velamento omni deſtitutam, exhiberet.

THE-

THESAURI MORELLIANI TOMUS SEcundus, ſive SIGEBERTI HAVERCAMPI Commentarius in Familiarum Romanarum Numiſmata omnia; nummos miſcellaneos, urbis Romæ, Hiſpanicos, & Goltzianos dubiæ fidei omnes; diligentiſſime undique conquiſita, ad ipſorum nummorum fidem accuratiſſime delineata & diſpoſita a Celeberrimo Antiquario, ANDREA MORELLIO.

Amſtelodami, apud Jo. Wetſteinium & Guil. Smith, 1734. fol. Alph. 7 pl. 10.

Poſtquam ſuperiori jam Menſe generatim de præclaro hoc Opere dictum nobis eſt, operæ videmur utique pretium facturi, ſi ad propiorem ejus contemplationem pergamus. Offerunt ſe igitur in hoc Theſauro non tantum Familiæ eæ, de quibus jam egere *Urſinus*, *Patinus*, & potiſſimum *Vaillantius*, ſed etiam aliæ, quas taciti illi prætermiſerunt, a *Morellio* recens adjectæ, cujusmodi ſunt *Alitia*, *Bellia*, *Cominia*, *Epria*, *Geſſia*, *Grania*, *Latilia*, *Mævia*, *Mindia*, *Mineja*, *Mitreja*, *Novia*, *Floria*, *Salluſtia*, *Sextilia*, *Tadia*, *Verria*, *Volumnia*, in quibus non minus, quam illis, quas *Goltzius* præterea protulit, (ex quibus cum omnes ſolicite conquiſierit *Vaillantius*, *Juventia* tamen & *Paſſiena* diligentiam ejus effugerunt,) nova luce perfundendis ſingularis Cl. *Havercampi* induſtria eluxit. Perluſtremus ante omnia Familias, quæ jam tum a Scriptoribus nummorum Conſularium proditæ memoriæ ſunt, atque inde aliquot exempla ejus rei petamus.

Ex Familia *Acilia* notus eſt denarius, qui caput Salutis ab altera parte, ab altera fœminam ſtantem, & ſiniſtro cubito innixam columnæ, dextra ſerpentem tenentem, exhibet, cum literis adſcriptis: NV. ACILIVS IIIVIR VALETV. Triumvirum VALEtudinis TVendæ, vel VALETVdinarium, excogitarunt *Onuphrius* & *Patinus*, IIIVirum ædibus sacris

oris reficiendis hic *Vaillantius* agnoſcit. Sed, nihil aliud, quam IIIVirum monetalem, innui, cum ad Familiam *Egnatuleiam*, tum in Addendis, qui Cl. *Vaillantii* ſententiam ab initio probare viſus erat, Cl. *Havercampus* oſtendit, eumque Valetudinis hoc typo A. U. C. DCCXXIX uſum poſt gravem *Auguſti* morbum, non ſine probabili ratione conjectat.

In Familiæ *Caninia* nummum, in quo hinc caput *Auguſti*, cum literis: AVGVSTVS, illinc cippus, ut viſum adhuc eſt antiquariis, in quo C. C. AVGVSTI, & inſcriptio: L. CANINIVS GALLVS IIIVIR, variæ doctiſſimorum Virorum interpretationes proſtant, quarum pleraſque *Morellius* in Specimine ſuo recenſet. Peculiari eum nummum Diſſertatione poſt alios, inprimis Cl. *Gallandium*, illuſtravit *Jo. Carolus Schottus*, ratus, Ducenarios *Auguſti* deſignari; quam ſententiam non ſine aculeis idem ille, quem diximus, *Gallandius* confutavit. Cl. *Havercampus* non cippum hic agnoſcit, ſed incudem, &, voces C. C. AVGVSTI, ei inſcriptas, pendere a reliqua epigraphe, oræ nummi adjecta, exiſtimat, hoc ſenſu, ut L. CANINIVS GALLVS IIIVIR Caji Cæſaris AVGVSTI appelletur. Quæ nummi hujus ſi cum reliquis conferatur interpretatio, iis, quibus ceteræ laborant, difficultatibus non æque obnoxia videtur. Id unum objici fortaſſe poſſit, cur, quem argenteus nummus ſponte non Senatus, ſed *Auguſti*, IIIVirum monetalem prodebat, ita diſerte hic appelletur ſine neceſſitate, & ſine ullo alio exemplo. Fieri poteſt, ut peculiaris ejus rei ratio ſubſit, quæ ſi indagari poſſit, vix ullus de interpretationis hujus veritate dubitandi locus relinquetur.

Sed ad *Fabiæ* gentis nummos pergamus, ex quibus ad quintum ſextumve Tabulæ primæ rectius intelligendum Cl. *Havercampus* Lectoribus plurimum lucis affundit. In quinto hic caput Romæ galeatum cum nota denarii & litera N, aliiſque, illic figura ſedens, cernitur, quæ capite galeam, dextra apicem Pontificalem, ſiniſtra haſtam una cum clypeo, gerit, in quo literæ: QVIRIN. *Vaillantius* una cum aliis figuram ſedentem *Quirinum*, ſeu *Romulum*, interpretatur, eumque literis: QVIRIN. innui ſtatuit. Sed, cum in Familiæ *Memmiæ* nummis *Romulus* tanquam *Quirinus*

TAB. II Fig. 1.

rinus longe alio vultu appareat, nihil hic aliud, quam Romam, agnoſcit Cl. *Havercampus*, & literis: QVIRIN. Flaminium Quirinale N. *Fabii Pictoris* deſignari putat, ejus nempe, qui Quæſtor Provincialis fuit A.U.C. DIX, tametſi nummum non in Quæſtura ejus provinciali, ſed urbana, cuſum vox ROMA teſtatur. Quo pacto jam legendum in eo conjuncto verborum ſenſu: Numerius FABIVS PICTOR QVIRINalis. Sexto gentis ejuſdem *Fabiæ* denario, in quo caput muliebre velatum, cum literis: EX A. PV. & averſa in parte Victoria in bigis, ſub quibus avis, cum adjectis literis: C. FAB. C.F. tantam vulgo antiquitatem tribuunt, ut inter primos, quos Roma ſignare cœpit, ei locum aſſignent. Cl. *Havercampus* non ſine ratione ducentos fere annos iis abrogat, cenſetque cuſos in Africa A.U.C. DCLXIX a C. *Fabio Adriano*, Prætore in Africam miſſo a Cinnanis contra Q. *Cæcilium Metellum Pium*, adverſus quem ut auctoritate publica ſe munitum oſtenderet, adſcribendas eum his denariis curaſſe literas: EX A. PV. quas interpretatur: EX Auctoritate PVblica. Caput autem velatum non Alexandriæ vel Cybeles eſſe credit, ſed cœleſtis Deæ, peculiari ſtudio ab Afris, id quod vel ex *Severi* & *Caracallæ* nummis, INDVLGENTIA AVG. IN CARTH. inſcriptis, patet, cultæ. Quam vulgo vel buteonem vel ibim alii interpretati ſunt avem, idem ſtruthio-camelum, Africæ ſymbolum, ſtatuit, cui forma hujus avis utique rectius, quam buteoni, vel ibidi, congruit. TAB. II Fig. 2.

In Familia *Claudia* quintus Tabulæ primæ nummus haud raro manibus antiquariæ hujus mercis ſtudioſorum teritur, quos tanto paſſim numero occurrere obſervat Cl. *Havercampus*, ut vix ullos frequentiores arbitretur. Cernitur in eo altera ex parte caput Romæ galeatum, ex altera victoria in bigis, cum literis: AP. CL. T. MANL. Q. MARC. ut eas quidem exhibent *Urſinus*, *Patinus*, *Vaillantius* in Familia *Marcia*, & hoc in Opere *Morellius*. *Vaillantii* in nummo hoc deſcribendo inconſtantiam jure optimo reprehendit Cl. *Havercampus*. In *Claudia* enim gente cum ipſius denarii delineatio habeat: AP. CL. T. ML. Q. VR. idque & in ſub-

jecta deſcriptione totidem verbis repetat *Vaillantius*, nihilominus quaſi explicationis cauſa ſubjungit nomina APpii CLaudii, Titi MANLii Quinti MARcii. Quæ tamen idem ille non moratus, paulo poſt in uberiori enucleatione nummi hujus *Appium Claudium* & *Titum Manlium* Quæſtores urbanos appellari contendit. Eodem modo & eundem prope nummum, (neque enim differt, niſi quod *Titus Manlius* præponitur *Appio Claudio*,) exhibet in Familia *Manlia*, & literas reſiduas Q. VR. ad Quæſtoris urbani dignitatem refert, ita tamen, ut moneat, apud *Fulvium* legi: Q. MAR. quo pacto inſcriptum & deinceps eum ſub Familia *Marcia* repetit. Erroris hujus originem a *Goltzio* arceſſit Cl. *Havercampus*, qui utrobique non Q. MAR. ſed Q. VR. in denario hoc exhibet. Sed non equidem *Goltzius* in transverſum abripuit *Vaillantium*, verum *Fulvius*, qui in delineatione exhibet Q. MAR. ſed per errorem, quemadmodum apud eundem *Fulvium* ex ſubjecta hujus nummi explicatione patet, quam ſi vel in *Claudia* vel *Manlia* expendiſſet gente *Vaillantius*, non repetendum in Familia *Marcia* duxiſſet nummum hunc, idque, ut manifeſtum eſt, ob unam hanc cauſam, quod Q. MAR. in delineatione *Fulviana* legeretur. Ceteroqui enim tria illius exempla nobis, hæc ſcribentibus, ad manum ſunt, in quibus omnibus vel AP. CL. T. MANL. Q. VR. vel T. MANL. AP. CL. Q. VR. clariſſime expreſſum cernitur; unde & Ill. *Spanhemius* Tom. *II* Operis *de præſt. & uſu numiſm. p. 169* ex hoc ipſo nummo Quæſtoris urbani dignitatem rectiſſime evincit. Id vero miraris, qui impetrare a ſe potuerit diligentiſſimus *Morellius* noſter, ut errorem *Fulvjana* iconis, & in *Claudia* & in *Manlia* gente ſecure in Opere ſuo repetierit. Sed ea de re Cl. *Havercampum*, ubi loculos ſuos denuo excuſſerit, curatiusque inſpexerit nummos hos, ſententiam dicentem audire mallemus.

Qui in Familiæ *Servilia* nummis quarto ſe loco ſpectandum præbet denarius, adverſa in parte capite *Floræ* & lituo, adſcriptisque literis: FLORA. PRIMVS inſignis, in averſa duas figuras ſtantes habitu militari galeatoque capite, dextraque pugiones, ſiniſtra clypeos tenentes, exhibens, quibus addi-

ta

ta epigraphe: C. SERVEILIVS C. F. rectiſſime a Cl. *Havercampo* refertur ad duos fratres *Servilios Caſcas*, *Cajum* & *Publium*, occiſo *Julio Caſare* veluti jurejurando ſublatis pugionibus in fœdus coeuntes. Sed quod a *C. Servilio*, majore fratre, potiſſimum ſignatum fuiſſe putat, ad eumque alterum adverſæ partis vocem PRIMVS, quaſi id cognominis ille tulerit, refert, ac proinde conjunctam utriusque partis inſcriptionem ita legit: FLORA C. SERVEILIVS *Caji* Filius PRIMVS, id totum nititur lectione vocis FLORA, quæ in nummo ipſo, prout plerique expreſſere, tametſi id neglexit *Morellius*, crure altero literæ A producto eſt FLORAL, non FLORA, ita, ut neceſſario intelligenda ſint FLORALia, quo pacto vox PRIMVS ab ea commode avelli vix poteſt, tametſi ei litera F non additur; quam animo ſupplere, noſtro quidem judicio difficultatis minus habet, quam in vocabulo PRIMVS cognomen *C. Servilii*, fratris natu majoris, agnoſcere.

Quod ad Familias jam attinet recens a *Morellio* adjectas, ex eum fere coloniarum nummis nitantur, neque adeo niſi quinquennalium & Duumvirorum in Provinciis memoriam renovent, facile quidem patet, in iisdem Cl. *Havercampo*, quo ingenium induſtriamque exerceret, ſeſe minus frequenter obtuliſſe. Eſt tamen hic illic, quod laudem in ceteris illuſtrandis partam non modo non minuat, ſed & augeat haud parum. Sic ad *Epriæ* gentis nummum illum *Eprii Marcelli*, Proconſulis Cypriorum, non contentus *Seguini* verba, quibus plurimum illi lucis affunditur, in medium attuliſſe, varios *Vaillantii* in deſcribendo illo lapſus notat, obſervatque opportune, Prætores etiam, in provincias populi Romani, qualis tum Cyprus, miſſos, Proconſulum appellatione uſos, unde neceſſe jam non eſt, inter Conſules, vel ordinarios, vel ſuffectos, *Eprium* hunc quærere, cum prætoria dignitas ei ſatis fuerit ad provinciam hanc obtinendam. Porro in averſa nummi parte ſub figura Veneris Cypriæ, quam vulgo agnoſcunt antiquarii, ipſam Romam latitare conjectat, rejecta opinione *Harduini*, ſtatuam pedeſtrem *Eprio Marcello* a Cypriis poſitam hic agnoſcentis, cujus & alia commenta a vero alieniſſima, quale inprimis de *Taci-*

TAB. II Fig. 3.

Digitized by Google

Tacito, apud quem Lyciæ Proconſul *Eprius* audit, quaſi erronea hujus numini lectione decepto, ſolidis rationibus conſtat.

Latilia gentis duos *Morellius* ære expreſſos dedit nummos. In priori ab altera parte inſtrumenta Pontificalia, albogalerus, ſecuris, adſpergillum, & capeduncula, cum inſcriptione mutila; - LIVS PONTifex IIVir Quinquennalis, ab altera floſcoli, cum literis: IVBA REX IVBAE Filius IIVir Quinquennalis. Sed hunc nummum ad *Latiliam* gentem trahi non poſſe, ex integerrimo ejus exemplo, quod ex muſeo *Jacobi de Bary* in Theſaurum Palatinum tranſiit; delineatumque in quadam illius collectione nummorum Punicorum reperit Cl. *Havercampus*, jam conſtat. Ita enim ibi legitur: CN. ATELLIVS PONTIF. IIV. Q. *Atellii* noti ex Inſcriptionum veterum penu; non ultimum inter eos locum obtinet, qui cum *Juba*, *Jubæ* filio, Regum eruditiſſimo, cujus præſtantes, eosque ineditos, nummos in Theſauro ſuo Regio Cl. *Havercampus* promet, Duumviri quinquennalis munus Carthagine, ut idem Vir doctiſſimus conjicit, poſt acceptam a *Lepido* cladem denuo colonis ab *Auguſto* frequentata, geſſit.

In *Mindiæ* gentis nummis duobus prioribus, in quibus vox ΠΑΤΡ. & ΠΑΤΡΩΝ, vulgarem ſequitur opinionem Cl. *Havercampus*, ratus, Patrenſem civitatem innui. Sed, cum in altero mulierem, quæ ſuperiori corporis parte nuda veloci gradu fertur, dextram retro protendens, Amazonem non male interpretetur, eoque typo Aſiæ potiſſimum urbes ſuperbiant, mirum eſt, in voce ΠΑΤΡΩΝ non potius nomen proprium viri magiſtratu fungentis, quam coloniæ Romanæ, quæ in monumentis publicis literas Romanas Græcis ſubſtituere ſolebant, eum agnoviſſe cum Cl. Editore, quem paſſim appellat, Theſauri Gothani *p. 421 ſeq.* Solent enim majoris dignationis Magiſtratus in nummaria ſuppellectile hac ſæpe majoribus jungi, ut *Philopatris Aulo Geſſio* in nummo Smyrnenſium, ne alia nunc exempla, paſſim obvia, hoc loco congeramus.

Mitrejæ gentis, quæ tam obſcura eſt, ut ne inſcriptiones quidem, nedum Autores, ulla ejus veſtigia, teſte Cl. *Havercampo*,

TAB. II ad Nov. Act. Erud. A. 1735. Menſ. M



Fig. I.



Fig



Fig. III.



Fig

art. p. 108. 109. 111. et 113.



7. II.



7. IV

po, hodie ſervent, nummuli duo, quos protulit *Morellius*, paulo plus lucis deſiderant, quam quæ fulgent adhuc, ut recte intelligi poſſint. Caput *Agrippæ* in iis agnoſcit Cl. *Havercampus*, quod in priori ſaltem, qui nobis ad manum eſt, ad *Augusti* vultum propius accedit. Ceteroqui potiori utique jure MAGISTRVM IVVENTVTIS, qua appellatione C. MITREIVS L. F. in iisdem inſignitur, de eo, qui juventutem Romanam, & inprimis C. & L. CAESARES, diſciplina militari & equeſtri imbuebat, & qui diverſus honoris gradu a pædagogo vel magiſtro puerorum, cujusmodi in vetuſtis Inſcriptionibus occurrunt, interpretatur Cl. *Havercampus*, quam *Harduinus* de præfecto copiarum pedeſtrium, quem poſtea idem principem juventutis dictum putat, qui & literas numerales XII (in *Morelliano* & noſtro eſt XI, quod ex converſo nummo IX eſſe poteſt,) de legione XII accipit, cum veroſimilius index annorum imperii, vel potius tribunitiæ poteſtatis, A. U. DCCXXXI primum ſumtæ ab *Auguſto*, ex *Mediobarbi* & Cl. *Havercampi* ſententia, in iisdem deliteſcat.

TAB. II Fig. 4.

Nummis Conſularibus, quorum fides extra dubium poſita eſt, *Goltziani* aliique dubiæ auctoritatis ſubjunguntur, ad quos rectius intelligendos non tantum, quæ *Ericius*, *Pighius*, & *Vaillantius*, aliique, commentati ſunt, magno ſtudio collegit Cl. *Havercampus*, ſed & ipſe, quid cenſendum de iis ſit, uberius declaravit. Sic ad *Æliæ* gentis nummum, qui eſt Tab. I ſeptimus, cujus adverſa in parte caput Neptuni cum tridente, in averſa idem Neptunus in quadrigis equorum marinorum, cum literis: Q. TVBERO, cum *Ericii*, tum *Vaillantii* ſententiam de eo exponit. Uterque ſub conſulatu *Tuberonis* eum cuſum ſtatuit. Neptuni caput & currum *Ericius* ad peculiare ſtudium & religionem Conſulis erga illud Numen, *Vaillantius* ad curam tutelamque aquarum, ex Senatusconſulto a *Tuberone* Conſule ſuſceptam, atque adeo ad *Auguſtum* ipſum, tanquam alterum Neptunum, aquis imperantem, refert. Cl. *Havercampus*, caſtigata inprimis poſteriori ſententia, quæ cum diviſione illa monetæ, qua, auri argentique ſignandi facultate ſibi ſervata, Imperatores unius æris cudendi gratiam Senatui fecerunt,

 conſi-

Digitized by Google

conſiſtere non poteſt, oſtendit, nummum referri poſſe ad tempora belli Macedonici cum Rege Perſeo atque ad apparatum navalem, quo contra eum uſi Romani, ſignatumque a *Q. Ælio*, Quæſtore, genero *L. Æmilii Pauli*, qui bellum id ſuis auſpiciis geſſit, videri. In Familia *Fabia* nummi *Goltzianorum* decimi adverſa pars caput Romæ galeatum in laurea, cum literis: ROMA, averſa Neptunum in quadrigis decurrentibus, cujus in dextra tridens, in ſiniſtra equorum habenæ, infraque navis proram præfert, cum inſcriptione: Q. MAXimus VERRVCOſus. Ejus nummi averſa pagina a *Goltzio*, *Ericio* & *Vaillantio* ad triumphum *Q. Fabii Maximi Verrucoſi* de Tarentinis, qui in A. U. C. DXIV incidit, revocatur. *Ericius* Neptunum cum tridente quadrigis triumphalibus inſiſtentem, infraque poſitam proram, ad victoriam navalem *Fabii* de Tarentinis trahit; ſed *Vaillantius* rectius de ſitu Tarenti, urbis maritimæ, interpretatur. Ei ſententiæ ſubſcribit Cl. *Havercampus*, ſed oſtendit eodem tempore, male lauream averſæ partis in gramineam coronam, qua, *Hannibale* ex Italia pulſo, *Fabium* donatum eſſe *Plinius* docet, converti a *Vaillantio*. *Hannibal* enim A. U. C. DL Italiam reliquit; quo pacto igitur inſculpi nummis, ante triumphum A. DXLIV ex ipſius *Vaillantii* ſententia ad remunerandos milites cuſis, corona illa potuit? Quam vere autem idem *Vaillantius* affirmet, *nullum omnino ex Goltzianis eſſe debere ſuſpectæ fidei, tam exacte ad hiſtoricam veritatem conſentire tum figuras omnes, tum inſcriptiones, nulla ut legitima poſſit eſſe de genuina ipſorum origine diſputatio*, vel ex *Gelliæ Lutatiæ*que Familiæ nummo, qui caput Libertatis velatum, cum literis: Q. LVTATIVS Q. F. Q. N. CATVLVS ÆD. CVR. EX S. C. & ab altera ſui parte ſellam curulem inter duos lauri ramos, cum adſcriptis vocibus: L. GELLIVS L. F. COS. complectitur, ſatis oſtendit Cl. *Havercampus*. Q. enim *Lutatius Catulus*, cum *Lutatia* gens eſſet plebeja, nullo modo ſe magiſtratus Patriciis proprii nomine & dignitate venditare potuit. Unde & idem *Catulus* ante conſulatum & cenſuram, quam geſſit, non inter Ædiles curules, ſed plebis, refertur a *Pighio* ad A. U. C. DCLXVII.

Digitized by Google

DCLXVII. Quibus præmiſſis, concludit tandem Doctiſſ. *Havercampus*: *Omnia itaque, quæ ad interpretationem hujus nummi afferuntur, uno verbo præcidimus, falſum videri nummum & vere Goltzianum. Imo magna mihi eſt ſuſpicio, omnes illos ejus viri nummos, qui Conſulum & Ædilium curulium conjuncta habent nomina, ejusdem farinæ eſſe.* Inprimis vero & γοητείας ſuſpicione apud Cl. *Havercampum* laborant, qui, cum trina diſtincte nomina adſcripta ſervent, IIVirorum tamen magiſtratum adjectum ſiſtunt. Ceteroqui non omnes ad unum ei æque ſuſpecti, prout vel ex altero gentis *Semproniæ* nummo conſtat, cujus in averſa Conſul in quadrigis triumphalibus ſtans, Victoria advolante, eique coronam porrigente, cum literis: C. SEMPronius BLAESVS. Eum denarium cum *Vaillantius* apud Purpuratum *de Maximis* ſeſe obſervaſſe teſtetur, agnoſcit Cl. *Havercampus*, de fide ejus dubitari amplius non poſſe, optatque adeo, *Vaillantius* ut omnes, quos vidit, *Goltzianos* annotaſſet. Sed annon hoc ipſo ex ſilentio ejus manifeſtum ſit, præter hunc vel nullos, vel pauciſſimos ſeſe ei in tot Muſeis, quæ perluſtravit, obtuliſſe? Verum & alibi Cl. *Havercampus* de *Goltziano* gentis *Valeriæ* nummo, in quo altera ex parte M. MESSALAE COS. caput, ex altera ſymbola ſacerdotalia, cum inſcriptione: M. VALERIVS M. F. M. N. CORVINVS, *pulcherrimum*, inquit, *hunc rariſſimumque denarium, & cujus (cum genuinum putem) conſpectum aliquot denariis libenter emerem, vulgavit Goltzius.* *Goltzianis* nummis *Morellius* alios quosdam literis C. P. (*Carolum Patinum*, vel *Cavinum Patavinum*, forte innuentibus,) notatos immiſcuit, ſed, cum ſubleſtæ omnes fidei ſint, ut docet Cl. *Havercampus*, iisdem immorari, Lectoribus plus ſatis recenſu hujus Operis jam tum fatigatis, nolumus.

VINDICIÆ METHODI, QUA IN ELEMENTIS Juris Civilis uſus eſt Vir Illuſtris atque Excellentiſſimus, J. G. HEINECCIUS, S. R. M. Pruſſ. Conſ. Intimus, & Jur. ac Philoſ. in Illuſtri Frideric. P. P. O.

Digitized by Google

oppoſitæ G. J. SCHUTZII Examini ejusdem methodi. Accedit in calce ipſum Examen SCHUTZIANUM, ac præterea Examen Orationis PFAFFIANÆ de Chirographo Apoſtoli Pauli, una cum Oratione ipſa.

Trajecti ad Rhenum, apud Hermannum Beſſeling, 1734. 8. Plag. 18.

Surrexit in Belgio acerrimus methodi *Heineccianæ* defenſor, & vindicem calamum ſtrinxit adverſus omnes, qui vel latum unguem diſcedunt ab illa, qua utitur Ill. *Heineccius*, juris interpretandi ratione. Movit illum ad opus hoc perficiendum incredibilis, qua heroem ſuum complectitur, veneratio, & juſtus, quemadmodum ſcribit, dolor, quo ob indigne factam optimo *Heineccio* pauperiem valde afficitur. Nomen Defenſoris non heri nudiusque tertius innotuit Reipublicæ literariæ proceribus civibusque, ſed jam dudum aliquem in hac Republica locum conſcripta Teredinum hiſtoria obtinuit Conſultiſſ. *Sellius*. Nunc augere ſtudet famam laudatiſſimo Opere partam, cupitque

vivus volitare per ora virum.

Quapropter omnem bilem effundit contra eos, qui methodum *Heineccianam* improbant, totque ſelectis Oratorum & Poetarum floſculis, tanquam totidem telis, confodit eos, ut non magis potuiſſet, ſi conjuraſſent adverſus Rempublicam. Fortis & magnanimi militis igitur laudem gloriamque conſecutus eſt Cel. *Sellius*, quippe qui pro methodo *Heineccianâ* maſcule apertoque pectore pugnavit. Interim magnopere optaſſemus, ut illud Poetæ monitum ſæpius ſibi in animum revocaſſet:

Parcius iſta viro tamen objicienda memento.

Nos, qui huic liti nos non immiſcebimus, nihilominus lætum jucundumque literarii belli ſpectaculum non invidebimus Lectoribus noſtris, & univerſam illius hiſtoriam, ab omni partium ſtudio ſejuncti, candide atque ingenue commemorabi-

rabimus. Primam, eandemque infeliciſſimam, infauſto bello huic occaſionem dedit S. R. Tubingenſium Cancellarius, *Chriſtophorus Matthæus Pfaffius*. Is A. 1729. Orationem recitavit, in qua de Chirographo Apoſtoli *Pauli*, *Philemoni* in favorem *Oneſimi* ſervi transmiſſo, num conſtitutum, vel fidejuſſionem, aut expromiſſionem, ſapiat, vel potius alia prorſus ratione explicandum veniat, diſputat. In eo ſcilicet occupatur S, Rev. *Pfaffius*, ut, in verbis *Paulinis* neque fidejuſſionem, neque conſtitutum, neque expromiſſionem, contineri, oſtendat, neque ſerio iſthæc ab Apoſtolo fuiſſe ſcripta, quaſi aut ſolvere quid *Philemoni* pro *Oneſimo* voluerit potueritque, ſed unice ut autoritate ſua *Philemonem* permoveret, ut veniam faceret damnorum & injuriarum, quas a ſervo ſuo fuerat perpeſſus, illudque omne ex caritate Chriſtiana, qua jam fratres eſſent omnes, ei benigniter remitteret. Inprimis diſplicere ſibi methodum, quam in Elementis Juris Civilis ſecundum ordinem Pandectarum adoptavit *Heineccius*, *qui*, liceat ipſius Venerabilis Cancellarii verbis uti, *in tradenda Jurisprudentia Civili methodum demonſtrativam illam, recentioris Philoſophia illius, ubi ſemper unum ex altero catenatim deduci amat, primus vel adhibuit, vel, neque enim ejusmodi methodum Jurisprudentia Civilis patitur, affectavit.* Miſere hanc Orationem perſtrinxit terræ quidam filius & lucifuga, & omnem convieiandi libidinem, non rogatus, neque invitatus, intolerabili arrogantia exercuit. Neque enim tam atroci pœna dignum facinus admiſerat optimus Cancellarius, neque quidquam fecerat, quod ad tantam iram provocare poſſet *Heineccianæ* methodi ſectatorem, qui ipſe in Oratione ſua fatetur, *ſe JCtorum ſubſellia nunquam trivisse*, & ejusmodi Orationis argumentum elegerat, quod ad Theologos ſolos, ſi vera profiteri volumus, pertinet, & in quod improbe involarant JCti, cum quibus ſæpe peſſime ageretur, ſi finium regundorum actione cum iis experirentur Theologi. Contra *Pfaffianum* hunc Adverſarium poſtea calamum prehendit *Godofredus Jacobus Schützius*, aut ſi quem alium ſub hoc nomine latere putes, qui convicia conviciis oppoſuit, ſimulque Compendii *Lauterbachiani* defenſionem in ſe ſuſcepit, & ſuam

 de

de methodo *Heineccіana* ſententiam dixit, atque Titulum de SCto Vellejano ſub examen revocavit. Contra hoc Examen vindicias ſecundum libertatem dari poſtulat Conſultiſſ. *Sellius*, Ill. *Heineccii* cauſam agit, Adverſarium ſuum ſatyricis, ſed & interdum, quod æquitatis ſtudioſi judicabunt, nimium acerbis, verbis excipit, eum cum ignaviſſimo quadrupedum aſello comparat, omni judicandi facultate privat, infelici arbori deſtinat, & ab omni hominum conſortio excludit. Interim, etſi fateamur, hæc & plura alia, quibus Adverſarium traducit, ſcommata duri aliquid & inhumani ſecum ferre, non poſſumus tamen non, quin Conſultiſſ. *Sellii* Vindicias ob venuſtiſſimam dictionis latinæ elegantiam, & inſignem leges Romanas interpretandi peritiam, magnopere commendemus atque dilaudemus. Id monemus Lectores noſtros, omnia, quorum mentionem fecimus, ſcripta adjecta reperiri hiſce Vindiciis, fructuoſa futura iis, qui tragœdiis illis in Republica literaria magnopere delectantur. Atque utinam mox veritatem *Virgiliana* ſententiæ, quam ſub principium Vindiciarum ſuarum collocavit Conſultiſſ. *Sellius*, rerum eventus comprobaret:

Hi motus animorum atque hæc certamina tanta
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.

THE ENGLISH MALADY, OR A TREATISE of nervous diſeaſes of all kinds, &c.

h. e.

MORBUS ANGLICUS, SIVE TRACTATUS de nervoſis omnis generis morbis, ſpleneticis, vaporoſis, ab imbecillitate ſpirituum, hypochondriacis & hyſtericis affectibus, &c. tribus Partibus diſtinctus, quarum prima naturam & cauſas nervoſorum affectuum, altera nervoſorum morborum curam, tertia varios caſus, pro illuſtranda & confirmanda curandi methodo, continet. Autore GEORGIO CHEYNE, M. D. Collegii Medicorum Edimburgenſium & Regiæ Societatis Londinenſis Socio.

Londi-

Londini, impenſis G. Straphan & J. Leake, 1733, 8.

Alph. 1 pl. 2.

Morbi Anglici, quo nomine phantaſticos & ideales nervoſi generis morbos compellare ſolemus, ingenuam ab erudito quodam Medico Anglo ſcriptam hiſtoriam, quotusquisque eſt, qui non deſideret? Compotes voti reddit curioſos doctiſſimus & in morbis explicandis verſatiſſimus Autor, quando malum iſtud, in opprobrium gentis ſuæ, uti ipſi videtur in Præfatione, ſic dictum, quam tamen ſuſpicionem longe abeſſe deprecamur, in ſua elementa redigere graphiceque delineare inſtituit. Agnoſcit ſtatim ab initio mali inter cives ſuos frequentiam, ita, ut tertiam fere eorundem partem cum iſta labe conflictari aſſeveret; cujus endemici mali ſemina, a ſingulari aeris Britannici miſtura, aquarum locorumque propria conſtitutione, populi, otia, quærentis, vitamque ſedentariam exercentis, copia, foveri declarat. Morbum ejusmodi, qui mentem ipſam affligunt, miſeriam planctibus proſequitur, arbitratus, cum omnis generis morbi deſiderium vivendi non prorſus exuant, hunc ſolum eſſe, qui pertæſos ſui ipſius ægros reddere poſſit, quandoquidem anima ipſa ſibi non conſtet, & miſere anxia evadere quantocyus tentet. Hanc animam, hoc intelligens principium, in aliqua, ſed quam definire non audet, cerebri regione, tanquam in regia ſede, collocat, ex qua imperium ſuum in corpus iſthoc mechanicum, variis ſcilicet variorum vaſorum tubulis & canalibus conſtructum, exercet, tangendo & impellendo nervos ſuæ voluntatis & arbitrii adminiſtros, non aliter, ac organi muſici magiſter, remotis a ſe harmonicis tubis, tangendo melodiam imperat: adeoque morborum, qui mentem vitiant, cauſam formalem in læſa nervorum vibratione collocat, aut tremore eorundem naturali interrupto, partim ab humiditate aut ſiccitate vitioſa, partim a ſubſtantia eorundem, poſt acceſſum peregrinarum particularum, male habitum, aut ob elaſticitatem legitimam, infractam, & penitus deſtructam. Quam late pateat morborum iſtiusmodi familia, declarat, quando terminos, quibus incipit, quibusque deſinit,

ſinit, definit: ab oſcitatione, ait, & tenſione membrorum involuntaria, ad apoplexiam uſque omnes nervoſi generis morbi imbecillitatem debitique nervorum roboris defectum pro cauſa agnoſcunt. Quæcunque illæ ſunt, hac claſſe contentæ ægritudines, varia vel affinitate, vel ſanguinis quaſi propinquitate, ſeſe mutuo attingunt: unius ejusdemque indolis ſunt, quæ ſentiendi & intelligendi potentiam ad tempus auferunt, prout lethargus, mania, melancholia, & ipſa apoplexia, quæ mala etiam cauſarum communionem alunt, humorum ſcilicet viſciditatem & lentorem, quo glandularum tubuli & arteriolarum extremitates obſtruuntur, cum manifeſta nervorum ad vibrationes ſuas ineptitudine. Alia eſt ratio morborum, qui voluntarios ſaltim motus, vel ex toto, vel ex parte, evertunt, prout in affectibus paralyticis, quo tempore ob laxitatem & atoniam nervorum energiam ſuam commonſtrare anima neutiquam poteſt. Quodſi autem involuntarii motus excitantur in ſpaſticis & convulſivis affectibus, acrimonia ſane quædam accuſanda eſt, quæ ſenſiles nervorum fibras ad tremores arbitrio mentis contrarios concitat. Cauſæ procatarcticæ, ſi longius recedas, vel acquiſitæ erunt erroribus, quibus humanum conſortium obnoxium eſt, vel hæreditario jure a parentibus acceptæ. Maxime vero operoſus eſt Cl. Autor in declarandis mirificis ſalium effectibus in genere, exemplo ſalium, qui ſe mutuo deſtruunt cum motuum quorundam vehementia, qui ex iſto conflictu enaſcuntur, quo ſic ſalia urinoſa, volatilia, & acria in corpore humano accuſare, iisdemque ſingulares iſtos in morbis idealibus effectus adjudicare poſſet. Quamvis autem humores acres reos fecerit, propiorem tamen effectui cauſam allegat vitium in viſceribus quibusdam contractum. Sic enim diſerte ait: Nunquam vidi obſtinatis nervorum ægritudinibus laborantes, quibus ſtomachus, inteſtina, hepar, lien, meſenterium, aut aliquod aliud primæ nobilitatis viſcus non obſtructum fuerit, ſcirrhoſum, aliisve modis depravatum; quæ res ſane ſimili ſemper ſucceſſu a tantæ autoritatis Viro triginta annorum experientia obſervata, inſigne lumen in cura ejusmodi malorum accendere poteſt. Utitur Cl. Autor in declaranda iſtiusmodi malorum indole

dole termino vaporum, quidque hac notione ſibi velit, paulo poſt uberius declarat. Vapores eidem ſunt humorum corporis humani ſubtiliores moleculæ, quæ legitimum motus ſui ſyſtema deſerunt, & aliqua in parte contra leges motuum divagantur, prout in inteſtinis flatus, in ſanguine febrifica quædam a languidiore ſalium conflictu orta aura. Sic in nervis ſtatuit rebelles circuloque naturali minus obtemperantes fluidi iſtius partes, quod ſpiritus nomine appellari ſolet. Hæ ſunt illæ cauſæ febrium nervoſi generis, prout Cl. Autor easdem appellat, quarum ſymptomata ſolent eſſe geſticulationes, membrorum diſtorſiones, Chorea Sancti Viti, aut alia ſpaſticæ naturæ ſymptomata, qualia interdum etiam inter noſtrates, maxime vero in pueris, obſervata fuerunt. Omnibus hiſce afflictionibus medelam allaturus, remedia ad cauſarum diſcrimen dirigit, & primo loco, prædicat diluentium uſum ad exuendam humoribus viſcedinem, quam obſtructionum cauſam fecerat, quo ſcilicet remediorum genere intervalla ſymptomatum majora & luculentiora efficiantur. Verum omnis labor hoc unico peractus non eſt, ſed id agendum reſtat Medico, ut, quandoquidem coagulum, in extremitatibus vaſorum a ſalium deformi mole ortum, nervos affligit, ſalia iſta diſſolvantur, infringantur, edulcorentur, eorundemque ferocia compeſcatur. Accedit, quod elaſticitas tonusque nervorum attentionem Medici poſtulet. Quodſi enim certum eſt, etiam de cetero bene ſeſe habentibus humoribus corporum, ſpontaneo quodam naturæ decurſu, nervorum robur infringi, quam deficiendi aliquando neceſſitatem antiquos *Cyclum metaſyncriticum* appellaſſe ſtatuit, multo magis id eveniet, ubi vaſcula minuta acri humore, qui inſtar menſtrui cujusdam corroſivi graſſatur, turgent, adeoque poſt diluentia & temperantia uſu venient tonica ſubadſtringentia, aromatica, inter quæ recenſet omnia amara, aromatica & chalybeata. Inanis autem futurus eſt labor, niſi diætæ ordinandæ cura legitime habeatur. Eminet inter omnes iſtas regiminis regulas imperandum corporis exercitium, motusque & frequentiores & vehementiores, artis gymnaſticæ, quam *Hippocrates, Diocles, Paraxagoras* & *Eraſiſtra-*

Digitized by Google

tus primi introduxerunt, nobilitatem ſummis laudibus evehens. Præferre autem videtur reliquis exercitiis ad modum Conterranei ſui, Cel. *Sydenhamii*, equitatum, quo nervorum ægritudines haud raro levatas fuiſſe demonſtrat. Sicut autem in exemplis res clarior eſſe ſolet, ita *tertia* elegantis Opuſculi *Pars* rariorum caſuum, ad nervoſi generis morbos ſpectantium, ſyllogen exhibet.

ALBERTI HALLER DE MUSCULIS DIAphragmatis Diſſertatio Anatomica.

Bernæ, apud Nicol. Eman. Haller, 1733, 4 maj.
Plag. 4½, cum Tabula ænea.

Nondum pro dignitate expoſita vera diaphragmatis, partis omnino, reſpectu functionum ſuarum, non ignobilis, ſtructura viſa eſt Cl. Autori, multo minus accurate delineata ærive inciſa ejus figura; quod inde factum opinatur, quod pleræque diaphragmate ex corpore exemto efficta ſint. Quare novam ejus, prout a parte inferiore ſpectatur, & cum cartilagine xiphoide, margine coſtarum ſpuriarum, & lumborum vertebris, adhuc cohæret, ut ſic nulla ejus pars ſitum naturalem mutarit, delineationem exhibere, laudatiſſimo conſilio ſuſcepit, adjectaque Commentatione omnes ejus conditiones ſolicite ex-
§. 1. poſuit. Parum intereſſe putat, num muſculum, juxta antiquos, vel muſculos diaphragmatis duos, vel tres cum recentioribus, dicas, ſi modo diverſum fibrarum carnearum, in centro tendineo concurrentium, ortum & tractum notaveris; illud vero, prout ab anterioribus ad poſteriora protenditur, angulum internum formare, cum ſterno obtuſum, cum ſpina dorſi acutum, monet. Centrum tendineum altius eſſe fibris carneis, altiſſimamque fornicis partem, latus ejus dextrum, ſupra foramen,
3. per quod vena cava tranſit, efficere, indicat. Fibrarum carnearum anteriorum pars, duobus faſciculis recta ſurſum & ad poſteriora tendentibus, anguſtis, quam reliquæ, brevioribus, ab appendicis ſterni facie poſtica originem ducere, interque has

& reliquas a margine coſtarum prodeuntes, ſpatium ſolis membranis pleuræ & peritonæi tectum relinqui, probe a Cl. Autore demonſtratur & delineatur. Aliqui Autores fibras laterales cum transverſo abdominis muſculo confluere putarunt; Noſter vero ſola membrana intercedente jungi comperuit; ad pſoam autem, quadratum lumborum, uti in vicinis muſculis fieri ſolet, fibras quasdam interdum emittere largitur. Appendices, ſive muſculi inferiores diaphragmatis dicti, vulgo duo numerantur, Noſtro quatuor ſunt. Præter enim vulgares, majores, easque interiores appendices, vertebrarum corpori lateraliter incumbentes, bina adhuc crura exteriora minoraque obſervat, quorum dextrum duobus tendinibus a parte laterali corporis vertebræ lumborum tertiæ, ſiniſtrum vero paulo brevius, eodem vertebræ ſecundæ loco, oritur, utraque deinde carnea ſupra muſculum pſoam lata fibris a coſta duodecima ortis inſeruntur. § 4.

Tendineam expanſionem diaphragmatis, (hoc enim nomen magis, quam centri ſeu circuli nervoſi, Cl. Autori arridet,) ſecundum omnes dimenſiones exacte deſcribit, fibrarumque variam directionem, prout a variis principiis deducuntur, incurvantur, ſeque ſubinde interſecant, perſequitur; inprimis vero notabile naturæ artificium in diſpoſitione fibrarum, circa foramen venam cavam transmittens attendere jubet; ubi aliæ extrorſum deorſumque duobus faſciculis deſcendentes, ductu ex parallelo leniter convergente, iter venæ intercipiunt, aliæ vero ſupernum & infernum angulum prætervehuntur, & prioribus utrisque ad decuſſim miſcentur, unde in quocunque ſepti motu perpetua foramini huic ſtabilitas conciliatur, ne eo tempore inſpirationis conſtricto motus ſanguinis graviter turbetur. 5.

Præter hoc foramen ſuperius, dextra parte locatum, occurrit in ſiniſtro latere, ubi fibræ carneæ muſculi inferioris fiunt tendineæ, aliud pro transmittendo œſophago & nervo paris vagi, cujus portio inferior ſtringitur a muſculis inferioribus diaphragmatis, dum faſciculus ex crure dextro in ſiniſtrum, aliusque a ſiniſtro in dextrum adſcendit, quibus medius intercipitur œſophagus; ex quo contra Cl. *Chiracum* probat, diaphragma in vomitu quieſcere, &, dum inſpirando ventriculum evacuat, cibos deorſum propelle- 6.

Digitized by Google

§. 7. pellere, non ſurſum, conſtricto oſtio ſuperiori ventriculi ab agentis diaphragmatis muſculis. Aorta vero & vena azygos cum ductu chylifero & nervo intercoſtali non perforant diaphragma, ſed inter muſculorum inferiorum interſtitia tranſeunt. Explicata ſic ſtructura, de actione & uſibus ejusdem tradit, miratus, tot diverſas eſſe Autorum de eisdem ſen-
8. tentias. Harum potiores una cum earum patronis recenſet. Antiquiorum aliqui, pro ſepto duntaxat binos ventres diſtinguente habentes, nullum vel obſcurum præterea officium aſſignabant; alii exſpirationem producere, conſtringendo imum thoracem, aſſerebant; alii ad inſpirationem quidem, ſed ſecundario tantum, facere volebant; plurimi vero ex recentioribus primarium eſſe inſpirationis inſtrumentum ſtatuebant: nec ipſa diſſectio conciliare ſatis animos poterat; *Plempio* narrante inter ſex Anatomicos bruti inciſi inſpirationem obſervantes diſceſſionem in contrarium factam paribus votis, quod ob reſectos muſculos abdominis, qui alias ſeptum in thoracem propellant, factum, ſicque diaphragma verſus abdomen protuberare
9. re viſum fuiſſe putat. Ipſe igitur Cl. Autor ex ſectionibus animalium & ipſa partium fabrica triplicem admittendum eſſe diaphragmatis agentis ſtatum colligit. In naturali inſpiratione, ubi ſolum diaphragma, coſtis fere immotis, agit, media & poſterior ejus pars ex laxo fornice expanditur, thorax elongatur, abdomen vero anguſtatur: ſi contentior ſit inſpiratio, muſculis intercoſtalibus coſtas ſurſum extrorſumve ducentibus, coſtæ imæ a ſepto valide deprimuntur, unde longitudo æque ac latitudo thoracis augetur. In ſumma anxia reſpiratione coſtæ adeo valide elevantur ab omnibus muſculis huc conſpirantibus, ut & diaphragma, motui fortiori cedens, intra abdomen protuberare nequeat. Poſt actum inſpirationis ſeptum relaxatum, a muſculis abdominis intra thoracem urgetur. Primario ergo ad inſpirationem facit diaphragma, ſimul vero varias ſecretiones & excretiones, in abdomine contingentes, motu ſuo alterno juvat; riſus vero, fletus, ſingultus, vomitus, relaxationi potius ſepti, quam contractioni ejus muſculari, deberi videa-

Digitized by Google

videntur. Optandum foret, ut omnium partium corporis noſtri fabrica tam exacte ſecundum omnes conditiones deſcripta exſtaret; quo futurum eſſet, ut multa phænomena, nondum ſatis extricata, rectius evolvi poſſent.

THE PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS from the year 1720 to the year 1732 abridged, &c.

h. e.

ACTA PHILOSOPHICA AB A. MDCCXX uſque ad A. 1732 in epitomen redacta, & per capita generalia diſpoſita a REIDIO & JOANNE GRAY, *A. M. & R. S. S.*

Voluminis VI. Pars I.

Londini, apud Guil. Innys & Rich. Manby, 1733. 4.

Alph. 2 pl. 7, cum Tabb. æn. 12.

Volumen hoc in *quatuor* dividitur *Partes*, quarum *prima* Mathematica, *ſecunda* Phyſica, *tertia* Anatomica, Medica & Chymica, *quarta* denique Chronologica, Hiſtorica, & Antiquitates, continentur. *Pars prima* Tomum unum, reliquæ alterum abſolvunt. Inter Mathematica primo loco exhibentur, quæ ad Geometriam, Algebram, & Arithmeticam, ſpectant. Cap. 1. *Robertus Simſon* duas propoſitiones generales *Pappi*, quarum mentionem facit in Præfatione ad *Lib. VII Collect. Mathem.* & duo poriſmata *Euclidis*, reſtituit. *Moivraus* nova quædam theoremata de multiſectione anguli exhibet. *Guido Grandus* flores Geometricos, hoc eſt, figuras, curva quadam, per aliquot foliorum, ſeſe ab uno centro expandentium, perimetrum recurrente, circumſcriptas, contemplatur. *Samuel Klingenſtiern* generalem curvarum hyperbolicarum quadraturam determinat. Refert autem ad hoc genus omnem curvam, cujus ordinata datum efficit rectangulum cum recta, quæ ex tribus partibus, neceſſario diverſis, & ordine genitis, conſtituitur. Diverſæ partes eſſe intelliguntur, quæ ex diverſis abſciſſæ

 pote-

Digitized by Google

poteſtatibus quomodocunque oriuntur; ordine autem genitæ ſunt, ſi modo ab ima ad ſummam poteſtatem æquis gradibus adſcendant. *Anonymus* explicat, quæ in *Actis* noſtris *Supplem. Tom. VIII Sect. I* notis fictis celavit de inveniendis curvis, quæ in ſitu inverſo ſe ipſas ſemper interſecent in angulo dato. *Benjaminus Robins* propoſitionem undecimam Tractatus *Newtoniani* de quadraturis curvarum demonſtrat. *Moivræus* fractiones quasdam Algebraicas ad ſimpliciores reducere, & quarundam ſerierum terminos ſummare, docet. *Mac Laurin* theorema *Newtoni* de radicibus impoſſibilibus æquationum demonſtrat, & theoremata nova de radicibus imaginariis æquationum detegendis proponit. Subjungitur methodus *G. Campbell* determinandi numerum radicum impoſſibilium in æquationibus affectis, qui & regulam *Carteſii*, ſeu *Harrioti*, de numero æquationum verarum & falſarum demonſtrat. Denique *Joannes Colſon* de nova quadam Arithmetica negativo-affirmativa Meditationes ſuas communicat, in qua ſcilicet characteres negativi miſcentur affirmativis in deſignatione numerorum.

Cap. 2. Succedunt ſecundo loco, quæ ad Geodæſiam pertinent. Docet *Hallejus* uſum barometri ampliati a *Patricio* in libellatione, & ſimilem uſum illius barometri deſcribit *Deſagulierius*, quod *Stephanus Gray* invenit. Subjungitur *Scheuchzeri* methodus barometrica dimetiendi altitudines montium.

3. Tertium locum Optica ſibi vendicant. *Deſagulierius* accurate deſcribit, quænam obſervanda ſint in experimento primo *Lib. I* Opticæ *Newtonianæ*, ut ſuccedat, cumque in Italia *Rizetti* experimentorum *Newtonianorum* de diverſa radiorum refringibilitate in dubium vocaſſet, modum eadem cum ſucceſſu inſtituendi deſcribit, coram Societate Regia ipſo opere comprobatum. *Pembertonus* ex inventis *Newtoni* de coloribus rationem reddit arcuum diverſicolorum intra iridem primariam a *Langwithio* obſervatorum. *Joannes Hadley* deſcribit teleſcopium catadioptricum, a ſe conſtructum, ut ad obſervationes cœleſtes commode adhiberi poſſit, & *Bradlejus* teleſcopium hoc quinque pedum cum parte quarta æquivalere *Hugeniano* 123 pedum deprehendit. Etenim omnes quinque

Satel-

Digitized by Google

Satellites Saturni, tranſitus Satellitum & umbræ ipſorum per diſcum Jovis, phænomena ſingularia annuli Saturni, veluti ejus umbra in annulum projecta, diſtinctiſſime obſervata fuere. Deſcribitur apparatus microſcopicus *Leeuwenhœkii*, quem Societati Regiæ legavit. Singula microſcopia ſimplicia ſunt, ex lenticula utrinque convexa conſtantia, quæ ob claritatem objecta admodum diſtincte repræſentant, etſi diametrum minus amplificent, quam alia vitra minora.

Quarto loco conſpiciuntur Aſtronomica. *Hallejus* de refractione in aere facta diſſerit. Monet autem, ab altitudine 20 graduum citra errorem aſſumi poſſe rationem conſtantem ſinuum veræ atque apparentis diſtantiæ a vertice. Exhibet Tabulam refractionum ad ſingulos gradus altitudinis apparentis & quadrantes primi atque ſecundi, ſemiſſes vero uſque ad decimum ſequentium. Refractio horizontalis eſt 33', 45"; in altitudine autem 75 graduum non niſi 15". *Nettleton* obſervavit, refractionem aeris omni tempore non eſſe eandem, cum eandem altitudinem montium ope barometri nunc majorem, nunc minorem, deprehenderit. *Hallejus* de methodo *Caſſiniana* teleſcopica obſervandi adſcenſionem rectam & declinationem fixarum nonnulla annotat. *Poundius* & *Bradlejus* hac methodo parallaxin ſolis obſervarunt non majorem 12, nec minorem 9 ſecundis. Eadem methodo deprehendit *Hallejus*, Tabulas proprias Mercurii eſſe, tam exactas, quam Veneris, ſaltem pro tempore obſervationis. Commendat itaque eandem in obſervando Mercurio & Cometis Soli vicinis. Idem *Hallejus* adſtruit infinitudinem ſphæræ fixarum. Supponit autem principia *Newtoni* de mutua gravitatione corporum mundi totalium in ſe invicem. Hinc enim infert, ſtellas in ſuperficie ſphæræ finitæ gravitaturas in eas, quæ ſunt centro proximæ, & accelerato motu tandem in eas ruere, ac ſucceſſu temporis cum iisdem coaleſcere debere, cum e contrario in ſpatio infinito vi mutuæ attractionis omnia ſint in æquilibrio. Removet deinde objectiones, quæ contra eam afferri ſolent. Idem examinat hypotheſin, quod ſtellæ fixæ ſint totidem Soles, & circum ſe habeant ſyſtemata planetaria, qualia circa Solem

Cap. 4.

noſtrum

noſtrum conſpiciuntur. Examinat etiam methodum, qua *Caſſinus* parallaxin & magnitudinem Sirii ſcrutatus eſt, eamque multis difficultatibus obnoxiam eſſe oſtendit. *Bradlejus* novum quendam motum fixarum obſervavit, vi cujus intra ſpatium annuum a polo verſus auſtrum ad certam diſtantiam recedunt, & deinde rurſus in boream ad certam diſtantiam excurrunt. Cauſam deducit a motu annuo telluris & ſucceſſiva luminis propagatione: neque enim parallaxi fixarum annuæ conſentit, quam ex ſuis obſervationibus vix unius minuti ſecundi, adeoque inobſervabilem eſſe debere, concludit. *Hallejus* commendat methodum determinandi loca planetarum per appulſum ad fixas, & ideo ſuadet, ut accuratus ſtellarum teleſcopicarum, ſaltem zodiacalium, catalogus conſtruatur, quod obſervationes ſint frequentiores. Multæ deſcribuntur obſervationes eclipſium ſolarium & lunarium. His ſubjunguntur obſervationes eclipſium Satellitum Jovis. *Hallejus* ex obſervationibus Mercurii *d. 29 Oct. A. 1723* in Sole viſi medium motum Mercurii intra annos 100 determinat 2 S. 14° 2′ 13″, motum vero nodi in conſequentia 39′ 50″, intervallo 46 annorum. Unde concludit, planum orbitæ immobile aſſumi poſſe in ſphæra fixarum, & nodum adſcendentem collocandum in 0 S. 15° 41′ a prima ſtella arietis. Diſtantiam mediam Mercurii a Sole ſtatuit 38710 iſtiusmodi partium, qualium diſtantia media telluris a Sole eſt 100000, æquationem maximam 23° 42′ 37″, epocham mediorum motuum A. 1723 ineunte ſt. v. 19° ♐ 9′ 31″, Aphelii vero 13° ♐ 3′ 34″, motum denique Aphelii in conſequentia 7′ intra annos 8. Hos numeros ſufficere arbitratur ad motum Mercurii adeo exacte repræſentandum, ſicut hodie per Tabulas præſtantiores locus Solis determinari poteſt. Sequuntur obſervationes Aſtronomicæ aliæ, quas inter locum habet obſervatio Cometæ, qui A. 1718, & alterius, qui A. 1723 apparuit.

Cap. 5. Quintus locus cedit Mechanicis. Legitur hic Schediaſma *Taylori* de motu parabolico projectilium, in quo omnis theoria methodo veterum demonſtratur. *Pemberton* quædam objicit contra experimentum *Poleni*, quo virium vivarum menſuram determinat. Cum enim diſtinctionem inter vires vivas

&

& mortuas *Leibnitianam* non admittat, experimento *Poleniano* non probari contendit, quod probandum fuerat. Menſuram communem per velocitatem experimentis confirmare nititur *Deſagulierius*, experimentum *Polenianum* itidem oppugnans. *Joannes Eames* menſuram virium vivarum impugnat ope regulæ communicationis motuum in conflictu corporum non elaſticorum, & demonſtrationem *Bernoullianam* menſuræ virium vivarum, in Elementis Mechanicæ a Cel. *Wolfio* publici juris factam, impugnat. Exhibentur quoque objectiones *Samuelis Clarke*, quibus *Leibnitianam* menſuram virium vivarum impugnat. *Deſagulierius* ope penduli globo aureo inſtructi, cujus pondus in ære erat 2577 gr. in aqua 2424 gr. in Mercurio 498 gr. in reſiſtentiam aquæ & Mercurii inquiſivit. Reperit autem, una vibratione in Mercurio centrum globi attolli ad eam altitudinem, ad quam poſt 14 vibrationes attollitur in aqua, & poſt ſecundam vibrationem hærere in ea altitudine, quæ meditum locum occupat inter eas, ad quas poſt 26 vel 28 vibrationes in aqua pervenit. Conſtat, horologia pendulis inſtructa irregularitatibus quibusdam obnoxia eſſe, quod metalla calore fiant longiora, frigore breviora. Iis medelam affert *Grahamus*, applicato loco penduli tubo Mercurio repleto. *Deſagulierius* propoſitionem ſtaticam de libra demonſtrat, ab Autoribus hactenus neglectam. Idem paradoxum hydroſtaticum demonſtrat, quod duo pondera æqualia ex libra quadam ſuspenſa non amittant æquilibrium, etſi unum a centro removeatur, alterum eidem propius admoveatur. Ergatam etiam perficere ſtudet, ſimulque axem in peritrochio *Perraltii* examinat, num ſit ab omni frictione liber, quemadmodum voluit inventor; axem communem in peritrochio eidem præferendum eſſe contendens. Notat etiam errorem fundamentalem illorum, qui, motum perpetuum producturi, ſupponunt, pondus ad centrum propius accedendo fieri levius, ut a remotiori attolli poſſit.

Sexto loco ſiſtuntur, quæ ad Hydroſtaticam & Hydraulicam ſpectant. *Fahrenheitius* novum aræometrum deſcribit, quod jam in *Actis A. 1730 Menſ. Sept. p. 405* exhibuimus. Aliud a ſe inventum addit *Deſagulierius*, qui *Hydrometrum* appellare mavult, quod Cap. 6.

Aræometrum dici ſuevit. Docet etiam, qua cautione ſit utendum in gravitatibus ſpecificis fluidorum determinandis. *Fahrenheitius* vero ſpecificas variorum corporum gravitates deſcribit, quales experimentis factis reperit. Quomodo *Deſagulierius* per Tantalum *Heronis Alexandrini* explicet lacunam prope mare, nec non ſtagnorum & rivorum, quædam phænomena, in *Actis A. 1730 p. 405* jam docuimus. *Jurinus* Diſſertationem ſuam de motu aquarum fluentium defendit contra *Michelottum*. Varia experimenta de aquarum per tubos ex vaſe effluentium quantitate pro diverſa tuborum longitudine, quorum tamen orificium infra libellam aquæ ad eandem profunditatem ſubſiſtit, communicat *Deſagulierius*, & uſum in aquæductibus exponit. *Beightonus* deſcribit machinam Londinenſem, qua inſignis aquæ quantitas ad ingentem altitudinem per antlias preſſorias elevatur. Quantitas illa calculo determinatur una cum quantitate virium, ad eam agitandam requiſitarum. Præfert eam machinæ tantopere decantatæ Marlyenſi. *Deſagulierius* perfecit machinam *Haskinſianam*, qua aqua ope Mercurii elevatur. 14.

Cap. 7. Septimo loco ſuccedunt, quæ ad Geographiam & Artem navigandi referenda. Legitur hic Diſſertatio *Deſagulierii* de figura telluris, de qua diximus in *Actis A. 1731 p. 352*. *Lynnius* docet modum determinandi longitudinem locorum per ſtellas cadentes, in duobus locis eodem momento obſervatas. Supponit autem, eas 20 vel 30 milliaribus Anglicis in atmoſphæra elevari. *Hallejus* docet, ad quamnam perfectionem perduxerit theoriam Lunæ, & quam accurate ejus ope longitudo maris determinari poſſit. Determinantur plurium locorum longitudines ex variis obſervationibus cœleſtibus ab Obſervatoribus variis. *Thomas Shaw* Geographicam exhibet deſcriptionem una cum mappa regni Tunetani ex propriis obſervationibus conſtructa. In definienda enim locorum & totius regni longitudine atque latitudine tum apud *Ptolemæum*, tum apud recentiores, plurimi occurrunt errores. Longitudinem regni determinat 230 milliarium Anglicorum ab inſula *Jerba* uſque ad promontorium *Serra*, hoc eſt, a 33° 24 uſque ad 37° 16 latitu-

latitudinis 1; maximam vero ejus latitudinem ab urbe *Monaſteer* uſque ad *Tibeſam* 128 milliarium. Termini remotiſſimi ſunt verſus occidentem *Sbeka* in 7° 26′, verſus orientem *Clybea* in 10° 47′ longitudinis a Meridiano Londinenſi computatæ. *Hadlejus* novum invenit inſtrumentum metiendi angulos, quod uſui eſt eo potiſſimum in caſu, ubi motus objectorum, vel inſtrumenti vacillans ſtabilitas, obſervationes difficiles ac incertas reddit. Nititur autem inventum principio catoptrico, quod, ſi radius luminis, a puncto quodam divergens, vel ad idem convergens, a plano polito reflectatur, poſt reflexionem a puncto alio in oppoſito latere ejusdem plani in eadem diſtantia divergere, vel ad idem convergere, debeat, qua a primo puncto divergebat, vel ad idem convergebat, & quod linea perpendicularis ad ſuperficiem, quæ per unum punctum tranſit, etiam tranſeat per alterum. Facile apparet, uſum hujus inſtrumenti potiſſimum deſtinari obſervationibus diſtantiarum Lunæ a Sole, vel ſtella quadam fixa, ut inde eruatur longitudo maris, quando theoria Lunæ ad eam perfectionem fuerit perducta, ut tanto molimini ſufficiat. *Du Quet* invenit modum applicandi remos ad latera clavis eo ſucceſſu, ut navem intervallo unius horæ mari prorſus tranquillo per ſpatium unius milliaris Gallici promovere poſſit quidam miles. *Henricus* vero *de Saumarez* novam deſcribit machinam dimetiendi viam maris multo quidem accuratius, quam vulgo fieri ſolet.

Colophonem tandem imponunt nonnulla ad Architecturam navalem ſpectantia, quæ a *Cumberlando* inventa deſcribit *Robertus Cay*. Cap. 8.

THE MAIN ARGUMENT OF A LATE BOOK: Chriſtianity as old as the Creation, fairly ſtated and examined.

h. e.

PRÆCIPUUM ARGUMENTUM LIBRI, cujus index: Chriſtiana Religio & Creatio ejusdem Antiquitatis, expoſitum, atque ſub examen vocatum.

Digitized by Google

Londini, ſumtibus C. Rivington & J. Roberts, 1733, 8.
Plag. 12.

Inter libros, quibus ipſius Chriſtianæ Religionis veritas impugnatur, ille, cujux index: *Chriſtiana Religio, & Creatio ejusdem antiquitatis*, Londini ante aliquot annos a *Matthæo Tyndalio*, Jurium Doctore, qui anno proxime præterito, ætatis ſuæ 72, diem ſuum obiit, editus, recentiſſimus eſt. Non deſunt in Anglia, qui argumentis *Tyndalianis* magnum ſtatuunt pretium, iisdemque ad cœleſtis doctrinæ, a Chriſto traditæ, veritatem evertendam nulla non utuntur occaſione. Sed & ibidem reperias eruditiſſimos cœleſtis veritatis vindices, qui ſcriptis ſuis id agunt, ut in rem civitatis Chriſtianæ vertant, quæ exitium illi de ſententia *Tyndalianorum* minantur. *Tyndalii* enim Commentatio illis occaſionem aperit, ut ſolidis, iisque ſelectis, argumentis Chriſtianæ Religionis veritatem communiant.

Cl. Autor, cujus ſcriptum, *Tyndalio* oppoſitum, jam recenſemus, nomen ſuum in indice libri non profeſſus eſt. Compertum autem habemus, illum eſſe *Antonium Atkey*, verbi divini inter Presbyterianos miniſtrum. Utique laudari meretur, quod Cl. Autor, antequam argumentum, cui *Tyndalius* præcipuum momentum tribuit, ſub examen vocat, ſcripti *Tyndaliani* ſummam, additis nullis ab invidia ductis argumentis, candide, ipſis maximam partem verbis *Tyndalianis*, exhibeat. Cum in *Actis* noſtris *Tyndalii* Commentationem jam recenſuerimus, opus non eſt, alibi jam dicta repetere. Verbo autem meminiſſe juvabit illius argumenti, cui præ ceteris *Tyndalius* confidit, & cui Cl. *Atkey* Diſſertatio oppoſita eſt. Videlicet ita rationes ſubducit *Tyndalius*: Actiones quædam ita comparatæ ſunt, ut illas non niſi bona ſequantur, aliæ autem illi, qui perpetrat, dolorem atque malum conciliant. Ex natura igitur rerum judicandum eſt, quænam actiones ſint ſuſcipiendæ, quænam omittendæ? Quod quidem judicium qui ſequitur, legi naturæ convenienter vivit. In obſervatione autem legis naturæ omnis verſatur naturalis religio. Jam vero

certum

certum eſt, omnes homines, omnibus temporibus atque locis, poſſe facultatibus animæ, quibus a brutis diſtinguuntur, naturæ legem cognoſcere, atque ſecundum ejus præſcripta vivere. Neque dubium eſt, quin hæc ipſa lex naturæ ſummi Numinis ſit voluntas. Unde ſequitur, omnes, qui ſecundum naturæ legis præſcripta, ſibi cognita atque perſpecta, ſincero animo incedunt, Deo non poſſe non eſſe gratos atque acceptos. Sufficiens igitur medium eſt gratiam Dei conſequendi, ſervare legem naturæ. Neque hæc ipſa lex poteſt mutari, atque additionibus perfectior reddi. Eſt enim voluntas Dei, &, quod conſequens eſt, perfectiſſima atque immutabilis. Impium igitur eſt, profiteri, præter legis naturæ obſervationem, ſive religionem naturalem, aliud eſſe medium a Deo revelatum, quod ad gratiam ejus conſequendam faciat.

Cl. *Atkey*, ut argumentum hoc infringat, principe loco obſervat, *Tyndalium*, cum de lege naturæ diſputat, in diverſo admodum ſenſu vocem legis naturæ adhibere. *Tyndalius*, probaturus, legem naturæ eſſe perfectiſſimam, nihilque ei poſſe addi, legis naturæ voce intelligit naturam atque nexum rerum omnium, unde perfectiſſime judicari poteſt, quænam actio ſit bona. Cujus tamen nexus cognitio nemini uni, niſi ſummo Numini, poteſt adſcribi. Contra probaturus, omnes homines legis naturæ obſervatione gratiam Dei poſſe ſibi conciliare, legis naturæ vocem ſenſu relativo ſumit, atque ea, quæ ab unoquoque viribus animæ a Deo ſibi conceſſis ex indole atque nexu rerum de bonitate actionum poſſunt concludi, legem naturæ nominat. At enimvero, cum lex naturæ, ſenſu relativo ſumta, ſit admodum imperfecta, & experientia ſatis doceat, quam parum nonnulli cognitum habeant, quænam actiones ſint bonæ atque ſuſcipiendæ, vel hac ſola obſervatione omnem *Tyndaliano* argumento vim adimi poſſe, Cl. *Atkey* exiſtimat. Licet enim ſupponamus, in Chriſti doctrina nihil aliud agi, quam ut lex naturæ explicetur, defendendum tamen erit, hanc ipſam ſpecialem revelationem non indignam Deo eſſe, hominibus autem ſummo cedere uſui. Cum enim hominum de lege naturæ cognitio ſit admodum imperfecta, legis autem natu-

Digitized by Google

ræ obſervatio homines reddat felices, nomine, ingens erit beneficium, quod ſi de legis naturæ ratione divinitus doceantur.

Plura deinceps Cl. Autor in medium profert argumenta, quibus docet, ſalva perfectione ſumma atque immutabilitate legis naturæ, ſenſu abſoluto ſumtæ, revelationem ſpecialem poſſe a Deo expectari. Poſſet enim illa nova argumenta atque motiva ad virtutem ſuppeditare, poſſet de remiſſione peccatorum, de vita poſt mortem, ex lumine naturæ non ſatis cognita, docere. Neque etiam legi naturæ obeſſe exiſtimat, quod in revelatione ſpeciali nonnulla tradantur præcepta poſitiva, quæ ad melius ſervanda legis naturæ præcepta homines moveant, atque ſubſidii loco ſint.

FERIÆ ÆSTIVÆ GRONINGANÆ ANNI MDCCXXXIII. Autore NICOLAO ENGELHARDO, L. A. M. & P. P.

Tom. I Sect. I.

Groningæ, apud Jo. Sipkes, 1733, 8.
Plag. $1\frac{1}{2}$.

Vir Clariſſimus, cujus Inſtitutiones Philoſophiæ Theoreticæ in his *Actis A. 1733 Menſ. Jul. p. 321* recenſuimus, ad hoc ſcriptionis genus eo conſilio acceſſit, ut partem otii feriarumque Academicarum rationem redderet, partem occaſionem & ipſe haberet & aliis daret edendi & publicandi, ſi quis quid ſcriptum horis ſubſecivis haberet, quod ad Philoſophiam, Matheſin, aut reliquas artes liberales, pertineret, & intereſſet Reipublicæ literariæ publicari. Hoc Faſciculo, qui Viro Cl. uni debetur, continentur 1) *Cauſa Dei*, Autore *Leibnitio*; 2) Ejuſdem *Judicium de Hobbeſii notionibus neceſſarii & contingentis*; 3) Editoris *de Lagenulis vitreis viribus elaſticis aeris, ipſis incluſi, maxime reſiſtentibus*, Diſſertatiuncula. Increbuit fama apud cives Viri Cl. etiam de Philoſophia, quæ his duodecim annis in Germania tantis animorum motibus & impugnata & defenſa eſt. Itaque cum eſſent, qui, qualis ea ſit, aliqua ratione cogni-

Digitized by Google

cognitum habere cuperent, ipſis hoc dedit Cl. Autor, ut cauſam Dei, quæ eſt quoddam quaſi Compendium immortalis *Theodicææ* Operis, edendam curaret, eique adjungeret Judicium ejusdem *Leibnitii de Hobbeſii* notionibus neceſſarii & contingentis. Cauſa Dei Latine ab ipſo Autore ſcripta eſt, ſed poſterior contra *Hobbeſium* libellus Gallice primum ſcriptus eſt. Hunc itaque Latinum fecit. In quo quidem non ipſum Ill. Autorem, ſed Germanicum Interpretem, ſecutus eſt, cum in tota Academia Groningana atque inter omnes Viri Cl. amicos, a quo Gallicam *Theodicæam*, cui iſti libelli ſubjecti ſunt, mutuam ſumeret, nemo inveniretur. Vide, quam ſint in iſtis terris rerum Philoſophicarum curioſi homines. Etſi autem Germanicam interpretationem ſecutus eſt, perſuaſum tamen Lectoribus vult, memoriam eorum a ſe eſſe adhibitam in interpretando, quæ olim in exemplo Gallico ſæpe legerit. Jam ipſa ejusmodi eſt interpretatio, ut, ſi ſenſum ſpectes vimque verborum, non magnopere recedat a Germanica, quæ præclare Gallico exemplo reſpondet; neque tamen ipſam Germanicam plane aſſequitur. Speciminis loco hæc ſint. *Leibnitii* §. 2 hæc ſunt: *Mr. Hobbes veut, que tout ce que Dieu fait, eſt juſte, parce qu'il n'y a perſonne au deſſus de lui, qui le puiſſe punir & contraindre. Cependant il parle quelque fois, comme ſi ce qu'on dit de Dieu n'etoit que des complimens, c'eſt à dire, des expreſſions propres à l'honnour, & non pas à le connoître. Il temoigne auſſi, qu'il luy ſemble, que les peines de mechans doivent ceſſer par leur deſtruction —. Il ne laiſſe pas de dire ſur d'autres matieres des choſes trés raiſonnables &c.* Cl. *Engelhardus* hæc, quibus Germanica plane reſpondent, ita interpretatur: *Omnes Dei actiones juſtas eſſe aſſerit, quod neminem ille habeat ſuperiorem, qui ipſum obligare & punire poſſit. Interdum autem ita loquitur, ac ſi, quæ de Deo affirmamus, verba tantum eſſent honorifica, quibus ipſum coleremus, nequaquam autem cognoſceremus, aut ejus attributa exprimeremus. Probabile quoque ipſi videtur, pœnam malorum cum eorundem annihilatione conjunctam eſſe —. Alias de rebus aliis haud contemnenda adducit ratiocinia &c.* De Latinitate nihil eſt, quod dica-

Digitized by Google

dicamus. Qui huic Philoſophiæ addicti ſunt, in eadem ſchola Latinitatem docti videntur, ut, qui unum norit, omnes norit. Libellis *Leibnitianis* ſubjecit Vir Cl. animadverſiones, quæ eo pleræque comparatæ ſunt, ut *Leibnitius* a Spinoſiſmo, aliisque gravibus erroribus, liberetur, quorum eum reum eſſe volunt hi, qui *Leibnitianos* libros aut legerunt nunquam, aut certe non recte ceperunt, quia eo acceſſerant ad eos legendos animo, non ut, qui *Leibnitii* mos fuit, quod placeret, & rectum eſſet, invenirent, ſed, quæ ſtultorum hominum conſuetudo eſt, quod reprehenderent, & quod ad Fataliſmi & Atheiſmi inſaniam detorquerent. Sed has ipſas obſervationes ſuorum civium cauſa ſubjecit Cl. Autor; quod non ipſe ſolum fatetur, ſed his etiam facile apparebit, qui, quæ apud nos in hanc ſententiam ſcripta ſunt, non ignorant. Optamus vehementer, ut majorem, quam Vir Cl. attulit, apud ſuos vim habeant, quam ea habuiſſe conſtat, quæ apud nos multo fuſius accuratiusque de ea re ſcripta ſunt. Nam hæc omnia non effecerunt, quo minus ſubinde exorirentur hi, qui etiam poſt has Apologias clamores ſuſtulerunt totis viribus, & veterem cecinere querelam. Diſſertatiunculam de lagenulis &c. Cl. Autor. eſſe ſpecimen voluit applicandi calculi differentialis ad res phyſicas, Auditorum potiſſimum cauſa ſubjectum, quos calculi differentialis artificia & leges docet. Speramus, in his Feriis Virum Cl. aliquando etiam forte editurum eam Diſſertationem, qua Syſtema Æquilibrii ſe expoſiturum in Inſtitutionibus Philoſophiæ promiſit. Hic finem dicendi de Cl. Autore faceremus, niſi hac occaſione ejus voluntati ſatisfacere cuperemus, quam literis humaniſſimis nobis ante aliquod tempus declaravit. Cum Viri Cl. Inſtitutiones Philoſophiæ Theoreticæ enarraremus, dubia nobis quædam fatebamur, quædam non ſatis accurata, cum quà res, tum quà ordinem rerum, viſa eſſe. Sed in his quædam a mente ſua plane abludentia ſibi Vir Cl. viſus eſt reperiſſe: non quo nos accuſandos putet, ſed quod ipſe mentem ſuam non ſatis feliciter ubique expreſſerit, nec curatius emendaverit, quæ negligentia operarum in librum irrepſerant, perverſas Paragraphorum citationes. Itaque literis ad nos ſcriptis de quibusdam planius ſententiam expoſuit,

poſuit, nempe de demonſtrationibus unitatis Dei, omnipotentiæ divinæ, impoſſibilis creationis æternæ, de commercio animi & corporis & decretis divinis, de cogitationis, fidei & proſyllogiſmi definitionibus, noſque rogavit, ut de his pauca in his Actis diceremus. Itaque faciemus. In demonſtrando uno Deo dixeramus ſumtum ſine approbatione eſſe, duo eadem numero, ſeu omnino ſimilia, *per ſe* repugnare, quia, quod ſemel non repugnet, nullam rationem attulerit, cur non & centies ac millies nihil repugnantiæ habeat. Reſpondet Vir Cl. ſe non ex hoc ſumto demonſtrationem ducere, quod minime ſibi probetur, ſed ſubſtantiarum infinitarum plurium impoſſibilitatem potius *ex impoſſibilitate differentiæ tam extrinſecæ, quam intrinſecæ*, §. 182 inferre, & ſubſtantias infinitas plures fingi non poſſe, *quia, quæ nil differant, eadem ſint*, omnibus fatentibus. Itaque §. 480, *Plures eſſe Deos, repugnare*, hanc ſententiam eſſe: Deum eſſe ſubſtantiam dicere, ſimul vero etiam affirmare, in Deo contineri poſſe rationem, quare aliis pluribus ſit perfecte ſimilis & diſſimilis, non cohærentia eſſe, ſed pugnantia. De potentia Dei monet, ſe ejus infinitatem non rerum multitudine ſolum metiri, ut is infinite potens ſit, qui, quicquid fieri poteſt, id etiam, ut ſit, poteſt efficere, ſed etiam ex natura actionis, quæ infinitam potentiam exprimere poſſit, etſi unam tantum rem, v. c. mentem humanam, effecerit, ut, qui, ſubſtantia quæcunque ut oriatur, poſſit efficere, is infinitus potentia cenſendus ſit. Itaque ex ſumto hoc: eſſe fortuitas res, recte ſe ſibi videri collegiſſe: eſſe etiam naturam potentiæ infinitæ, cui originem debeant. In quo minime Vir Cl. fallitur, noſque facile aſſentientes, ita explicata mente, habet. In tempore ortum eſſe mundum, ſe non tam ex eo colligere, quod finitæ partes ſint, quam quod fortuitæ, adeoque ortæ ex nihilo. Sed, quicquid ortum ſit, initium habere. In explicando animi & corporis commercio ſe paulo obſcuriorem fuiſſe, largitur. Quod autem minime conſiſtere ſecum poſſe nobis viſum ſit, corpus & animum, quicquid agant, ſua vi agere; & vere tamen utrumque in utrumque agere, id hanc vim habere: utramque hominis partem ſua quidem vi omnia agere ac efficere,

S ficere,

ficere, ſed unius tamen actiones determinare certo modo actiones alterius, ac rationes continere, quare altera pars hoc agat, non aliud. In quo, magnopere veremur, ut Harmoniæ patronos diſſentientes habeat, qui, niſi plane fallimur, eandem viam hic ingrediuntur. Porro, quod dixerit, decretum Dei ab eſſentiali ejus voluntate non differre, id ita ſe velle accipi: actum Dei decernentis non re differre ab illo actu, quo circa bonum & malum in genere verſetur, ſed huic tanquam ſpeciem generi ſuo ſubeſſe: ex quo nulla neceſſitas decernendi conſequatur. Syllogiſmum abundantem etiam a *Sam. Lehmanno*, Carteſiano, Proſyllogiſmum dictum eſſe; & teſtimoniis humanis ſe non abrogatam fidem cupere, id quod ex §. 364 Log. appareat, etſi in definitionem fidei unum divinum teſtimonium adhibuerit. Senſum per conſcientiam a ſe definitum eſſe, quod hæ perceptiones, quarum conſcii non ſumus, in Logica negligantur. Neque unquam ſe ſtatuiſſe, ad cogitationem omnem conſcientiam pertinere. Quomodo ergo cogitationis verbum *Leibnitianam* & perceptionem, & apperceptionem, complectitur? Pſych. §. 120, & quomodo non etiam brutis cogitatio tribuitur, quæ & ipſa ſibi res objectas qualicunque modo repræſentant, quin, quia ſenſum externum habent, conſcientia gaudent?

JO. ALBERTI FABRICII, S.S. THEOL. D. & Prof. Publ. Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis. Accedunt WIPPONIS, Presbyteri, Proverbia ad HENRICUM, CONRADI Imp. Filium.

Hamburgi, ſumtu Viduæ Felgineriæ, 1734. 8.
Alph. 3 pl. 11½.

Novum Opus aggreditur Cel. Autor, qui noſtro huic Seculo præcipua Græcæ non minus, quam Latinæ, literaturæ adyta labore fere immenſo reclusit. De vulgatis olim forma, quam octavam vocant, tribus Voluminibus Bibliothecæ Latinæ, ſicuti & Bibliothecæ Græcæ Voluminibus qua-

quatuor & decem, quæ forma quarta excuſa ſunt, in his *Actis* ſuo tempore pro ratione inſtituti ſatis dictum eſt, ut de iis hic aliquid repetere haud attineat; & hoſpitem adeo in re literaria noſtri temporis neminem putamus, ut ignotos illi Cel. Autoris labores, & in utramque literaturam immortalia merita, ſuſpicari debeamus. Quid igitur jam nova hac, quam exorſus eſt, tela ſibi velit Cel. Autor, nobis potiſſimum explicandum venit. Mediæ & infimæ latinitatis Scriptores hocce novo Opere ſuo Cel. Autori exhibere conſtitutum eſt; primam adeo Latinæ linguæ ætatem eandem habere fas erit, cujus Autores in ſuperioris Bibliothecæ tribus Voluminibus perſecutus eſt. Ævum autem Latino-barbarum, ad renatas uſque literas porrectum, mille & trecentorum amplius annorum memoriam includere, ad quam adeo mediæ hæc & infimæ Latinitatis Bibliotheca ſe referat, ab ipſo Autore ſtatim in limine monitum eſt; ut adeo hæc Commentatio ſuperioris illius intervallum longe ſuperet. In tanta autem annorum atque Seculorum ſerie haud amplius Chronologicum, quem in priori Opere tenuerat, ſervare ordinem Autori collibuit, ſed illud commodius viſum eſt, ut tot Scriptorum nomina ſecundum Alphabeti ordinem diſponeret, unde & diſtributio hujus Voluminis in tres Libros orta, ita ut tres priores Alphabeti literæ A, B, C, in hoc Volumine comprehenſæ, totidem Libros abſolvant.

Huc uſque cum relatione ad Autoris labores geminos ideam aliquam externam Libri præſentis exhibuimus. De internis vero ubi nunc dicendum eſſet, illud fateri cogimur, non licere nobis ex mille & amplius argumentis, quæ Cel. Autor in hoc Volumine pertractavit, juſtum recenſum quendam afferre. Id generatim advertere licuit, Autorem noſtrum multiſcium Scriptores, ad hoc ſuum intervallum pertinentes, incurrentesque Alphabeti ſui circulos, tanto agmine tantoque numero attuliſſe, quanto id a nemine, in eodem argumento verſato, adhuc dum factum ſit. In vitis autem Scriptorum enarrandis brevem atque conciſum admodum fuiſſe Noſtrum, porro deprehendimus, quod illud ab aliis ad ſatietatem uſque factum crediderit, ſuasque, velut Bibliothecarii, partes in Li-

Libris ſcriptisque Autorum ſuorum curatius deſignandis potius explere voluerit. Hoc igitur, quod ſibi quammaxime ſumſit, negotium ſucceſſu hoc majori illum potuiſſe perſequi, facile creditur, quo majori Scriptorum, atque ipſorum adeo fontium, apparatu, quem vel ipſius Cel. Autoris, vel aliorum apud Hamburgenſes, inſtructiſſima librorum penus ſuppeditavit, inſtructus fuit, aut, ſicubi hæc præſidia defecerint, quo majori induſtria in teſtibus aliis idoneis advocandis Cel. Autor verſatus eſt. In recenſendis Patrum Eccleſiæ ſcriptis, iisdemque ad V priora poſt C. N. Secula pertinentibus, quibus alioquin & hic forte locus fuiſſet dandus, labori hic iterando pepercit Noſter, quod eorundem rationem tum alibi, tum quoque in prioris Bibliothecæ Latinæ Voluminibus, ac inprimis in *Supplement. Lib. IV Cap. III* jam habuerit: unde hic etiam fingit, ut ad *Ambroſii*, *Auguſtini*, *Cypriani*, aliorumque forte quorundam, mentionem, hic iteratam, ea duntaxat in vicem Supplementi afferantur, quæ cum editionibus Operum illorum noviſſimo tempore acciderunt. In hiſtoricis ævi ſui ſcriptis majorem præcipuamque ſe impendiſſe operam, ipſemet Cel. Autor fatetur, ut *Voſſii* in hac parte laborem ſuppleret: in quo ſane negotio rationes, quas Cel. Autor habuit, ipſum haud fefellerunt; ſiquidem in eo plures ſibi conſentientes habiturus eſt, quod, ſi quidem univerſum ex hoc [illegible] librorum ac fontium apparatum perire contingeret, inter [illegible]teros tamen hiſtoricis monumentis ægre caritari ſimus.

Ut huc uſque dicta ad indicandam generalem laboris hujus œconomiam quodammodo faciunt, ita, ut & ſpeciatim quid afferamus, materiam peramplam nobis ſufficere poſſent digreſſiones eruditæ, quibus Cel. Autor nonnunquam in patentiorem Hiſtoriæ literariæ campum exſpatiatus eſt, vel apoſpaſmatia etiam atque brevia Autorum quorundam fragmenta, quæ paſſim inſeruit: ſed vero, cum jam ipſe Cel. Autor in Præfamine ſuo præcipuorum, quæ in iisdem pertractantur, argumentorum indicium fecerit, haud ea quidem huc repetendo tranſcribere juvat. Unicum de digreſſionibus in ipſius Autoris dicto indice addere liceat, in his præcipuum

adhuc

adhuc locum ſibi vindicare notitiam de Hiſtoricorum Anglicorum Collectionibus, a p. 266 uſque ad p. 288 occurrentem, ubi quidem in Præfatione Cel. Autor octo tantum hujuſmodi Collectiones ſe ſuppeditaturum pollicetur, ſed deinde earundem numerum ad ſedecim minimum auctum re ipſa exhibuit. Inter fragmenta, ſive apoſpaſmatia, ex integro inſerta, quanquam præcipuum forte momentum trahant, quæ hiſtorici argumenti ſunt, occurrunt tamen *Thom. Bradwardini* ſententia *p. 732 ſeq.* itemque *Caroli Bovilli* Epiſtola quædam *p. 992 ſeq.* huc tranſlata, in quibus, qui de rebus poſſibilibus, quam re vera exiſtentibus, earundemque cauſis & phænomenis, noſtro tempore philoſophari malunt, forte reperient, quod ſibi dictum putent. De reliquis, ex quibus quilibet, quid in rem ſuam facere poſſit, ex ipſius Autoris indicio facile intelliget, nihil addamus. Id ſane apparet, Cel. Autoris noſtri herculeos prorſus in rem literariam conatus ita eſſe comparatos, ut in plurium uſus cedant, atque plures illis ſimul doceat atque inſtruat. Nulli igitur dubitamus, quin & plures vota ſua nobiſcum conjuncturi ſint, ut Cel Autori, qui ſe annum ætatis ſextum & ſexageſimum jam nunc agere nuntiat, ubi & de re literaria immortaliter mereri non deſinit, mortalitatem hanc exuere ne contingat prius, quam novum hunc laborem, ſicut ceteros ſuos omnes, feliciter abſolverit.

JO. CHRISTIANI GENSELII, ECCLESIÆ Annabergenſis Archi-Diaconi, Obſervationes ſacræ.

Lipſiæ, ſumtibus Hæredum Lanckiſianorum, 1733. 4.
Alph. 2 pl. 5.

Deſtinatum eſt hoc Opus illuſtrandis pluribus Sacri Codicis locis, de quorum ſenſu non convenit inter interpretes. Et in *prima* quidem *Obſervatione* Rev. Autor verba *Caini Geneſ. IV, 13,* ita interpretatur: *Major eſt pœna peccati mei, quam ut eam ferre poſſim.* Addit, jam in *Michlal Jophi*

& ab *Abeneſra* expoſitum ita fuiſſe hunc locum: duoque altera profert Sacri Codicis loca, quibus עון non *peccatum*, ſed *peccati pœnam*, ſignificare videatur. In *ſecunda* nomen *Caini* conſiderat, rejectaque vulgari opinione, id deductum vult a קין, *plangere*, *lamentari*. In *tertia* verba Dei *Exodi IV*, 21, ita reddi oportere diſputat: *Ego declarabo, obſirmatum eſſe cor ejus, dum non dimittet populum hunc.* In *quarta* agit *de veſtium ſummi Pontificis ſciſſione, Levit. XXI*, 10, & *Matth. XXVI*, 65, docens, eam Pontifici vetitam fuiſſe quovis tempore, adeoque *Caipham* laceratione veſtis ſuæ peccaſſe partim per ignorantiam, partim per malitiam. In *quinta* contendit, *Jeſaiam Cap. LII*, 13 & 14, non loqui de exaltatione Chriſti poſt paſſionem ipſius facta, ſed de illa, qua populus Chriſtum, apud ſe verſantem, & miracula edentem, habebat pro Meſſia & Filio Dei. In *ſexta* videtur Cl. Autori non alia fuiſſe cauſa, ob quam Deus legem ſuam nec citius, nec tardius, quam anno ſeptimo, publice prælegi voluerit, quam quæ fuit celebrationis Sabbathi die ſeptimo. In *ſeptima* diſſeritur *de feſto Judaico lætitiæ legis*, oſtenditurque, feſtum illud non eſſe vetuſtius *Eſdra*; recenſentur item hujus feſti ritus ac cerimoniæ. In *octava* Cl. Autor arbitratur, *Jeſaiæ XII*, 3, per *fontes ſalutis* ſignificari *doctrinam Evangelicam*, & locum parallelum *Joann. VII*, 37, 38, capit de uberrimis fructibus e corde fidelium, maxime Apoſtolorum, per Spiritum Sanctum prolatis. In *nona* verbis *Malachiæ IV*, 5, 6, hunc tribuit ſenſum: *Joannes Baptiſta, alter Elias, corda patrum convertet adverſus filios, & filiorum adverſus patres*, id eſt, efficiet ſua Meſſiani regni prædicatione, ut membra regni diabolici, contra fideles Chriſti ſubditos ſeſe efferentia, hos odio proſequantur, & inſtar hoſtium habeant; adeo, ut nec patres & filii, quos tamen ſanguis ipſe conjunxit, ſint ab hoc diſſidio exemti. In *decima* ſtatuit, interdictum ſanguinis & ſuffocati, quod exſtat *Actor. XV*, 28, 29, ad tempus duntaxat, & pro qualitate membrorum Eccleſiæ tunc plantandæ, datum fuiſſe, eaque mutata, debuiſſe abrogari. In *unde-*

cima

Digitized by Google

tima defenditur, verbum ברך nunquam ſignificare *maledicere*, nec hunc, ſed *benedicendi*, ſenſum locum habere 1 *Regum XXI*, 10 & 13. *Jobi I*, 5, *II*, 9, & *Pſalm. X*, 3. In *duodecima* locum *Exodi XXXIII*, 14, ita vertit: *Ira mea ibit, decedet, ceſſabit.* In *decima tertia* verba Chriſti *Matth. XVIII*, 15 - 18, ita interpretatur: Si proximus tuus peccatum aliquod admiſerit, quo vel tuo honori, vel corpori, vel fortunæ, damnum affertur, ipſum verbis ſuavioribus, & amorem ſpirantibus, de admiſſo ſcelere ſatis ſuperque arguere potes, deque illato tibi damno. Quodſi te oſcitanter audiverit, vel plane noluerit audire, res eſt ad plures deferenda, ut alter pudore ſuffundatur, malamque notam publice inurendam metuat. Ad ultimum, ſi non ceſſerit monitis, habeto eum pro *ethnico*, hoc eſt, tali homine, qui non imbutus ſufficienti Dei notitia obtemperat pravis affectibus, adeoque ante omnia convertendus eſt, itemque pro *publicano*, hoc eſt, impio, & Chriſti doctrinam ſequentes nihili æſtimanti. Verba *verſus* 18: *Quæcunque ſolveritis in terra*, cetera, ſic interpretatur, ut Chriſtus vetet, more Judæorum in tali caſu omitti preces publicas, cum, ligatis hac ratione precibus in terra, ligata quoque in cœlo maneant Dei beneficia, quæ tamen ſoluta quaſi ſuper ipſos ventura ſint, ſi libere & quaſi ſolutæ fiant preces in terra. In *decima quarta* per *ſtellam matutinam Jeſ. XIV*, 12 - 15, intelligit *Nebucadnezarem*. *Cadere de cœlo* ipſi hoc loco ſignificat *proſterni a Deo*. Per [illegible] intelligi vult populum Iſraeliticum, per *montem conventus* templum. Denique *deſcendere ad infernum* ſignificat ex ejus ſententia infimum exitium, perditionem, & contemtum. In *decima quinta* putat, *Joſephum Deut. XXXIII*, 16, vocari נזיר, *ſeparatum inter fratres*, quia Deus ipſum ſatis diſtinctum voluerit inter fratres, & in ſummitate omnium collocarit. Sequentia ſic vertit, rejecta accentuum autoritate: *Primogenitus eſt Joſephus, ipſi eſt magnificentia bovis*, hoc eſt, habebit ſummum ſplendorem ac dignitatem, maximaque coletur reverentia. Ibidem per *cornua Joſephi* duplicem intelligit ejus tribum, *Ephraim & Manaſſe*. In *decima ſex-*

Digitized by Google

-ta nomen Dei unicum conſideratur *Zach. XIV, 9.* Noſter hæc verba: *Tunc demonſtrabit Jehova, ſe eſſe unum,* hocce capit ſenſu, ut Deus dicatur futurus idem omnibus populis & nationibus, ſublato inter Judæos & ceteras gentes pariete intergerino. In *decima ſeptima* explicantur ritus Judaici examinis ac depoſitionis teſtium, atque aliquot Sacri Codicis locis interpretandis ſolerter adhibentur. In ſequenti oſtenditur copioſe, Judæos traditiones feciſſe tanti, ut poſtponere iis legem ſcriptam ipſius Dei haudquaquam vererentur, atque ita lux affunditur verbis Chriſti *Matth. XV, 3.* In *ultima* harum *Obſervationum* de ritibus mulierum in bello captam adſciſcendi in thorum, *Deut. XXI, 11-14.* præſcriptis, perdiligenter diſputatur, tumque toti huic Operi finis imponitur.

LIBRI NOVI, EX ANGLIA ADVECTI.

Stackhouſe's *Hiſtory of the holy Bible.* Lond. 1734, fol.
A new deſcription of England. ibid. 1734, fol.
Cragii *Jus feudale.* Edinburg. 1732, fol.
The Hiſtory of the mineral waters in England. Lond. 1734, 4.
Obſervations on Prophecies of Daniel and Apocalypſe of St. John, by Iſaac Newton. ibid. 1733, 4.
The Builder's Dictionary. ibid. 1733, 8 maj.
Langriſh *on muſcular motion.* ibid. 1733, 4.
Palmer's *general hiſtory of printing.* ibid. 1733, 4.
Caſley's *Catalogue of the Manuſcripts of the King's Library.* ibid. 1734, 4.
Longinus *περὶ ὕψους, ex ed.* Zach. Pearce. ibid. 1732, 8 maj.
A view of the real power of the Pope, by T. H. ibid. 1733, 8.
Anacreontis *Carmina.* ibid. 1733, 8.
Homeri *Iliados Liber primus, ſtudio* Georg. Sylvani. ibid. 1733, 8.
A Diſſertation on Death. ibid. 1732, 8.
Peirce *on Euchariſty of childern.* ibid. 1732, 8.
Reaſons for being a Chriſtian. ibid. 1732, 8.
A general view of religion. ibid. 1729, 8.
Neal's *Hiſtory of the Puritans.* ibid. 1733, 8.
Trapp *on the trinity.* ibid. 1733, 8.
Waterland *on the trinity.* ibid. 1733, 8.
Bennet *on the gout.* ibid. 1733, 8.
Curteis *on natural religion.* ibid. 1733, 8.
Free thoughts concernig ſouls. ibid. 1733, 8.
Reflexions on men. ibid. 1733, 8.

) o (

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCXXXV.

HISTORIA ABBATIÆ CASSINENSIS, PER Seculorum ſeriem diſtributa, ſtudio & labore D. ERASMI GATTOLA, Cajetani, Abbatis Sancti Matthæi Servorum Dei, & Caſſinenſis Archivi Cuſtodis.

Pars I & II.

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1733, fol. Alph. 11 pl. 6, cum aliquot Fig. æn.

Antiquiſſimum & nobiliſſimum eſt inter Pontificios Monaſterium Montis Caſſini, quod, quemadmodum conditum eſt a *S. Benedicto*, Monachorum parente, A. 529, ſic in tanta quondam celebritate fuit, ut ſolenne eſſet inter Monachos, aliquos excellentioris indolis viros Caſſinum amandare, quo ſanctæ regulæ obſervatione purius & exactius imbuerentur, ac reduces eandem in ſuos derivarent. Primus Chronicon Caſſinenſe edidit *Leo*, Marſicanus, Monachus Caſſinas, Cardinalis, & Epiſcopus Oſtienſis, quod uſque ad annum 1138 continuavit *Petrus Diaconus*. Hos igitur cumprimis Scriptores ſupplere & continuare ſtuduit *Eraſmus Gattola*, & id maxime dedit operam, ut, quæ Avtographa reperiuntur in Tabulario, cui præeſt, Cœnobii Caſſinenſis, huc exſcriberentur. Itaque Diplo-

Digitized by Google

mata Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Principum donationes, ab ipſis Avtographis ſumma diligentia ac fide repetitæ exhibentur. His omnibus præmiſſa brevis Deſcriptio Cœnobii ipſius Caſſinenſis, cujus ſitus, odæum, ſacrarium, inſignia, ſigillum, pharmocopolium, viridaria, dormitorium, &c. deſcribuntur. Ad ipſum ædificium Monaſterii penitius perſpiciendum adjectæ ſunt ſex Ichnographicæ Chartæ, æri inciſæ, quarum tres triplicem ædificii ordinem, tres autem proſpectum interiorem Eccleſiæ, veteris pavimenti, a *Deſiderio*, Abbate olim, conſtructi, & cœnobii, repræſentant. Hiſtoriam in Secula diviſit Autor, ita quidem, ut ſingula Secula ſeptem quaſi Capitulis abſolvantur. Nam I) Abbatum exhibetur Catalogus, cui ſubjicitur enarratio rerum ab ipſis geſtarum; II) diſciplina, quæ unoquoque Seculo in Cœnobio Caſſinenſi obtinuit, monaſtica profertur; III) hiſtorici eventus, qui ad hoc ipſum Monaſterium pertinent, memorantur; IV) Monachorum pietate ac ſanctitate inſignium merita exponuntur; V) recenſentur Monachi, qui ſcientiis floruerunt, & Operibus editis, quæ accurate notantur, nominis famam conſecuti ſunt; VI) celebrantur illi hujus Cœnobii Monachi, qui ad majora dignitatis culmina evecti varias dignitates Eccleſiaſticas geſſerunt; VII) producuntur Cœnobia tum Monachorum, tum Sanctimonialium, nec non Xenodochiorum, quæ vel a Caſſinatibus fundata, vel ipſis libertate Principum aliorumque donata fuerunt. Hac ratione Hiſtoria ab Autore per ſingula Secula traditur, & ex ipſis Avtographis, maximam partem ineditis, refertur. *Pars prima* incipit ab A. DXXIX, & definit circa A. MCC. *Altera Pars* ab A. MCC uſque ad A. MDCCXXV Hiſtoriam Cœnobii Caſſinenſis recenſet. Subjungitur Apologia pro *Leone*, Oſtienſi, & *Petro Diacono*, Chronici Caſſinenſis Autoribus, in qua, recenſita *Leonis* ætate, ejusque Chronici variis editionibus, laudatisque Scriptoribus, qui ejus mentionem fecerunt, accuratam ipſius ſcribendi rationem defendit *Gattola*. Huic Apologiæ ſubjecta ſunt Addenda & corrigenda in utraque *Parte*; in quam accedunt Indices varii & copioſi, in quibus Abbates Caſſinen-

ſinenſes, Monachi Caſſinenſes, ſanctitate & pietate, nec non ſcriptis doctrinaque, illuſtres, ac dignitate conſpicui, vetera monumenta ordine Chronologico exhibentur, quibus adduntur Indices monumentorum, quorum incertus eſt annus, & rerum in utraque *Parte* memorabilium.

AD HISTORIAM ABBATIÆ CASSINENſis Acceſſiones, cura & labore D. ERASMI GATTOLA, Cajetani, Abbatis S. Matthæi Servorum Dei, & Caſſinenſis Archivi Cuſtodis.

Pars I & II.

Venetiis, apud Sebaſtianum Coleti, 1734, fol.
Alph. 10 pl. 1, cum aliquot Fig. æn.

In his Acceſſionibus ea cumprimis monumenta ab Autore exhibentur, quæ ad originem, incrementa, decrementaque dominatus Cœnobii Caſſinenſis pertinent. Cum enim, ut in Præfatione ipſe fatetur, ſæpius ab eo poſtulaſſent Juriſconſulti, cauſarum Cœnobii Caſſinenſis patroni atque advocati, ut ea documenta ederet, quæ docerent, quomodo parta, retenta, & ad hæc uſque tempora perducta Juriſdictio Civilis, criminalis, mixta, Portulaniæ, Syclæ, Fidæ, Diſſidæ Bajulationis, Venationis, Piſcationis, Aquarum, Exactionis, Decimarum, aliorumque, quæ poſſedit & actu poſſidet Cœnobium Caſſinenſe, conſcripſit Diſſertationem, quæ non ſolum prima eſt in his Acceſſionibus, verum etiam integram *Partem primam* & amplius abſolvit, de origine & progreſſu Juriſdictionis Monaſterii Caſſinenſis Civilis, mixtæ, & criminalis, qua ex avthenticis monumentis, vel originalibus, vel apographis, aut ex Scriptoribus fide digniſſimis, diuturnam dominatus poſſeſſionem defendit. Incipit hæc Diſſertatio a *Giſulfi* donatione, & ea affert maxime monumenta, quæ a *Leone*, Marſicano, in Chronico Caſſinenſi diligentiſſime laudata ſunt, ſervato per Secula ordine, quemadmodum in ipſa Hiſtoria factum eſt. *Diſſertatio ſecunda* in

Digitized by Google

harum Acceſſionum *Parte II* de præſtantia & fide Archivi Caſſinenſis exponit. Nam, quo majorem fidem conciliet monumentis, quæ ad aſſerendam Cœnobii ſui Jurisdictionem produxit, oſtendendum ſibi exiſtimavit Autor, ab ipſo Cœnobii exordio conſervata in eo fuiſſe Diplomata accuratiſſime, adeoque fide digniſſima eſſe. Atque id exinde probat, quod ſecum faciat S. Rota Romana in deciſionibus, factis in contradictorio judicio, atque ſententiis, ad hoc latis, tum ex Bullis *Gregorii XV* & *Urbani VIII*, atque ex eruditorum hominum teſtimoniis, quodque plura Diplomata Romanorum Pontificum ac Principum in hoc Archivo exſtent, quibus integra fides in judicando adhibita ſit, quod in eodem Archivo aſſerventur Diplomata, quibus integra ſunt Privilegia Pontificum Principumque inſerta; quod nonnulli Pontifices Romani magni momenti Diplomata in Archivo Caſſinenſi aſſervanda poſuerint, & quod denique Archivum hoc ſumma diligentia ſemper a Monacho maturæ ætatis rerumque perito cuſtoditum fuit. Hanc Diſſertationem excipit brevis Deſcriptio civitatum Caſſini, S. Germani, atque caſtellorum, pagorumque ditionis, ſive Monaſterii Montis Caſſini. In qua quidem Deſcriptione non ſolum de flore Caſſini, quem habuit recentiori ætate, commentatur Autor, verum etiam ejus celebritatem, quam obtinuit veterum Romanorum temporibus, ex antiquis Scriptoribus demonſtrat. Inprimis vero copioſus eſt in deſcribendo flumine Lyris, cujus veram originem contra multorum ſententias falſas defendit. Accedit *Chronicon Richardi de Sancto Germano*, ad quod ut ſæpius provocatum fuit ab Autore, ita hic cum Manuſcripto, quod in Archivo Caſſinenſi aſſervatur, bis collatum editur. Ex qua quidem editione patet, graviſſimis erroribus ſcatere Chronici hujus editionem, quam debemus Cel. *Muratorio in Scriptor. rer. Italicar. Tom. VII f. l. 968.* Non ingratum fore Lectoribus noſtris confidimus, ſi, diverſam Codicis Manuſcripti, a *Gattola* nunc demum editi, lectionem ab ea, quam *Muratorius* exhibuit, huc transſcriptam dederimus. Ita vero eam exhibet laudatus *Gattola p. 766 ſeq.*

Editus.

Digitized by Google

Editus.	*MSS.*
fol. 968. *Guilielmus*, Rex Siciliæ,	*Guilielmus*, Rex Siciliæ II,
Ad Abbatem Venuſii.	Ad Abbatiam Venuſii.
fol. 972. Poſuit Capellanos.	Poſuit Caſtellanos.
fol. 975. Per eum veniam mererentur &c. Caſtrum Malveſi.	Opera poſſet offenſos, & per ipſum veniam merereatur &c. Caſtrum Malveſi.
fol. 979. Caſtrum Pontis Cervi per Capitaniatum.	Caſtrum Pontis Curvi per Capitinatam.
fol. 980. *Diopultus* Comes &c. Roccam Teani &c. & portis & aggeribus communivit.	MCC. *Diopultus* Comes &c. Roccam Jani &c. & turribus & aggeribus communivit.
Et exinde Teanum veniens una cum.	Et exinde Teanum veniens, quæ ſibi favebat, una cum.
fol. 991. Hoc anno *Honorius*, P. P.	MCCXIX. Hoc anno *Honorius*, Pp.
fol. 992. *Honorius* P. P. menſe Junio.	MCCXX. *Honorius* Pp. menſe Junii.
fol. 993. Factus eſt Aquilæ.	Factus eſt Apuliæ.
fol. 995. Ad caſtrum ſe contulit Caſpium, quod *Raynerius* &c. civitam, & tunc totam Marſiam equitat &c. Hoc anno menſe Auguſto Fundana civitas pro majori parte caſu accidente igne cremata eſt; quæ funditus propterea everſa eſt.	Ad caſtrum ſe contulit, quod *Raynaldus* &c. & tunc totam Marſiam equitat &c. Hoc anno menſe Auguſti Fundana civitas pro majori parte caſu accidente igne cremata eſt.
Joannes, Rex.	MCCXXIII. *Joannes*, Rex.
fol. 996. Per *Henricum de Morra* magnum.	Per *Henricum de Morra*, Magiſtrum.
fol. 999. Pavenſemque Epiſc.	Pactenſemque Epiſcopum.
Ubi ſexto intrante Martii eſſe Imperator.	Ubi octavo intrante Martii præeſſe Imperator.

Digitized by Google

	Editur.	MSS.
fol. 1001.	Per *Petrum de Abulo* &c. Et prædicta precatio &c. Item quod precatio &c. precationem ipſam &c. per Abbatem.	Per *Petrum de Ebulo* &c. Et prædicta procuratio &c. item, quod procuratio &c. Procurationem &c. per Abbatiam.
fol. 1028.	In utraque Sicilia.	In utraque Sycla.
	MCCXXII.	MCCXXXII.
	Quarum initium eſt de mercatoribus &c.	Quarum initium eſt. Poſt mundi machinam providentia divina firmatam, de quibus has inter alias elegi huic operi inſerendas *Federicus Auguſtus* de fide mercatorum.
fol. 1033.	MCCXXXIII.	MCCXXXIX.
fol. 1034.	Erit in Kal. Madii & Kal. Novembris.	Erit in Kal. Madii & finient in Kal. Novembris.
	Pluviæ.	Pruinæ.
fol. 1035.	de S. *Raymundo.*	de S. *Fraymundo.*
fol. 1036.	*Thomas de Agna.*	*Thomas de Aquino.*
	Lit. B. *Raymundus Pellegrini.*	*Raynaldus Bellegrini.*
fol. 1037.	*Henrici de Morro,* Magiſtr. Juſtitiæ.	*Henrici de Morra*, Magiſtri Juſtitiarii.
	Decremat ignis &c. Et *Henricus de Moro.*	Cremat ignis &c. & *Henricus de Morra.*
	Lit. D. 1237 Octava menſis Januarii Electio.	MCCXXXVII Menſe Jannarii octavo ſtante eodem menſe electio.
	De Carvaro.	De Carvario
	Lit. E. de Fr. *Rodulpho.*	de *Fr. Pandulpho.*
fol. 1038.	Cazolo.	Cazzolo.
	Mirum præjudicium Judicem	Virum providum Judicem
	Lit. C. Nec non & de anno.	Nec non & de Atino.

Edi-

Editus.	*MSS.*
Et magiſter *Raymundus.*	Et magiſter *Raynaldus.*
Populi communitates.	Populum concitantes.
Lit. E. Patris *Pandulphi* &c. Fr. *Ricchardus de Babulo.*	Fr. *Pandulphi* &c. Fr. *Berardus de Babuco.*
De Carvaco &c. & Magiſter *Raymundus,*	De Corvario &c. & Magiſter *Raynaldus.*
fol. 1039. Et ſic vocatus.	Et tunc vocatus.
Thomam de Agno &c. Ad nutum ſuum.	*Thomam de Aquino* &c. Ad mandatum ſuum.
Menſe Junio Acerrarum Comes cum Magiſtro Juſtitiario.	Menſe Junii dictus Acerrarum Comes, & *Henricus de Morra,* Magiſter Juſtitiarius.
fol. 1040. Cum ſe Cremona comparens infeliciter in obſidione Brixiæ.	Cum quo ſe Cremona comparens inde feliciter in obſidionem Brexiæ.
Conſecratus eſt, qui menſe Auguſto infirmitate correptus obiit.	Conſecratus eſt, & (deſunt alia verba)
Menſe eodem Auguſto *Henricus de Morro,* Magiſter Juſtitiarius, de Lombardia redit in Regnum.	Menſe Auguſti *Henricus de Morra,* Magiſter Juſtitiarius, redit in Regnum de Lombardia. Hoc etiam menſe dictus Abbas S. Salvatoris infirmitate correptus obiit.
Lit. C. & apud *Adrium* &c. Ubi novi confutati ſunt.	Et apud *Adriam* &c. Ubi novi conſtituti ſunt.
Lit. D. Et licentia data eſt in propria.	Et licentia data eſt omnibus in propria.
Lit. E. Et *Thoma de Agno.*	*Thoma de Aquino.*
Guido Jorenus, Epiſcopus.	*Guido Soranus,* Epiſcopus.

Edi-

Digitized by Google

Editus.	*MSS.*
fol. 1041 Lit. A. *Rogerius Boccabella.*	*Rogerius Porcaſtrella.*
Lit. B. Fr. *Raynn de Curci.*	Fr. *Raynaldus de Carci.*
Fr. *Riccardus de Babuco.*	Fr. *Berardus de Babuco.*
Lit. D. Eodem menſe *Thomas de Agno.*	Menſe Madii *Thomas de Aquino.*
Tertio Junii circa horam nonam diei Veneris.	Menſe Junii tertio intrante eodem menſe, qui fuit Veneris dies, circa horam nonam.
fol. 1042. Civitas Tarviſii per *Alterium de Romano* & *Erolinum de Cammino.*	Civitas Terviſii per *Albericum de Rommno* & *Ezolinum de Cammino.*
Fr. *Raymundus.*	Fr. *Riccardus.*
Fr. *Joannes Carolus.*	Fr. *Joannes Cazolus.*
fol. 1043 Lit. A. Atque principales eorum, qui intus ſteterunt, ignis cremavit, & fere quingentos, qui evaſerunt ignis incendium.	Et quamplures eorum, qui intus ſteterant, cremavit ignis, & fere quingenti, qui evaſerunt ignis incendium.
Lit. B. Rex Navariæ.	Rex Navarræ.
Cardinalis Decimo Septembr. obiit.	Cardinalis XV Kal. Septembris obiit.
Lit. C. Ex civitate per octo.	Extra civitatem.
fol. 1044. *Biddle* Domine.	*Bidde* dicuntur.
Lit. C. Apellum & Coction venerunt.	Aſpellum & Coccojann.
Imperatrix cum *Richardo Panormitano.*	Imperatrix cum *Berardo Panormitano.*
Lit. E. Regis Caſſiliæ.	Regis Caſtellæ.
fol. 1045 Lit. A. Moram pertrahens e veſtigio per *Agnum* tranſitum faciens, & ſecum ducens *Pandulphum*	Moram protrahens è veſtigio per *Aquinum* tranſitum faciens, & ſecum ducens *Pandulphum* Dominum *Aquini*

Edi-

Digitized by Google

Editus.	*MSS.*
Dominum Agni apud Inſulam Pontis Salarati &c. per Soram & Marchiam.	apud Inſulam Pontis Solarati &c. Per Soram & Marſiam.
Lit. B. Marcoranum. Similiter taxati.	Martoranum. Siculum taxati.
Lit. C. Magiſter *Raymundus.*	Magiſter *Raynaldus.*
Lit. D. Ipſe vero.	Ipſe Imperator.
Lit. E. Juxta curſu.	Juxta numerum.
fol. 1046. Apud Agnum.	Apud Aquinum.
fol. 1047. Et apud Cryptam ferratam.	Imperator ipſe apud Cryptam ferratam.
Lit. D. Pontis Salarati.	Pontis Solerati.
Lauguſtam.	Laguſtam vi.
Theſauri omnes Eccleſiarum Regni Capitanio juſſu *Andreæ de Cicala* a porta Roſeti, uſque ad fines Regni capiuntur, ii apud S. Germanum, in Eccleſia S. Mariæ. Deputati ſunt quatuor.	Theſauri omnes Eccleſiarum Regni a Porta Roſeti, uſque ad fines Regni juſſu Andreæ de Cicala Capitanei. apud S. Germanum, in Eccleſia S. Mariæ. Deputati ſunt duodecim.
Deputatur.	Deportatur.
fol. 1048. Per S. Germanum.	Per S. Germanum, Aliphiam.
Lit. C. His diebus jubetur.	Eodem menſe jubetur.
Civitatis Barri.	Civitatis Bari.
fol. 1049 Lit. A. Miniſterio pii.	Miſericordia pii.
Ab intimis elicente.	Ab intimis educente.
Dixi Patres Januenſes publicis. Subſtitutus. Eſt tam. Animum: noſtro durante imperio vices ſuas. Prolecti. Et in Pompei ſui cineres generi fortunam. Primi pietatis effectum: deleatur: licet irreverenter &c. offenſi.	Diri Patres invictum publicis. Subjectus. Eſt tamen. Animus. Naturæ dominante imperio. Vires ſuas: flecti: Et in Pompei, generi ſui, cineres fortunam. Paternæ pietatis affectum. Doleant: licet offenſi.

U Edi-

Editus.	*MSS.*
Declaratione. Miſſæ, raccommendent. Ordinatis.	Cantatione. Miſericordiæ, recommandent, oſtendatis.
Capitaniate, Thiboldi.	Capitanate: Yboldi.
Et aliis Comedibilibus devaſtant.	Et aliis crudeliter devaſtant.
Eodem menſe.	Ipſo menſe.
fol. 1050 Lit. A. Hoſtiliter impugnant caſtrum quoddam, quod Yſeus frater. *Reginus* & *Taurinus* de Lombardia, Epiſcopi per Abbatem.	Hoſtiliter impugnant, qui caſtrum quoddam, quod Yſeum dicitur. *Reginus* & *Taurinus*, Epiſcopi de Lombardia. Per Abbatiam.
Lit. B. *Bernardus*, Per Agnum. In Marchiam. Et menſe Julii congregato menſe Auguſto, numerus de qualibet.	*Bernardus*, Per Aquinum. In Marſiam menſe Julii Imperator congregato. Ipſo menſe Auguſti, numerus ſervientur de qualibet.
Qui menſe Maji. Et mox per Agnum Per Campaniam.	Menſe Madii Imperator ipſe. Et per Aquinum. Per Campaniam facto ponte.
Lit. E. Eo menſe.	Ipſo menſe Madii.
In Lucina Cardinalis.	In Lucina Presbyter Cardinalis.
fol. 1051. *Innocentium* Audito Imperator. *Bernardum Panormitanum.* Eodem menſe.	*Innocentium IV* Audito Dominus Imperator. *Berardum Panormitanum.* Eodem menſe Julii.
Lit. B. Pertractante Magiſtro *Raymundo.*	Procurante magiſtro *Raynerio.*
Minis.	Viris.
fol. 1052. Dimiſſo Comite prædicto. Menſe Septembris &c. Comes. Verſus Agnum.	Dimiſſo ex pacto comite prædicto. Ipſo menſe Septembris Comes. Verſus Aquinum.

His itaque in locis *Richardi de S. Germano* Chronicon ex MSto emendatum hic exhibetur, quod ſequitur Anonymorum Monachorum Caſinenſium breve Chronicon ab A. 1000

usque

uſque ad A. 1212, e tribus Codicibus manuſcriptis, qui itidem in Caſinenſi Tabulario aſſervantur, excerptum, ſuppletum, auctum, & ab erroribus primarum editionum emendatum. Ceterum hæ Acceſſiones iisdem ſunt Indicibus inſtructæ, quibus ipſa Hiſtoria, de qua paulo ante diximus.

Weſtphäliſche Friedens-Handlungen und Geſchichte, ꝛc.
h. e.
ACTA PACIS WESTPHALICÆ PUBLICA; Autore JO. GOTHOFREDO DE MEIERN, *Regis Magnæ Britan. & Electoris Hannoverani Conſiliario Aulico.*
Tomus II.

Hannoveræ, apud J. A. Gerken, 1734, fol. Alph. II.

Cum *primus* horum *Actorum Tomus* ſummo fuerit exceptus applauſu, haud dubie hunc quoque cupidiſſime excipient Juris Germaniæ publici cultores, prætereaque omnes Hiſtoriæ patriæ ſtudioſi: quorum ſitis reliquos quoque videndi *Tomos* ea re accendetur, quod Generoſiſſ. Autor in Præfatione hujus *Tomi* e Diplomate quodam Imperiali docet, ad *Inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ* interpretandum non ſufficere communes interpretandi regulas, ſed recurri ſubinde oportere ad Protocolla & Acta hujus Pacificationis, ne a vero aberretur ſenſu; ac præterea indicat, huic labori ſuo novas nuper latas eſſe ſuppetias tradendis *Tobiæ Oelhafii*, Legati Reipublicæ Noribergenſis, Viri ſummi, accuratiſſimis de iſto Pacificationis negotio relationibus.

Continetur hoc *Tomo nonus* hujus Operis *Liber*, una cum *novem* ſequentibus, quorum argumenta recenſere ſingulatim, ideo non putamus neceſſarium, quod ipſe Autor Præfationi ſuæ inſeruit accuratam ſingulorum Librorum, in quibus hiſtoria hujus Pacificationis inde a menſe Octobri anni 1645 pertexitur

Digitized by Google

xitur ad Martium uſque A. 1646, σύνοψιν. Quare videmur gratius facturi noſtris Lectoribus, ſi ex unoquoque Libro excerpſerimus quædam, quæ cognitu viſa fuerint jucundiora, & ad cupiditatem totum Opus legendi inflammandam idonea. Itaque *Libri IX §. 2* legimus, cum ageretur de Reformatis etiam pace publica impertiendis, ita cenſuiſſe Legatos Suecos: *Pontificios fuiſſe uſque huc communes omnium Evangelicorum hoſtes, quoquo nomine appellentur; Reformatos etiam communem cauſam contra Pontificios una propugnaſſe; ergo injuſtum fore, eos Pontificiorum injuriis proſtitui, legum præſidiis deſtitutos; ſed & injuſtum fore, Reformatos ita tutos facere, ut fidei Lutheranæ domeſticos perſequi, & ditionibus ſuis ejicere poſſint.* Laudant iidem majorem in modum Electorem Brandeburgicum, quod ſuis in terris integrum permittat *Lutheranis* publicum religionis ſuæ exercitium. *§. VII* de injuſta *Lutheranorum* ex urbe Egra ejectione agitur, ſimulque exhibetur deprecatio Electoris Saxoniæ pro his exulibus, petentis, ut iis permittatur redire, ſuaque religione frui. *§. IX* queruntur Status Evangelici Auſtriacarum regionum de ſæva religionis ſuæ perſecutione, Legatosque Oſnabrugæ verſantes rogant, ut ſui etiam rationem habeant. Ingenioſe vero *§. XXVI* Legatus Cæſareus, *Volmarus*, has perſecutiones excuſat ac defendit, inter alia illud urgens, quod ipſi Proteſtantium Principes ita facere ſoleant, ut cives ſuos cogant aut religionem Principis ſui ſequi, aut terris ſuis excedere. *§. X pag. 26-57* copioſe & ſolide exponuntur Erfurtenſis civitatis controverſiæ cum Electore Moguntino, & quidem cum politicæ, tum eccleſiaſticæ. *Libri X §. III pag. 116-120* exhibetur brevis hiſtoria ſocietatis illius mercatoriæ, quam *Hanſeaticam* vocant, ſcilicet (ut hic additur,) a veteri vocabulo Gothico *hanſa*, quod *ſocietatem* ſignificat. Cognoſcitur hinc perſpicue iſtorum fœderatorum autoritas & potentia prope par regiæ. *§. XIV* Legati Principum Proteſtantium concedunt Reformatis in Imperio ſecuritatem politicam & exercitium religionis, ſed non item jus reformandi: hoc enim (ita unus eorum ajebat,) competere Catholicis duntaxat & *Lutheranis*.

§. XXI

Digitized by Google

§. XXI urbs Oſnabruga jura ſua & privilegia haud vulgaria commemorat, utque inviolata ea ſervent, petit. *Libri XI §. V* exhibentur Sueciæ Legatorum Antapocriſes ſive *Replica*, quas vocant, ad Cæſareorum Legatorum Reſponſiones pacificatorias. Dividuntur autem *Replica* illæ in quatuor claſſes, quarum prima tractat *res & negotia Imperii*, altera *ſatisfactionem*, tertia *pacificationem* ipſam, quarta *tractatuum pacis executionem*. In prima claſſe contenditur, *terminum* reconciliationis *a quo* eſſe debere A. 1618, quippe quo anno bellum exarſerit. In ſecunda poſtulant, ut ad ſatisfaciendum Regi Sueciæ ſubjiciatur ejus ditioni Sileſia, Pomerania una cum Epiſcopatu Caminenſi, urbs Wiſmaria cum adjectis monumentis, Archi-Epiſcopatus Bremenſis, & Epiſcopatus Verdenſis. In quarta volunt præter alia, e captivitate dimitti Regis novi Luſitaniæ fratrem, *Eduardum*. §. IX, cum urgeret Legatus Brandeburgicus, etiam Reformatis Principibus tribui debere jus reformandi, idque exercendi erga *Lutheranos* ſibi ſubjectos; & tamen dicerent Reformati, ſe eſſe Auguſtanæ Confeſſioni addictos, eoque nomine ſecuritatem ſuæ religionis poſtularent; Legatus Suecicus illi Legato ita reſpondebat: *Credam, vos eſſe Auguſtanæ Confeſſioni addictos, quamdiu non aggrediemini reformare Auguſtanæ Confeſſioni addictos: utprimum vero id feceritis, non potero credere, vos eſſe addictos ei religioni, quam immutare & reformare cupitis.* §. X Legati Sueciæ exhibent viginti puncta aſſecurationis pacis, quorum ultimus videtur ipſis habitus eſſe primus & primarius. Contendunt ſcilicet, Jeſuitas, qui fundamenta omnis fidei publicæ evertant, publice quippe ſtatuentes Catholicos Principes non teneri ea præſtare, quæ Acatholicis per pacta vel ſolenniſſima promiſerint, vel e Germania eſſe ejiciendos, vel ſaltim non ferendum, ut docere id pergant; ſique tamen id audeant, ut tanquam turbatores fidei pacisque tractentur. *§. XV - XIX* jucundum eſt legere, quanto ſtudio incumbant Legati Cæſarei, ut Gallis perſuadeant, ut abſiſtant a poſtulatione Alſatiæ in ſatisfactionem Regis ſui. *Libri XII §. II pag. 259* Legati Principum ſuadent, ut conficiatur

in Comitiis conſenſu omnium Ordinum Capitulatio Imperatoris perpetua, ne videlicet detrahatur quidquam juribus Principum, ſi Capitulatio permittatur facienda ſolis Electoribus. *§. VII pag. 287 ſeq.* exhibentur capita Pacificationis, jam A. 1635 propoſita a Cancellario regni Sueciæ, *Axelio Oxenſtierna.* Hic non alia, quam quæ fit per pecuniam, ſatisfactio poſtulatur regno Sueciæ, nec ulla fit mentio tradendarum aliquot regionum. *§. VIII pag. 299-317,* poſtquam Auſtriacus Legatus Bavaricusque, terminum amneſtiæ generalis anno 1630 alligandum eſſe, contendiſſent, gravioribus argumentis urgent Legati Proteſtantium, *terminum a quo* illius amneſtiæ non poſſe non conſtitui annum 1618. *Libri XIII §. III & VIII* exſtat poſtulatum Gallorum de non eligendo Rege Romanorum, quamdiu vivat Imperator, deque Romanorum Rege ex alia, quam ex regnantis Imperatoris, familia eligendo. Utriusque vero poſtulati iniquitas in apricum producitur, ac, oblata hac occaſione, cenſent Legati Principum Germaniæ, an opus ſit eligi Regem Romanorum, merito deliberandum eſſe in Comitiis ab univerſis ordinibus; poſtquam vero de ea re conventum ſit inter Proceres, liberam permitti debere electionem Regis illius Electoribus. *Libri XIV §. I pag. 431* ait Legatus Bavarus, pacem Germaniæ ſimpliciter eſſe neceſſariam, cum Germania nunc ſimilis ſit homini, cui omnes nervi inciſi. Dixerat paulo ante, nihil amplius eſſe pecuniæ in Germania: id quod *pag. 463* alius Legatus item profitetur, adjiciens, ubique locorum in Germania fœdiſſimam eſſe vaſtitatem. *§. II pag. 444* obſervat Eruditiſſ. Editor, Legatum Auſtriacum in ſuffragio ſuo (quod ibi exhibetur,) de Alſatia Gallis in ſatisfactionem non danda tanquam vatem omnia prædixiſſe, quæ poſtea acciderint Imperialibus Alſatiæ civitatibus, itemque Belgio. Ibidem *pag. 451* exhibetur longa Oratio Legati Brandeburgici, qua docet, quam inique poſtuletur, ut Dominus ſuus Pomerania cedat, eamque Sueco concedat, quamque noxia ea res futura ſit univerſis terris Brandeburgicis. *§. V pag. 504 ſeq.* ſiſtuntur Statuum Evangelicorum gravamina politica, in quibus partim cum Cæſare, partim cum Electoribus, conqueruntur,

tur, ad ultimum petentes, ut id poſthac fiat, quod juſtum legitimumque. *Liber XV* totus continet deliberationes & concertationes de gravaminibus Proteſtantium Eccleſiaſticis, quæ §. II exhibentur *pag. 522-537.* Hic inprimis notatur *Ferdinandi II* Edictum, A. 1629 promulgatum, adjectaque ei ſine mora executio acerbiſſima. Atque *hinc tot annorum lacrymæ* ortæ eſſe *p. 529* dicuntur, hinc tot tantæque calamitates Germaniæ. E contrario *pag. 539-565* legas gravamina Eccleſiaſtica Pontificiorum contra *Lutheranos*. Lectu inprimis dignum eſt, quod *pag. 632 ſeq.* exſtat, colloquium Legati cujusdam Proteſtantium cum Legato Cæſareo de *Reſervato Eccleſiaſtico*, quod vocant. Cum ſcilicet ille urgeret, Epiſcopum Catholicum, ſi *Lutheranus* fieret, dignitatem ac reditus ſuos retinere debere, hic ei objiciebat hanc inſtantiam: Cur *Lutherani* Superintendentem quempiam, ſi Catholicus fiat, dignitate ſua & reditibus adjunctis privant? *Lutheranus* vero Legatus reſpondebat, faciendum eſſe diſcrimen inter Epiſcopum ordinis Principalis & inter Epiſcopum ſive Superintendentem inferioris dignitatis. In eodem argumento verſatur totus *Liber XVI*, quippe in quo ſpeciatim diſceptatur, & quidem ſcriptis longioribus, in utramque partem de *Reſervato Eccleſiaſtico*, de *ſeculariſatione* (quod vocabulum, ut ex *pag.* [illegible] & *637* diſcimus, autorem habet Legatum Gallicum, Ducem *Longovillæum*,) bonorum Eccleſiaſticorum, de Principum jure reformandi, & de civium a Principis ſui religione diſſentium jure emigrandi. Et jus quidem emigrandi remanendique quod attinet, docent Evangelici, coactionem civium ad aliquam religionem eſſe præcepto Chriſti & indoli ipſius religionis adverſam, praxi item veteris Eccleſiæ, imo Juri Canonico & Civili, denique Receſſibus Imperii. Addunt *pag. 731* diſerte, *eſſe contra rectam rationem & abſurdiſſimum*, omnes cives cogi, unius hominis (ſcilicet Principis ſui,) religionem amplexari, qui poſſit in errore verſari, vel etiam irreligioſus eſſe. Ibidem hanc vocant *tyrannidem in animas* longe intolerabiliorem tyrannide in corpora & bona. *Libro XVII* continentur peculiaria gravamina Judicii Came-

ralis,

ralis, Archi-Epiſcopi Bremenſis, pluriumque Principum, Comitum, & urbium Imperii. *Liber XVIII*, qui hujus *Tomi* ultimus eſt, exhibet Relationes & Correlationes trium Imperii Collegiorum ſuper Regum Galliæ & Sueciæ propoſitionibus Pacificationis, Imperatoris Legatorum reſponſionibus, & duorum iſtorum Regum Replicis. Et hic eſt præſentis *Tomi* exitus, quem tres ſequentur, itidem *Acta* exhibentes & *Protocolla*, & quidem ordine expoſita & connexa hiſtorico. Tum vero *ſextus Tomus*, qui idem erit ultimus, ipſa *Inſtrumenta Pacis* ſiſtet, ſubjectis perpetuis ad *Acta* remiſſionibus: habebimusque tum *Inſtrumenta* illa ex omni parte perfecta, nec mendis deformata typographicis. Recordamur hac occaſione, ſtatim in §. *I* hujus *Tomi* locum aliquem exhiberi e *Codice Receſſuum Imperii*, qui vulgo mutilus editus eſt, nunc autem plenus, hoc eſt, aliquot lineis auctior, exhibetur. Ad Protocolla quod attinet hic publicata, non ſolum generatim docetur *Lib. XII* §. *I*, eſſe ea fide digniſſima, omnique exceptione majora, ſed ipſe conſpectus docet, ſingulis Protocollis ſubſcripum eſſe a quatuor juratis Secretariis. Vid. *pag. 278, 286, 299, 310, 327, 335, 347*, &c. Ad ultimum nuntiamus Lectoribus noſtris gratulabundi, Generoſiſſ. Autorem in eo nunc eſſe, ut proxime emittat *Acta executionis hujus Pacificationis*, eo gratiora futura, quod eorum propemodum nihil dum typis excuſum eſt.

LEXICON POLEMICUM, IN QUO Potiorum Hæreticorum vita perſtringitur, omnes contra fidem errores colliguntur, Dei verbo, ſcripto vel tradito, Conciliorum autoritate, & rationibus, breviter reprobantur; inſerta Conciliabulorum omnium, Schismatum, & Controverſiarum, quæ ad Eccleſiaſticam Hiſtoriam pertinent, notitia; addita demum pro Operis complemento Bibliotheca Polemica. Autore D. JOANNE SIANDA, a Monteregali, Congregationis S. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis.

TOMI

Tomi II.

Romæ, apud Raphaelem Peveronum, 1733, fol.
Tom. I Alph. 5 pl. 4, Tom. II Alph. 4 pl. 12½.

Quod divinaramus, accidit. Simul ut in ſeſquipedalia inſcriptionis verba, & in eum, a quo profectus eſt Liber, oculorum converteremus aciem: ex his indiciis, parum aut nihil ſani, cum cura elaborati, & ſingulari opera artificioque perfecti, nos hic exploraturos, jure nobis videbamur poſſe conjicere. Neque nos anteceptum noſtrum ea in re fefellit judicium. De barbara, cujus in hoc vaſto Volumine, quoquo nos vertimus, veſtigia perſpeximus, latinitate nihil commemorabimus, ipſarum potius rerum in medium propoſitarum habituri rationem. Certa, quæ nullus non recta valens ratione probabit, principia ponemus, unde, quænam præcipuæ boni *Hæreticorum* Indicis, quem *Lexicon* appellant, eſſe debeant virtutes, manifeſtum reddatur. Ante omnia, ut ſciatur, unde tota proficiſcatur tractatio, in Præfatione, ſi qua præmittitur, definitione, quid ſit *hæreticus*, explanandum. Is nimirum homo eſt, qui errores capitales, & concentui dogmatum, in ſacroſanctis literis divinitus traditorum, vere adverſantes, pertinaciter tuendo ac propagando, ſacram conturbat civitatem. Ex hac perſpicuum erit definitione, quinam in odioſum *Hæreticorum* concilium ſint adſciſcendi, quinam vero ex eo delendi. Tum vero ipſe Index ſic erit concinnandus, ut 1) prænomina & cognomina *Hæreticorum* accurate ſecernantur & ſejungantur; 2) loco, die, annoque nativitatis, quoad ejus fieri poteſt, deſcriptius indicatis, ſtudia Philoſophica & Theologica eorum inprimis recenſeantur; 3) errores capitales ex Symbolicis Libris, ac genuinis ipſorum ſcriptis, ſenſu haud in pejorem partem rapto, cum debita animi moderatione, ſine omni partium ſtudio, fideliter, ac plene, non generatim ac univerſe tantum, ſed ſpeciatim, idque 4) ex genuinis fontibus, enarrentur. Cumprimis 5) veritati hiſtoricæ in litium, & eorum, qui ſeverunt illas, com-

Digitized by Google

commemoratione ſtudendum; 6) πρῶτον ψεῦδος erroris cujusque breviter quidem, verum haud ſegniter, ſed perite ſcienterque, enodandum. Errores ipſi 7) haud multis verbis erunt convellendi ac diluendi, ſed ad optimos eruditiſſimosque, qui in iis refellendis verſati ſunt, Autores ablegare Lectores decet. Neque *Hæreticorum* nomina 8) temere ac ſine teſte ingere fas eſt. Obſervandum 9) ſedulo erit ac ſtudioſiſſime, quinam duces & capita magni errantis fuerint cœtus, quinam contra vel nullos, vel paucos, conducere milites potuerint, ſub eorum vexillis militantes, & ſtipendia merentes. Huc etiam 10) pertinet curatior annotatio, quonam tempore, quave occaſione, & orta ſit hæreſis, & diſſipata, quibusque item autoribus fuerit oppreſſa, & ex Chriſtiana civitate proſcripta. Res ipſa 11) loquitur, derivationes nominum, *Hæreticis* ex linguis exteris ac peregrinis attributorum, ex harum genio ac natura evolvendas eſſe. Verbo, 12) ἀκρίβειαν, hoc eſt, *accuratam* omnium, vel minimarum, quæ hæreticum atque hæreſin circumſtant, rerum *obſervationem*, & notionum omnium *diſtinctionem*, ejusmodi deſiderat labor, ad quem nullum ineptius accedit ingenium, quam in Romano natum educatumque ſolo. Cui rei argumento eſt ille, qui *Lexicon* hoc, cujus modo inſcriptionem recitavimus, *Polemicum* compilavit, *Jo. Slandt*, homo Romanæ ſedi addictus, deditus, obſtrictus. Is enim, nulla certa & rectæ rationi ac Sacris Literis conveniente, vocabulo *Hæreticus* poteſtate ſubjecta, diem hæreſeos, cuicunque placuit, dixit, majorem, quam Dictatoriam, exercere animadverſionem auſus. Eos maxime nigros in ſacra vult eſſe civitate, quos Romanus Pontifex in *Hæreticorum* numerum, vibrato fulmine, detruſit. *Lutherum* dum ſuo adducit loco, ejus *nomen* ait *Martinum* eſſe: cum tamen *prænomen* dicere debuiſſet, ne cum *cognomine* confunderetur. Ita, ſi nomen *Servetus* evolvere deſideras, ſub prænomine *Michael* illud invenies. Ad id, quod ſecundo poſuimus loco, boni *Hæreticorum* Lexici indicium, dici non poteſt, quam negligenter animum adverterit. Gravius aliquid ſciſcimus: interiorem ſtudiorum rationem, quam ſecuti ſunt hæretici, plane omiſit.

Nec

Digitized by Google

Nec mirum: nam ignoravit. Fruſtra laborat, qui tertium hic quærit judicium. Plurima quidem hujus judicii noſtri excerpere, ſi quidem uſus foret, poſſemus argumenta: unicum vero *Lutheri* nomen ſatis habebimus exempli gratia protuliſſe, quippe quod unum, in quod inveheretur contumelioſiſſime, delegiſſe videtur. Evomit eructatque de novo, idque magno hiatu, antiquata jam diu convicia, & ſic, dum Romanenſes fabulas, velut anus delira, enarrat, ſimul debacchatur, ut hominem Herculis myſteriis nuper initiatum, aut Mænadem in Bacchi orgiis tumultuantem, te credere cernere. Non plures, quam *quinquaginta*, a divina veritate aberrationes divo attribuit Viro: quas autem nullo ſine negotio pueri noſtri diſſiparent, qui nondum ære lavantur. Unicum *Arminii* nomen argumento eſſe poterit, ut generatim modo, non ſpeciatim, de hæreticis dixerit. Præteriiſſe ipſum prorſus hiſtoricæ veritatis, ex ratiocinandi arte addiſcendæ, naturam, & eruditam ejuſdem æſtimationem, paginæ loquuntur omnes. Nec principia ſciſcitatus eſt falſa, ex quibus *Hæreticorum* manarunt errores. Hos autem non modo atro quodam *r* notat, hoc eſt, reprobat, ſed etiam, quod ſejunctum plane a re propoſita eſt, infamare audet, tam inſulſis, tamque ab omni ſale ac judicio ſiccis circumvallatus præſidiis, ut mirum haud ſit, ſi hi, quos in *Hæreticorum* ille adſcripſit civitatem, ex leviſſima ejus armatura aliud de copiis ſuis judicent. Ludibrium ergo homo debet Lectori, quod ſic triumphat, ac ſi opes adverſariorum ad internecionem uſque proſtraviſſet. Commendat quidem Autores, qui ſe objecerunt errori, ſed non meliores, verum eos, qui nil Sacris Literis, nil rectæ judicio rationis, omnia vero Concilii Tridentini dederunt autoritati, & pro receptis in Eccleſia Romana opinionibus, velut ſtipendiarii milites, pugnarunt. Hi ſunt uni, qui & in *Lexico*, & in *Bibliotheca* an[illegible] *Polemica*, excitantur. Auxit *Hæreticos* mirum in modum Scriptor, qui, quid *Hæreticus* ſit, ex recta ratione & ſacris paginis haud didicit, ſed ex Romani tantum Pontificis cognovit autoritate, cujus verba, ut ſacroſancta, & velut oracula ex tripode dicta, recipit ac veneratur. Nomina finxit, ne

ſando quidem in *Hæreticorum* Indice audita, & male interdum ſcripta, quorum & ratio fingendi a norma & præſcriptione ſanæ rationis & Grammaticæ artis nonnunquam recedit. Sub litera *A* inveniuntur antiquatæ, vagæ, & incertæ appellationes, quibus nullam omnis vacuam dubii ſubjicere poteſtatem [illegible], ut *Anti-Calviniani*, *Anti-Catholici*, *Anti-Dæmoniaci*, *Anti-Diaforiſtæ*, *Anti-Lutherani*, *Anti-Marianitæ*, *Anti-*[illegible] *novi*, *Anti-Oſiandri*, *Anti-Papi*, *Anti-Puritani*, *Anti-Scripturiani*, *Anti-Stancariani*, *Anti-Sturmiani*, *Anti-Svenkfeldiani*. Quodſi omnes illi, qui ſe aut toti cuidam cœtui, aut uni duntaxat homini, in errore verſanti, opponunt, rectiora ipſum erudituri, novo idcirco nomine notandi forent; quot, quæſo, verba in *Anti* confingenda eſſent? Vox *Anti-Scripturiani* incommode formata eſt: nam totum nomen eſt *ſcriptura*, non *ſcripturia*. Ab hoc vox *Scripturiani* exſiſteret, ut a *Maria Mariani* derivatur. At a voce *Scriptura* rectius ducitur vocabulum in literatam dudum civitatem adſcitum, *Scripturarius*; quandoquidem & Autor quidam librum Gallice conſcriptum *les raiſons de Scripturaires* inſcriptum, & A. 1706 editum. *Jo. Clericus*, Vir Celeberrimus, in *Hæreticis* ideo annumeratur [illegible]; quod in *Quæſtionibus Hieronymianis* doctiſſimum Congregationis S. Mauri Monachum, *Jo. Martianæum*, & ipſum S. Patrem *Hieronymum*, ſubinde caſtigavit, [illegible]bus Romanis & Hiſpanis, nec non de ſacroſancta Synodo Tridentina, male ſenſit. Veritati quidem, ac partibus ſuis, ſtetiſſet convenientius, ſi ſub nomine *Arminiani* hos [illegible] & *Socinianos* diſtinxiſſet, atque obſervaſſet, illos [illegible] magiſtri ſui jurare verba, in quibus *Philippus a Limborch*, cujus & vitam & ſcripta in his iiſdem *Actis A. 1713 Menſ. Jan. pag. 1 ſq.* recenſuimus, inprimis emineat: hos vero doctrinis *Arminii* ſcriptis eas præterea, quas *Conr. Vorſtius*, *Sim. Epiſcopius*, & *Steph. Curcellæus*, invenerunt, addere. Atque his a noſtro Autore *Jo. Clericus* adjiciendus erat, quippe qui publice quidem, *Socini* ſe decretis favere, nunquam profiteri voluit, at ſcriptis tamen variis, ut *Epiſtolis Theologicis*, quas A. 1697 ſub ficto *Liberii de S. Amore* nomine publicæ luci expoſuit, item

Tra-

Traité de l'Incredulité, aliisque, *Socinianæ* hæreſeos ſuſpicionem incurrit. Ven. Autor in ejusmodi Sectas dividit *Lutheranos*, quarum nomina in cœtu noſtro ignorantur. Immiſcet iis ineptis diviſionibus haud pauca, quorum nullum uſum idoneum eſtavit, nec citare valuit. Modo *Lutherani* quidem *Aoriani novi*, modo *Confeſſioniſtæ*, ei dicuntur, atque hi denuo in *novos*, *recalcitrantes*, *Provinciales*, & *Civitatum*, ab illo diſtinguuntur. Idem dividit *Lutheranos* in *rigidos* & *molles*, ſeu *Semi-Lutheranos*: ut alia taciti prætereamus. Sunt hæ, ut cum *Prudentio* dicamus, minutæ ambages, quibus diſſecat *Hæreticos*. Si diviſiones in eruditione ab ejusmodi acceſſoriis rebus, quæ *accidentia* vocant Philoſophi, deſumere liceret; in infinitum illæ numerum evaſuræ eſſent, multoque adeo detrimento rerum cognitioni eruditarum futuræ. Sed utatur per nos ſuo quodammodo jure Scriptor *Lexici Polemici*, inſigni nova *Hæreticorum* nomina comminiſcatur, ducibus ſuis nullis, *Luthero-Papiſtas*, *Luthero-Calviniſtas*, *Lutheroſiandrinos*, *Luthero-Zwinglianos*: iſtud modo unum det largiaturque nobis haud invitus, ut ne cum fictis nominibus fictas etiam conjungat narrationes, quas ne veri quidem ſpeciem habere ſciunt omnes. Quo, malum, Autore, anne ſecunda veritate, potuit ad nomen *Luthero-Papiſtæ*, *Tom. I pag. 423*, hæc in chartam conjicere: *Tales ſunt Witembergenſes & Lipſienſes Theologi, qui in multis cum doctrina Romani Pontificis conſentiunt.* Nominet nobis, ſi quidem vir eſt, eas doctrinas, in quibus concentum noſtratium cum Pontifice ſuo Maximo tam magnum, tamque illuſtrem, ſe inveniſſe putat, ut *Witembergenſes* ac *Lipſienſes Theologi* idcirco *Luthero-Papiſtæ* appellari mereantur. Hominem ex noſtris aliquem forſitan excitabit, qui a ſana deſcivit doctrina, neque unquam in venerandum Theologorum Collegium cooptatus fuit. Fac etiam, eſſe ex his aliquem, anne huic rationi locus dandus: *unus* nonnullis Tridentinis favit opinionibus, ergo *omnes*? Anne valet concluſio, quæ a particulari ad univerſum ducitur? Judicet nos ex divinarum norma Tabularum, Libriſque Eccleſiæ noſtræ Symbolicis, non ex unius aut alterius capite hominis, quod cerebro vacuum fuit.

Excerpemus ex magno adauctorum in *Lexico Polemico Hæreticorum* numero adhuc unum, eundemque Deorum cultorem, *Apollonium Tyanæum*. Eſt ridiculum, hunc videre in *Hæreticorum* Indice, quippe qui, per ſe ipſe, quantum nobis quidem ſcire datum eſt, nulla orbi Chriſtiano infeſta diſſeminavit dogmata. *Mæraginis* de vita hominis narratio temporum interiit injuria. Perierunt etiam [illegible] Commentarii, quibus, *Luciano* teſte, fraudes & artificia, [illegible] qui ſe Magos profitebantur, ſic & inprimis *Apollonii*, aperuit. Unicus hodie reſtat *Philoſtratus*, ex cujus ambiguis verbis certo exſculpi nequit, eum aut vivum, aut mortuum, in Deorum relatum concilium. Quicquid de *Apollonio* ſcimus, id deploratæ *Damidis*, hominis obſcuri, unice debemus fidei, qui agreſtem & inconditam de eo fabulam *Juliæ Auguſtæ* obtulit, aliquam ab ea, librorum ejus generis cupida, gratiam initurus. Hæc, cum artis dicendi ſtudioſa eſſet, *Philoſtrato* Rhetori, eum imperavit laborem, ut expoliret, & meliori ordine digereret fabulam. Atque is ſane nil reliquit intentatum, quo nugas verbis phaleratis ornaret, atque inaudita *Apollonio* miracula, cum ipſis Chriſti rebus geſtis comparanda, affingeret. Quo labore id conſequebatur, ut Sacerdotes, ſimulacrorum veneratores, & ceteri, qui Diis favebant, haberent, quem Domino noſtro opponerent. Levis autem hæc eſt ratiocinatio, quæ eadem facili, qua profertur, exploditur opera: fuerint, qui, poſt fata *Apollonii*, varia homini miracula, vim cœleſti Chriſti diſciplinæ illaturi, tribuerent; ergo *Apollonius* eſt Hæreticus. Oportet, ut *Sianda* aut artem ratiocinandi prorſus non ſalutarit, aut ut eam vix e limine ſalutatam nimis celeriter juſſerit valere.

Nec nono indicio locum conceſſit ille. Sæpius etenim nominat paſtores ſine grege, duces ſine milite, magiſtros ſine diſcipulo & ſectatore; id quod vel unum *Jo. Clerici*, antea in medium allatum, confirmat exemplum. Dumque *Antinomos*, & eorum parentem, *Jo. Agricolam*, Islebio ortum, commemorat, ejus hæ erant partes, ut moneret, *Lutherum* bulla ſe maſcule ſic oppoſuiſſe hæreſi, ut in ipſa, quod ajunt, herba

ſuffo-

ſuffocata ſit. Cavit Autor noſter etiam atque etiam, ne decimi indicii copiam faceret Lectori. Quantum in Græco ſermone profecerit, vel hoc eximio ſcilicet ſpecimine ſatis declaravit luculenter, dum ad vocem *Chiliaſtæ* hæc adſcripſit: *Chille* eſt vox Græca, quæ Latine ſignificat *mille.* Utinam nobis Grammaticam illam haud invidiſſet, ex qua hanc ſingularem hauſit notationem. Nos quidem in noſtris ſcholis docemur, Græcos voce χίλιοι idem deſignare, quod nomine *mille* Latini. Atque ita *Chilii* ſcribenda erat vox Græca, ſi Græcas literas Doctor ignoravit Romanus. Nulla hic, denique *diſtinctio*, nulla accuratio quærenda: omnia ſunt confuſa & conturbata. Qui apud nos *Pietiſtæ* dicti ſunt, eorum Antiſtitem appellat, ſine *prænomine*, ſub Lit. F, *Franchen*. Eoſdem adducit ſub nomine *Pientes*, iisque tribuit *Platonicam* ſuam de purgatorio ſententiam: quo teſte, haud ſcimus. Id quoque fugit nos, quam ob rem novum nomen, *Pientes*, confinxerit. Ducit nos conjectura, eum Latinam linguam nova aliqua voce barbara locupletare, aut caſcam quandam, & Evandro olim matri uſitatam, in lucem revocare voluiſſe dictionem. Namque *Piens* nemo melioris notæ Scriptor dixit Latinus; quanquam *Pientiſſimus* quidem in antiquis Inſcriptionibus reperiatur.

Ex his paucis documentis nemini non, cui mens haud læva eſt, perſpicuum erit, ex hoc *Lexico Polemico* ad ſacra bella digne veritati congruenter convenienterque adminiſtranda gerendaque nulla peti arma poſſe, nihilque verius laborioſum ejus ſcripſiſſe compilatorem, quam hoc, quo auſpicatus eſt Præfationem, ubi, *Viribus*, inquit, *imparem me huic Operi manum admoviſſe, ingenue fateor, Lector benevole.* Venia igitur detur nobis hoc ſubnectendi judicium, id quidem *incapibile nobis* eſſe, (utimur vocabulo Autoris,) vel, ſi mavis, captum noſtrum vincere videtur, hominis ſani eſſe, laborem aliquem, qui ſupra vires ipſius eſt & ſucceſſu caret, ſuſcipere. Hoc autem omni vacare dubitatione, compertum habemus, ſapientem quemvis hominem ſecum cum cura putare, quid humeri valeant, quidve recuſent ferre.

OBSER-

Digitized by Google

OBSERVATIONS UPON THE PROPHECIES of DANIEL, and the Apocalypſe of St. JOHN, &c.

h. e.

OBSERVATIONES IN VATICINIA DANIELIS, & Apocalypſin S. JOANNIS; Autore ISAACO NEWTON.

Partes II.

Londini, apud Jo. Darby & T. Browne, 1733, 4.
Alph. 1 pl. 20.

Incomparabilem Geometram & naturæ indagatorem fuiſſe *Iſaacum Newtonum*, vix vulgus hodie ignorat. Quantopere idem in monumentis optimorum Autorum atque omni Hiſtoria verſatus fuerit, excellentiſſimum Opus Chronologicum declarat. Denique de ſtudio ejus plane inſigni in ſacris literis præſens Liber teſtatur. Diviſus ille eſt in *Partes duas*: in quarum altera Vaticinia *Danielis*, in altero vero Apocalypſin *S. Joannis*, Autor Celeberrimus illuſtrat. *Caput primum* Introductionis loco eſt, de Collectoribus Librorum Veteris Teſtamenti agens. Et Pentatecuhus quidem cum Libris oppido cohærentibus *Joſuæ*, *Judicum*, *Ruth*, ab uno & eodem Scriptore ſacro, regnante *Saule*, ex ſcriptis antiquioribus ipſius *Moſis*, *Joſuæ*, & aliorum, in bello Philiſtæo partim amiſſis, partis diſperſis, collecti, & in præſentem formam redacti videntur. Nam & in Geneſi Genealogia Regum Edomiticorum pertexitur uſque ad initia regni Iſraelitici; & in Libris Judicum variæ res factæ memorentur, priusquam Rex eſſet in Iſrael. Itaque, ipſum *Samuelem* primum Sacrarum Scripturarum Collectorem fuiſſe, ab eodemque unum eorum Librorum, qui ejus nomen præ ſe ferunt, alterum vero ab ejus diſcipulis profectum eſſe, *Newtonus* noſter arbitratur. Inſtitutum *Samuelis*, poſt captivitatem Babylonicam, ſecutus eſt *Eſra*, qui Libros Regum & Chronicorum, ex Actis regum vetuſtioribus, opera variorum Prophetarum memoriæ traditis, collegit, tum ipſa

Jeſaia,

Digitized by Google

Jeſaiæ, *Jeremiæ*, & aliorum plerorumque Prophetarum, vaticinia in præſentem ordinem diſpoſuit. Liber *Jonæ* alium habet autorem. *Daniel* plures complectitur partes, diverſis temporibus & autoribus conſcriptas. Sex Capita poſtrema exhibent vaticinia, ab ipſo *Daniele* exarata. Denique etiam Pſalmos congeſſiſſe *Eſra* videtur. Poſt templum ab *Antiocho Epiph.* ſpoliatum, & ſacros Codices combuſtos, *Judas Maccabæus* exſtitit, in colligendis iſtorum Librorum reliquiis ſedulo occupatus. Eo tempore factum eſt, ut pars vaticiniorum *Jeſaiæ*, vel alius Prophetæ, ad vaticinia *Zachariæ* adjiceretur, itemque ut Liber *Eſræ*, a Libris Chronicorum, quibuscum antea conjunctus erat, ſepararetur, atque in duas partes divideretur. Ceterum Liber Chronicorum Regum Iſraelitum plane periit. Devicto a Romanis ac diſperſo populo Judaico, Talmudiſtæ ad fidem unius exemplaris ita ſacros ſuos Libros exegerunt, omnibus etiam literulis numeratis, ut nullæ nunc ſuperſint antiquiorum Codicum variantes lectiones, niſi quas forte vetuſtiores interpretes ſuppeditare poſſunt. Sed progrediendum nunc eſt ad alterum Libri Caput, quod agit de prophetico loquendi genere. Fundatur enim, judice *Newtono*, figuratus Prophetarum ſermo in analogia, quæ inter mundum naturalem intercedit, & inter regnum ſive imperium quodvis, quod conſideratur tanquam mundus aliquis politicus. Itaque cœlo & rebus cœleſtibus Principes in Republica & ſummæ dignitates, rebus terreſtribus populus inferior, ipſo denique infimo abjectiſſimi & miſerrimi quique deſignantur. Adſcendere in cœlum, ac deſcendere ad terram, idem eſt, ac potentia & honore augeri vel minui. Similiter emergere ex aquis, vel in eaſdem delabi, uſurpatur pro adſcenſu ex ſtatu humiliore ad altiorem, vel ex hoc in illum delapſu: moveri ex alio loco in alium, pro mutatione officiorum ac dignitatum: ingentes terræ motus & cœlorum concuſſus, pro concuſſis & everſis regnis; creatio novi cœli & terræ, pro ortu novi imperii: finis mundi, pro regni interitu. In cœlo ſol ponitur pro Rege ac domo regia; luna pro Republica, quæ tanquam uxor Regis conſideratur; ſtellæ pro principibus perſonis, ſive politicis, ſive

 etiam

etiam eccleſiaſticis: lumen pro gloria, juſtitia, & ſapientia: tenebræ pro ignobilitate, errore, & ignorantia: obſcuratio, extinctio vel delapſus ſolis, lunæ, & ſtellarum, pro devaſtationibus & everſionibus regnorum; novæ lunæ, pro reditu populi diſperſi in unum corpus politicum vel eccleſiaſticum. Porro flammis aliquid exurere, dicitur pro bello conſumere: conflagratio terræ ponitur pro regni interitu ex bello: conſtitutio in fornace pro ſervitute: venti & tempeſtates pro bellis: pluvia moderata, ros, & aqua viva, pro gratia & doctrina Spiritus Sancti. Jam terræ aridæ & congeſtæ aquæ, maria, fluvii, ſunt variæ gentes & regiones mediterraneæ vel maritimæ. Inundationes aquarum ſunt invaſiones per maria & claſſes. Domus & naves ſunt familiæ & civitates. Similiterque etiam animalia, plantæ, & res aliæ terreſtres vel marinæ, pro nationibus ſumuntur, quæ vel in terra, vel in mari, maxime potentes ſunt. Quodſi mundus politicus in univerſio conſideratur, tanquam conſiſtens ex pluribus regnis, tum hæc exhiberi ſolent per plures mundi naturalis partes: nobiliſſimum per formam cœleſtem, atque ita luna & nubes, pro populo fere ſumuntur: minus nobile per terram, mare, fluvium, animal, plantam: quo pacto fortiſſima quæque animalia, itemque celſiores arbores, pro Regibus & integris regnis ponuntur. Cum homo vel beſtia regnum exhibet, tum ejus partes variæ ac qualitates pro hujus qualitatibus ac partibus ſubſtituuntur: caput pro Principe, cauda pro inferiori plebe: plura capita pro pluribus dynaſtiis: cornua pro numero regnorum, quæ ex aliquo regno oriuntur: viſus pro intelligentia: oculi pro viris ſapientibus: loquela pro latione legum: os pro legiſlatore: vox magna pro potentia: pedes pro vili populo: oſſa pro fortitudine: caro pro divitiis: dies pro annis. Hæc & plura ſimilia poſtquam Autor noſter Celeberrimus commemoravit, in ſequentibus Capitibus ad ipſa *Danielis* vaticinia explicanda pergit. Capite ſcilicet tertio de viſione imaginis diſſerit, ex quatuor metallis compoſitæ, per quam omnino quatuor illa præcipua mundi imperia ſive monarchias deſignari judicat: Capite quarto, de viſione quatuor beſtia-

Digitized by Google

beſtiarum, eandem rem notantium: quinto de regnis, per pedes imaginis, partim æreas, partim argillaceas, expreſſis, quæ eo tempore exſtiterunt, cum partes Imperii Romani, in Orientale & Occidentale diviſi, & multis modis diſcerpti, male cohærerent: ſexto, de regnis per decem cornua quartæ beſtiæ repræſentatis: ſeptimo de quarti animalis cornu undecimo: octavo de vi cornu undecimi in mutandis temporibus & legibus: nono de regnis per arietem & hircum denotatis, hoc eſt, de integris Perſarum & Græcorum imperiis: decimo de vaticinio ſeptuaginta hebdomadum: undecimo de vero tempore nativitatis & paſſionis Chriſti: duodecimo, de vaticinio ejus, quod *expreſſum* dicitur *in Scriptura veritatis*: tertio decimo de Rege, qui facit juxta voluntatem ſuam, & magnificat ſe ipſum adverſus omnem Deum, venerans Mahuzzim, & ſpernens concupiſcentias fœminarum, id eſt, matrimonia: quarto decimo de Mahuzzim, id eſt, imaginibus & animabus defunctorum, quas tanquam Deos, protectores ac defenſores ſuos, venerari ac colere dicitur Rex, qui facit juxta voluntatem ſuam, per quem, interprete *Newtono*, intelliguntur Imperatores Græci, quorum autoritate introductus eſt cultus imaginum & mortuorum, itemque abſtinentia Clericorum a matrimonio. Hactenus ſumma Libri capita exhibuimus: nunc pauca quædam, exempli cauſa, enucleatius proponenda videntur. Igitur, quod ad decem cornua quartæ beſtiæ attinet, iis denotari judicat *Newtonus* decem illa regna, in quæ diſciſſum fuit, quinto poſt C. N. Seculo, Imperium Romanum Occidentale: ſcilicet, 1) regnum Vandalorum & Alanorum in Hiſpania & Africa; 2) regnum Suevicum in Hiſpaniis; 3) regnum Viſigothorum; 4) regnum Alanorum in Gallia; 5) regnum Burgundionum; 6) regnum Francorum; 7) regnum Britonum; 8) regnum Hunnorum; 9) regnum Longobardicum; 10) regnum Ravennenſe, ſive Exarchatus. Jam, quæ porro a *Daniele* de cornu ejusdem beſtiæ undecimo memorantur, ea ad Pontifices Romanos omnino applicanda eſſe, Autor contendit. Annus paſſionis Chriſti ita ab eo definitur, ut inciderit in annum vigeſimum Imperatoris *Tiberii*, atque adeo in

Conſulatum *Ælii* & *Vitellii*, hoc eſt, in annum *Julianum* LXXIX, qui fuit annus Judæorum Sabbathicus, a nativitate Chriſti quartus & triceſimus. Longum eſſet, ſi argumenta, quibus hæc demonſtrat Autor, afferre hoc loco vellemus. Itaque, iis omiſſis, quod reliquum eſt, de *altera* Libri *Parte* breviter complectemur. Obſervationes in illa *Parte* affert *Newtonus*, quæ ſpectant ad Apocalypſin *S. Joannis* illuſtrandam, atque in *tria Capita* ſunt diſtributæ. Horum *uno* de tempore disquirit Autor, quo conſcripta a *Joanne* Apocalypſis videtur: *altero* de relatione agit & convenientia, quæ inter Apocalypſin *Joannis*, & Librum legis *Moſaicæ*, cultumque divinum in templo, intercedit; *poſtremo* de convenientia Apocalypſeos cum vaticiniis *Danielis*, & de ipſius prophetiæ argumento, tractat. Quibus de rebus placita ejus ſunt hujusmodi: Draconem *Joannes* ponit pro Imperio Romano, priusquam divideretur; deinceps vero eundem pro Imperio Græco, & beſtiam primam pro Latino, uſurpat. Sed & terra ſubinde pro Imperio Græco, & mare pro Latino collocatur, propterea quod ad illius pleraſque partes itinere terreſtri, ad hoc non niſi per mare, Judæis accedere licebat. Res Eccleſiæ poſt quintum demum ſigillum apertum conſiderantur. Ipſam Eccleſiam exhibet mulier, amicta ſole juſtitiæ, & lunam cerimoniarum Judaicarum ſub pedibus habens, in capite vero coronam gerens, ſtellarum duodecim, ad duodecim Apoſtolos & tribus Iſraelis referendarum. Antequam mulier in deſertum fugeret, prima & vera erat Eccleſia, deinde penitus corrupta. Tempore perſecutionis *Diocletianæ* clamabat parturiens, & cruciabatur, ut pareret. Poſt victum a *Conſtantino Maxentium*, peperit filium maſculum, id eſt, Imperium Chriſtianum. Diviſo Imperio, fugit in deſertum, ad Latinos, ubi poſtea reperta eſt ſedens ſuper beſtiam, & ſeptem montes. Atque adeo hæc mulier omnino convenit cum cornu undecimo beſtiæ quartæ *Danielis*. Bellum inter Michaelem & Draconem, pro bello inter Chriſtianos & paganos: characterem vero beſtiæ *Joannis* ita interpretatur *Newtonus*, ut is ſit + + +, & nomen ejus ΛΑΤΕΙΝΟΣ, & numerus nominis 666. Sed ſatis has dapes

degu-

deguſtavimus. Qui plura deſiderat, ad ipſum Librum ablegandus eſt: quanquam facile apparet, eum ab Autore non penitus fuiſſe abſolutum.

MECHANICA MEDICAMENTORUM; AUTORE JOANNE BAPTISTA MAZINO, Brixiano, in Gymnaſio Patavino Medicinæ Practicæ Profeſſore.

Brixiæ, typis Joannis Mariæ Rizzardi, 1734, 4 maj.
Plag. 18, cum Tab. æn. 1.

Poſtquam Cl. *Mazini* tribus Sectionibus (quarum ultimam in *Supplementis Actorum Tom. X Sect. IV pag.* 164 commemoravimus,) morborum Mechanicen tradidit, quartam de remediorum in partes ſolidas corporis noſtri actionibus, earundemque reactionibus, & hinc pendentibus diverſis organorum oſcillationibus, humorumque ſeparationibus, tanquam totius Operis complementum, ſuperaddidit. Ante vero, quam ad ipſorum remediorum actiones explicandas accedit, binas præmittit Diſſertationes; quarum priori de motu elaſtico, ſive oſcillatorio fibrarum generatim agit. Cum enim, fluida corporis noſtri magnam partem ex elementis elaſticis, aut quaſi elaſticis, conſtare, alibi docuerit, fibras quoque, his undique irrigatas ac repletas, elaterem inde obtinere, colligit. Cum vero illæ ita ſibi invicem intertextæ ſint, ut rectas excipiant circulares, has ad angulum rectum ſecantes, hisque junctæ ſint obliquæ atque ſpirales, actione harum fibrarum ſuccedente in perpetua erunt angulorum mutatione, atque ſive ad majorem contractionis, ſive diſtractionis ſtatum redactæ, cum vi elaſticitatis propriæ, tum vicinarum fibrarum reactione, ad naturalem ſuæ dimenſionis ſtatum reducentur; prout illæ fibrarum oſcillationes in partibus muſculoſis animalium viventium diſſectis manifeſto in oculos incurrunt, & illuſtre hujus exemplum in motu inteſtinorum periſtaltico, a ſucceſſiva circularium & rectarum contractione pendente habetur, qua perpetua & æquabili fibrarum actione flui-

da æquabiliter per eaſdem urgentur, atque tranſprimuntur. Altera Diſſertatione diſquirit, in quo ſanitas & ægritudo corporis noſtri proprie conſiſtat, atque eandem potiſſimum ab æquilibrio partium fluidarum inter ſe, ut & cum ſolidis, pendere oſtendit. Ad particularum, ſanguinem componentium, elaſticarum pariter atque non elaſticarum, proportionem conſervandam varia adhiberi artificia docet. Primo huc conica arteriarum figura facere videtur. Cum enim ſanguis maxima vi e corde pellatur, profecto facile a ſe invicem diſcederent tot diverſæ ejus partes, niſi decreſcentes ſenſim arteriæ ſtringerent, & in nexu detinerent. Cum vero maxima elaſticarum pars, dum per arterias tranſit, ſecedat a reliquis minus elaſticis, venæ contraria ratione ampliantur, valvuliſque motus ſanguinis juvatur, ut ſic aliqua hic etiam proportio ſervetur. Præterea ad unionem ſanguinis diverſarum partium conſervandam non parum conducere cenſet filamenta ſanguinis reticularia, per quæ reliquæ ejus partes trajiciuntur, ſicque magis invicem uniuntur: ipſa denique elementa ſanguinis elaſtica & non elaſtica in ſtatu naturali proportione reciproca, aut quaſi reciproca, (a rigore enim Geometricæ proportionis aliquantum hic remitti debere, monet Cl. Autor,) inter ſe invicem mixta ſunt; his ſi addatur preſſio athmoſphæræ, fluida æque ac ſolida æquabiliter ambientis, perfecta æquilibrii ratio patebit. Quamdiu illud conſervatur, corpus ſe in omnibus ſuis partibus ſentit æquabiliter leve, forte, conſtans, atque mobile; ſi vero fluida a ratione proportionis ſuæ deficiant, vel ſolida laxa nimis, aut rigida, aliterque vitioſe conſtituta, æqualem illorum circulum impediant, homo in ſtatu ægritudinis ſentiet vel gravitatem aut levitatem præternaturalem, vel laxitatem aut duritiem, [illegible] frigus aut calorem, nunc in toto, nunc in parte quapiam excedentem. Tertia Diſſertatione actionem remediorum generatim expendit, atque cum *Boyleo* cenſet, quodlibet corpus peculiari veluti athmoſphæra effluviorum, ab eodem promanantium, indolem ejus exacte referentium, ambiri, atque, his mediantibus, vires remediorum per omnes humores deferri; cum vero effluvia illa eo fortius operentur, quo minus illa a centro

corporis ſui diſtant, patet, ipſorum remediorum effectus fore maxime inſignes in ipſo puncto contactus, ubi vis omnis unita eſt, contra debilitari ſenſim, quo magis a corpore ſuo recedunt, & quidem in ratione reciproca quadrati diſtantiarum a centro corporum, e quibus promanarunt. Hæc itaque ſive corpora, ſive effluvia remediorum, vel ratione ſuperficierum, aut figurarum, quibus prædita ſunt, aut quas cum fluidis & ſolidis corporis noſtri unitæ obtinent, operari. Subinde enim effluvia illa, humoribus noſtris admixta, cum illis in unum veluti corpus coaleſcere, ſicque aliam prorſus figuram obtinere, e qua effectus a prioribus diverſi producantur, fuſius oſtendit. Interdum vero effectus remediorum ſolum pendent ab elatere, fluidis vel ſolidis corporibus cum quibus juncta ſunt, communicato; quo ipſo partes humorum fortius erga ſe invicem impulſæ atteruntur, & in minores moles rediguntur, calorque ſimul non parum intenditur; cum vero remedia aſſumta menſtruis corporis noſtri variis ſolvantur, atque in partes omni fere imaginatione minores dividantur, & ope circulationis ad quævis corporis puncta deducantur, qua ratione variæ inde actiones & reactiones in fluidis & ſolidis emergant, eleganter explicat. Dum ad ſpecialem medicaminum operandi rationem ſequentibus Diſſertationibus exponendam accedit, primo alvum moventia expendit, ea aſperis ſuperficiebus ob multiplices angulorum prominentias prædita ſupponit, quibus tunicam inteſtinorum interiorem villoſam, hisque ſuperincumbentes nerveam & muſcularem, vellicent, & ad mutandum ſitum diſponant, quæ dum ultra ſtatum naturalem vel contrahuntur, vel diſtenduntur, ad priſtinam ſe reſtituere figuram nituntur, ſicque oſcillationes illorum reddentur frequentiores, vaſaque & glandulæ, intra easdem ſitæ, fluidum in illis contentum largius effundere cogentur. Neque tamen hic ſubſiſtere monet Cl. Autor purgantium effectus, ſed eadem in inteſtinis ſoluta ad ſanguinem deferri, ibidemque aſpera ſua textura viſcidiores particulas diſſolvere, vaſaque ſimul ad motum frequentiorem ſollicitare, ut ſic, motu ſanguinis etiam per inteſtina accelerato, copioſior eo humor derivetur, in cavum inteſtinorum deponendus

dus atque excernendus. Ut vero oſtendat, qua ratione certa medicamenta elective veluti certum humorem evacuare poſſint, exemplo rhabarbari rem illuſtrat, quod quidem in ipſis inteſtinis aliquem ſtimulum generalem excitet, a reliquis vero humoribus corporis parum ſolvatur, aut in illos agat, ad hepar vero delatum & cum humore bilioſo, (quem ejusdem indolis ſalino-ſulphureæ ac rhabarbarum eſſe aſſerit,) commixtum, ab eodem intimius in partes minimas divelli, ſicque, junctis tum rhabarbari, tum ipſius bilis, viribus, hic potiſſimum copioſas fibrarum irritationes oriri, ſicque bilem præ reliquis humoribus excerni. Pari ratione rem ſe cum ſic dictis phlegmagogis habere monet, quæ cum ſero facillime uniantur, illudque ad loca excretoria ſecum abripiant. Cum ergo maxima purgantium vis a ſtimulo tunicis inteſtinorum impreſſo pendeat, illum in moderandum eſſe monet, ne nimis irritando rigidam in illis contractionem efficiamus. Sic enim, oſcillatione illorum ſublata, dolorem quidem vehementem excitari, ſecretionem vero materiæ peccantis neutiquam promoveri, quod a draſticis remediis cum damno ægrotantium ſubinde fieri obſervemus. In definienda vomitoriorum operatione ad ipſius ventriculi ſtructuram potiſſimum reſpicit, atque particulas vomitorii cum humoribus corporis noſtri unitas, pondere, vel aſpera ſuperficie, aut motu, irritare villoſam ejus tunicam interiorem, & ſuperimpoſitam nervaceam, quæ ſimiles motus cum fibris muſcularibus communicet, unde fundus ventriculi verſus orificia contrahatur; cumque gravia illa irritantia in fundo & circo pylorum maxime hæreant, ille pariter validiſſime conſtringetur, ut ſic contenta exitum per inferiora nequeant obtinere, ſed potius verſus ſuperius orificium magis relaxatum trudantur, & per gulam adſcendant; rationem etiam reddit, cur ſubinde quædam naturæ contraria ingeſta ſola per vomitum rejiciantur, reliquis retentis, atque ea a ſuccis corporis noſtri non ſolubilia ventriculum moleſte afficere, & ideam ingratam in mente excitare, unde in ea potiſſimum parte, ubi illa ventriculo adhæret, motus violentiores excitentur, donec id, quod moleſtum erat, per vomitum rejectum ſit. Diuretica variæ eſſe indolis oſtens

oſtendit, hinc alia, uti aquea, & his ſimilia, ſerum in vaſis copia ſua augere, atque diametros illorum patentiores reddere, ſicque ad frequentiorem contractionem & excretionem liquidi diſponere, ad quarum cenſum etiam aquæ minerales referendæ, quæ cum mole & pondere maximam partem effectum ſuum præſtent, minus bene ſibi conſulere monet, qui nimia copia eas ingurgitent, ob vaſorum nimis dilatatorum metuendam inde atoniam: alia diuretica oleoſa & emollientia in ſpaſmo & rigiditate fibrarum renalium eundem demulcendo & relaxando conferre; alia ſalina in majori potiſſimum humorum tenacitate eandem angulis ſuis penetrando & diſſolvendo prodeſſe fuſius probat; quæ ultima tamen non niſi caute uſurpare jubet, ne ipſas partes ſolidas rudius afficiant, &, præter varia mala metuenda, ipſam diabeten, ſive urinæ particulis nutritiis impraegnatæ excretionem, producant. Diaphoretica remedia naturæ vel ſulphureæ, vel ſalino-ſulphureæ, eſſe pleraque, monet, illa admodum elaſtica & in minimas moleculas diviſa, ſummo motu, elatere, & majori magnitudine ſuarum ſuperficierum, validam vim exercere contra particulas humorum, easque ad cutaneas glandulas propulſas ſudoris forma ex corpore eliminare; illa vero, ex ſale & ſulphure compoſita, etſi tanta motus celeritate non gaudeant, tanto ad corporum penetrationem aptiora eſſe, quod ex compoſitione illorum pateat: ſulphur enim, utpote corpus leve, verſus ſuperiora ferri, ſal vero, tanquam grave, recta verſus inferiora tendere, cumque neutræ deſtruantur potentiæ, ſed utraque pro parte agat, motum emergere mixtum, ſicque ſalino-ſulphurea lineam motus deſcribere curvam, eamque ſpiralem, quo ipſo ad perterebranda objecta, & diſſolvenda quævis impedimenta, apta evadunt. Ab attenuantibus hiſce remediis ad adſtringentia tranſit, quæ motum in fluidis minuunt, aut prorſus auferunt, oſcillationemque in ſolidis retardant; atque illa potiſſimum ope effluviorum, de quibus tertia Diſſertatione ex inſtituto agit, operari aſſerit, quatenus illa toti humorum maſſæ permixta fluidorum partes irretiant motumque ſiſtant. Etſi vero effluviorum horum ſubtilitas videatur obſtare; illa tamen ſemper ratione ſuperficierum

Digitized by Google

ſuarum ſimilia manere corporibus, ex quibus prodierunt, &c, licet moles ipſorum decreſcat in ratione cubica, ſuperficies tamen ſolum in quadrata ratione decreſcere, ſicque amplam ſatis ſuperficiem ſupereſſe in minimis etiam moleculis; monet, quæ cum ramoſæ ſint & hamatæ in adſtringentibus, facile in contactus cum humoribus ruent arctiores; interdum etiam adſtrictorium effectum ſequi obſervat, ſi partes fluidiores, quæ motu ſuo cohæſionem impediverant, expellantur, qualia remedia ſint omnia calidiora, humidum tenue e corpore eliminantia, ſolis relictis craſſioribus facile concreturis, propterea exſiccantia dicta. In opiatorum explicatione indicat, illa primario ratione craſeos ſuæ denſare & irretire humores, ſolidorumque oſcillationes ſuſpendere, ſecundario vero interdum diſſolvere, ſudores promovere, & his ſimilia; prius omnino a particulis ſulphureis craſſioribus ramoſis & filamentoſis ſanguini ſeroque permixtis pendere, unde motu ſolidorum & fluidorum retardato ſomnus irruat. Si tamen ſanguis multis particulis ſulphureis abundet, quæ cum opii ſulphure jungentur, hoc ab illis ſolutum & volatile redditum diviſionem, diſſolutionem, motumque, in fluidis & ſolidis excitare, hinc ſecundario calores, ſudores, & vigilias, ab opio produci. Caute vero in exhibitione opiatorum, in morbis convulſivis, hyſtericis, & hypochondriacis, eſſe agendum monet, ſiquidem, etſi motum violentum ſiſtant, ſimul tamen ſecretiones omnis generis cohiberi, ſicque materias impuras cumulari, unde, effectu remedii ceſſante, novi, iique vehementiores, excitentur paroxyſmi. Cordialium remediorum titulo ſe non ea ſolum intelligere, cum antiquis profitetur, quæ potentias & vires cordis augeant vel conſervent, ſed illa ſimul cerebro & cerebello inſervire, ſicque vitales pariter ac animales & naturales potentias ab illis inſtaurari. Tam arctum enim inter has commercium obſervari, ut, una languente, ceteræ pariter corruant, una reſtituta, reliquæ pariter vigeant, mutuamque inter ſe cauſarum & effectuum rationem habeant. Tres horum claſſes conſtituit, primam, quæ volatilia & ſpirituoſa, alteram, quæ oleoſa & balſamica nutrientia, tertiam, quæ utrisque, tum volatilibus, tum nutrientibus

parti-

Digitized by Google

particulis ſimul gaudentia complectatur; his enim prudenter adhibitis, languentes corporis potentias reſtitui, in exceſſu vero propinatis nimis intendi, monet. Cum vero omnia hæc remedia parum proſint, niſi humores antea rite præparati & concocti ſint, ultima Diſſertatione de hujus concoctionis humorum neceſſitate, ſignis, modisque, quibus illa juvetur, agit, finemque toti Operi feliciter imponit.

THE BUILDER'S DICTIONARY, &c.
h. e.
DICTIONARIUM ARCHITECTONICUM, ſive Nobilium & Architectorum Comes: exponens non modo terminos artis, in omnibus Architecturæ partibus, ſed & Theoriam & Praxin plurimarum rerum huc pertinentium.

Volumina II.

Londini, apud A. Betteſworth, 1734, 8 maj.
Alph. 2 pl. 18, cum Tabb. æn. 33.

Cum uſus Lexicorum, hodie ſatis frequentium, in quibus artes ac ſcientiæ, earumque propria vocabula, explicari ſolent, haudquaquam videtur aſpernandus: tum inter Libros hujus generis eum, quem nunc in manibus habemus, minime poſtremum mereri locum exiſtimamus. Congeſta enim ſunt ex optimis Autoribus pleraque omnia, quæ ad Architecturam referri poſſunt, quæque ſcire debent fabri murarii, ferrarii, lignarii, ſcriniarii, laterarii, gypſarii, pictores, vitriarii, tornatores, ſtatuarii, plumbarii: adjectis Problematibus maxime neceſſariis, Arithmeticis, Geometricis, Opticis, Hydraulicis, aliisque Mathematicis. Præterea exhibentur quantitates, proportiones, & pretia omnis generis materiarum, quarum uſus eſt in ædificiis extruendis: itemque proportiones quinque ordinum Architecturæ, juxta *Vitruvium, Palladium, Scamozzium, Vignolam*, & *Clericum*: cum regulis æſtimandi ædificia, & ſumtus ad ea requiſitos. Denique omnia Schématiſmis plurimis æri diligenter inciſis illuſtrantur.

Digitized by Google

LE BOMBARDIER FRANÇOIS &c.
h. e.
ARTIFEX GALLICUS IN PROJICIENdis ollis igniariis, ſeu nova Methodus, igniarias glandes propellendi, ut ſcopum præfixum certo feriant. Autore BELIDORO, Curatore rei tormentariæ, Profeſſore Regio Matheſeos in Scholis, juvandæ arti tormentariæ deſtinatis, Membro Societatum Regiarum Scientiarum Anglicæ & Boruſſicæ, Procuratore Academiæ Scientiar. Reg. Pariſienſis.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis Bibliopolarum, 1734. 4 maj. Alph. 2 pl. 8, cum Tabb. æn. 8.

Quæ *Galilæus Galilæi*, Celeberrimus ille magni quondam Ducis Etruriæ Mathematicus, de projectorum gravium motu in parabola detexit; quæque ab illius ſolerte diſcipulo, *Torricellio*, ulterius ad jactus in loca, vel ſupra horizontale planum exploſionis elata, vel infra illud depreſſa, faciendos feliciter accommodata ſunt: ea a *Blondello*, illuſtri Socio Collegii a *Ludovico M.* Galliarum Rege, ad incrementa artis bellicæ curanda inſtituti, Libro de hac eadem re jam A. 1683 edito, ad effectus tormentorum exploſorum, projectionemque globorum, præcipue pulvere pyrio repletorum, ope ejusdem pulveris pyrii factam, applicata, dubio quidem omni, quod ad veritatem eorum attinebat, huc uſque caruerunt, ſed ab iis, qui artem hanc exercent, ratis, praxin ſine theoria ſufficere abunde, partim contemtim neglecta ſunt, partim ob calculorum illis in locis, unde globi igniti in hoſtem jaciendi ſunt, vix ac ne vix quidem ſubducendorum moleſtiam adhiberi nequiverunt. Ut huic nævo mederetur Cl. Autor, & a ſolidis principiis theoreticis, & ab harum rerum uſu atque exercitio inſtructiſſimus, cepit conſilium devorandi tædia calculi ſemel ſubducendi, illumque cum omnibus communicandi, quo & calculorum ſtruendorum imperiti, qui interdum tractan-

tractandis mortariis bellicis præficiuntur, ſola evolutione harum Tabularum obtineant numeros, per calculum alias eruendos. In computandis Tabulis inſtitit *Blondellianis* veſtigiis, quæ & in *Curſu* ſuo *Mathematico*, quo æque ac aliis ſcriptis e. g. eo, quod inſcribitur: *La Science des Ingenieurs dans la Conduite des Travaux de Fortification*, inclaruit Autor, ſecutus eſt, omnia ibidem demonſtraturus, quæ ad jactus tormentorum bellicorum cognoſcendos pertinent. Fundamento uſus eſt propoſitione vel ab ipſo *Galilæo* jamjam demonſtrata, quod parabolarum, quæ a globo ejecto deſcribuntur, amplitudines ſint in ratione ſinuum, ad duplicatos eos arcus pertinentium, ad quos tormenta vel mortaria erecta vel depreſſa ſunt. Cum itaque ſumma elevatio ſit 45 graduum, quæ maximas jactuum longitudines largitur, & ſinus arcus 30 graduum ſit dimidius ſinus arcus 90 graduum, certum eſt, longiſſimi jactus dimidium eſſe longitudinem jactus ad graduum 15 arcum facti. Facile patet, quod idem tormentum eadem quantitate pulveris pyrii æque boni inſtructum hiſce jactibus hic computatis adhibendum ſit. Computatio enim pro omnis generis tormentis, quavis quantitate pulveris pyrii cujusvis qualitatis oneratis, & obtineri difficillime poſſet, &, ſi quando haberetur, ob inſignem caſuum complicationem mutuam vix commode atque expedite ſatis adhiberetur. Suadet igitur Autor, ut, cuicunque cum hac parte artis bellicæ res fuerit, mortarii, quod curæ ipſius commiſſum eſt, experimentum capiat, dum illud ad altitudinem 15 graduum erectum explodit, & jactus longitudinem iis modis metitur, quos Autor præſcribit. Inde vero, cum conſtet, quanta futura ſit longiſſimi jactus amplitudo, nempe dupla ejus, quæ in capto hoc experimento deprehenſa fuit, intermedias amplitudines jactuum, inter longiſſimam, & ejus dimidiam interjacentes deberi gradibus elevationum inter 45 & 15 gradus interpoſitis. Autor igitur exputat, quot gradibus inde a 15° elevandum ſit tormentum pro omnibus amplitudinibus his intermediis, binarum ulnarum Pariſienſium ſpatio ſingulis creſcentibus in diſtantiis haud adeo magnis: ſed in majoribus amplitudinibus, quas enumerat, intervallum quinque talium

ulnarum pro continua differentia aſſumit. Sed, cum primi jactus, qui experimenti capiendi cauſa fiunt, diverſiſſimæ amplitudinis, pro ratione tormenti & pulveris pyrii adhibitorum diverſa, eſſe queant, neceſſe habuit idem ſingulas tales Tabulas pro ſingulis amplitudinibus jactuum factorum, tormento ad altitudinem 15 graduum erecto, ſimili artificio computare, quod & facta ſuppoſitione: jactum experimentalem ad 20, 22, 24, 26 &, reliquos in hac proportione creſcentes numeros ulnarum propuliſſe globum, uſque ad numerum 1000 ulnarum exſequitur, ita tamen, ut inde a numero ulnarum 230 proportio Arithmetica inter amplitudines calculo ſubjectas obtineat, cujus differentia continuo eſt 5. Modus has Tabulas adhibendi facillimus eſt, quippe qui, ab Autore fuſius deſcriptus, quam ut hic transferri poſſit, nuda Tabularum evolutione abſolvitur, poſtquam experimentum deſcriptum fuerit captum, & a quovis perfici poteſt, qui numerorum notas noverit. Nec illud prætermittendum a nobis eſt, has Tabulas multoties ab univerſo Collegio artificum tormentariorum, quod Pariſiis floret, ſub examinis incudem revocatas, & inſtitutis inde ab A. 1705, quo laboris hujus ſummam abſolverat Autor, pluribus experimentis comprobatas eſſe. Ceterum *duabus Partibus* abſolvitur elegantiſſimum hoc Volumen, quarum *prima*, præter Tabulas ipſas, quæ maximam ejus partem conſtituunt, de earum uſu, de aliis Tabulis, quæ huc uſque ab artificibus rei tormentariæ uſu tritæ fuerunt, de proprietatibus tormentorum ratione diverſæ magnitudinis & conſtructionis cavorum, quibus pulvis nitroſus inditur, de globis ferreis ad pulverem pyrium recipiendum excavatis, modoque eos illo replendi commodiſſimo & debito, de collimatione rectius, quam vulgo fit, ad ſcopum feriendum inſtituenda, & de aliis huc pertinentibus rebus, adeo ſolide exponit, ut Autoris in meditando ſagacitas, in experiendo uſus atque exercitatio, undique eluceant. Inprimis notatu dignum eſt plus vice ſimplici captum experimentum: idem tormentum, eadem quantitate ejusdem pulveris pyrii ad ejiciendum globum ejusdem magnitudinis & gravitatis paratum aptatumque, tempore matutino,

&

Digitized by Google

& præcipue ante ſolis ortum, itemque veſpertino poſt ſolis occaſum, longius ejaculari eum, quam ſi circa meridiem explodatur. Quod, quantum aeris expanſio ad globi motum conferat, abunde teſtatur. Idem etiam uſu venit, quando tormentum aere craſſo & vaporibus repleto exploditur, quo in caſu major motus globo imprimitur, quam ubi aer tenuior ſereniorque fuerit. Cui dubio amovendo Autor barometri obſervationes in capiendis cum tormentis experimentis inſtituendas ſuadet. *Altera* Libri *Pars* tractat de ignis & pulveris uſu tum ad inferendum hoſtibus damnum, tum ad feſtivitates celebrandas, adhibendorum, ubi, quicquid ad hanc partem artis igniariæ ſpectat, dilucide explicatur, novisque argumentis, tum e theoria, tum e praxi repetitis, egregie confirmatur. Præmittitur huic Parti tentamen theoriæ de cauſa effectuum pulveris pyrii, ſeu de modo, quo ille tam mirabiles effectus edere poſſit, quos ab illo edi cernimus, quem habito reſpectu tum ad aerem, quem vehemens flamma rapidiſſime extendit dilatatque, tum ad materias, e quarum mixtione oritur pulvis, ſulfur, ſal nitrum, carbones, tum ad leges, ſecundum quas inflammatur ille, & a quibus dependet inflammationis rapiditas, vel lenta propagatio, quantum potuit, explanavit Autor. Hanc ſuam theoriam, ad quam ulterius perficiendam ipſe alios, qui artes has norunt tractantque, invitat, poſtquam cum Societatibus Scientiarum Anglica & Boruſſica communicavit, & utriusque aſſenſum impetravit, poſteriorque illam in Latinum ſermonem transferri e Gallico curavit, quo Miſcellaneis Societatis inferretur: nos illius diffuſiore recenſione ſuperſedere poſſumus, id unicum monuiſſe ſatis habentes, Autorem ſal nitrum, non pro materia combuſtibili, ſed ad ignis calorem celerrime liquabili, habere, e cujus liqueſcentis poris rapidiſſime egreſſus aer carbones ardentes & ſulphuris incenſi ſcintillas afflatu ſuo excitet & fomentet.

SAL. DEYLINGII INSTITUTIONES PRUdentiæ Paſtoralis.

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Lanckiſianorum, 1734, 8.
Alph. 2.

S. Rev.

Digitized by Google

S Rev. Autor ex eo ſtatim tempore, quo publicum docendi munus in hac Academia obtinuit, omnes ingenii nervos eo intendit, ut ſacri Miniſterii Candidatos non ſolum eruditos, ſed & pios, ac prudentes, formaret, magno cum fructu Eccleſiæ aliquando præfuturos. Idcirco regulas in ſuis prælectionibus tradidit & inculcavit huic inſtituto inſervituras. Cum autem dictandi labor, præter tædium & temporis jacturam, multas alias pareret difficultates, multorum rogatu has Inſtitutiones exire paſſus eſt in publicam lucem, ut Auditoribus non tantum, ſed & aliis, prodeſſet. In Procœmio ſubſidia commemorat, ex veterum Patrum & recentiorum Doctorum monumentis utiliter depromenda. Poſtea de Miniſterio Eccleſiaſtico *abſtractive & concretive* conſiderando binis Capitibus agit. Quæſtionem, penes quem poteſtas Eccleſiaſtica *radicaliter* ſit, enodate tractaturus, obſervat, Jura Sacrorum, quæ ſummi imperantes hodie apud nos exercent, duplicis eſſe generis. Alia eſſe *Jura Majeſtatica*, & fluere ex ſuperioritate territoriali: alia eſſe *Jura Collegialia*, ſeu *Conventionalia*, quæ, ſi eorum originem ſpectes, penes totum cœtum reſideant. Illa Principi competere, qua tali, abſolute, nec iis unquam carere eum poſſe, quia in Republica eſt ſummus, & per acceſſum ad Eccleſiam, ſuam majeſtatem non depoſuit. Ab his autem Juribus circa ſacra majeſtaticis multum differre Jura Collegialia, quæ, ſi eorum conſideres originem, toti Eccleſiæ, qua Collegio, competunt, & quatenus ſocietas eſt in Republica, quæ, pro libertate naturali coire, & certas confœderationis leges, perinde ac pœnas pactitias, condere, iisdemque ſponte ſe ſubjicere, potuerit. Hoc ipſum autem veteres Chriſtianos feciſſe, ex *Plinio & Tertulliano* probat. Hæc Jura ab initio adminiſtraſſe univerſum Eccleſiæ cœtum, quando per civitatem totam nondum erat diffuſus. Eo autem nimium amplificato, Seculo poſt Chriſti natales *quarto*, & deinceps ſub papatu, illorum Jurium adminiſtrationem ceſſiſſe Clero, ſed per ſacrorum emendationem rediiſſe ad Eccleſiam, quæ tacito ſaltim conſenſu ea adminiſtranda reliquerit ſummis Magiſtratibus, quibus nunc adimi non poſſint,

poſt-

Digitized by Google

poſtquam in Pacificationibus religioſis ſigillum quaſi civile acceſſit. Varios Miniſtrorum ordines, & originem, inprimis dignitatis, & autoritatis Epiſcopalis natales, ac incrementa, ex antiquitate inveſtigat, negatque, parochias ad gentilium imitationem in Eccleſiam Chriſtianam introductas eſſe, cum nuda rei ſimilitudo certum originis indicium eſſe haud poſſit. Eccleſiarum limites, ſive parochias, ex pacto potius, & boni ordinis cauſa, ad exemplum Synagogarum Hebræarum, quarum quælibet ſuos habuerit parochianos, & quæ totæ nonnunquam Chriſti doctrinam ſuſceperint, conſtitui cœpiſſe. Expoſitis *Cap. III Protheoria generalis* Miniſtrorum Eccleſiæ requiſitis, ac dotibus neceſſariis, progreditur ad ipſam Tractationem, & *Parte prima* oſtendit, qua ratione idoneus Miniſterii ſacri Candidatus in Scholis & Academiis rite præparari, impedimenta removeri, & literæ cum ſacræ, tum profanæ, ab eo debeant tractari. *Cap. III* diſſerit de variis Prudentiæ Paſtoralis fontibus, &, occaſionem nactus commodam, opportune monet, Jus Canonicum vetus, quod commendat, a Jure novo, quod feces olet, accurate disjungendum eſſe, quippe quod dominatui Pontificum ſtabiliendo unice inſerviat, & Eccleſias noſtras non obliget, niſi quatenus unum alterumque caput in noſtris foris & Conſtitutionibus, Principum autoritate emiſſis, receptum ſit. *Parte ſecunda* commendat Prudentiæ Paſtoralis regulas, circa ſacri muneris ingreſſum obſervandas. Ubi vocationis neceſſitatem propugnat, ejusque jus, ſacrarum literarum autoritate & pervetuſta conſuetudine fultus, univerſæ Eccleſiæ vindicat, directorio tamen manente penes Collatorem. Qua occaſione in originem Juris patronatus inquirit, oſtenditque, illud Seculo quarto privata autoritate introductum, & poſtea ab Imperatore *Juſtiniano* confirmatum, apud nos, ſi recte adminiſtretur, & ultra ſuos limites non extendatur, tolerari, a Patrono tamen obaerato, cujus fundi ſub ſequeſtro ſunt, ob Simoniæ periculum exerceri non poſſe. Expoſita *Cap. II* Miniſtri novi ordinatione & ſolenni introductione, quam diu differendam non eſſe monet, varias explicat quæſtiones, an quis ſine titulo, aut androgynus, ad ſacrum munus inaugurari

gurari poſſit. Jusjurandum religionis utiliter retineri, monet, ut Eccleſiæ certo conſtet, cui religioni in præſenti addictus ſit ille, qui officio ſacro admovetur. *Cap. III* de reditibus & immunitatibus Clericorum agit, oſtenditque ſalariorum neceſſitatem, poſtquam ſpontaneæ populi oblationes, quarum quædam olim menſtruæ, aliæ hebdomadales & quotidianæ, erant, & a locupletioribus, ſacrum epulum ſumturis, afferri ſolebant ad altare, unde Miniſtri perinde ac pauperes alebantur, dudum ceſſarunt. Quando nonnulli hodierno tempore Paſtorum ex ſolis eleemoſynis ſuſtentationem reduci voluerunt, opinati, hac tandem ratione ambitum, Simoniam, & alias malas artes, evitari poſſe, cum nemo facile egeſtatis periculum aditurus ſit, S. Rev. Autor monet, conſilium non fore aſpernandum, ſi ſincerus veterum Chriſtianorum amor & liberalitas, quæ in antiquis monimentis tantopore prædicatur, noſtro ævo ſimul reſuſcitari & reduci poſſit, quod tamen in ultima hac mundi fece, rebus omnibus in pejus euntibus, vix ſperandum ſit. Decimas, apud nos retentas, non divina, ſed humana duntaxat, lege, & pacto, vel diuturna conſuetudine, niti opinatur. De foro Clericorum privilegiato loquens, obſervat, illud perantiquum eſſe, & in utroque Codice plurima exſtare Imperatorum Chriſtianorum Reſcripta, ſed ex ipſius veteris Eccleſiæ praxi merito ceſſare in criminibus a Clericis admiſſis, quæ ad civiles judices jam olim deferri conſueverunt. Prudentiam Paſtoris in ipſa muneris ſacri adminiſtratione deſcripturus, inprimis requirit purioris doctrinæ cuſtodiam, atque exactam vitæ ſanctimoniam, cum diligenti Scripturarum meditatione ac oratione conjungendam. Deinde diſſerit, qua ratione rudiores inſtituendi ex Catechiſmo, verba e ſuggeſtu cum fructu facienda, & cum recto clavium uſu Sacramenta adminiſtranda ſint. Qua occaſione plurimæ quæſtiones dubiæ & vexatæ enodantur & explicantur. Occaſione partus monſtroſi & deformis quæſtio movetur circa *campſores*, vulgo *Wæchſelbælge*, de quibus docetur, eos non ex concubitu Satanæ cum ſagis, nec ex ſemine ſurreptitio, quod multis in mentem venit, generari, nec a maligno Spiritu pro genuinis infantibus ſupponi, ſed inſigni laborare morbo, quem Medici

Rha-

Rhachtaidem appellant. Baptiſmum in ſolo Chriſti nomine collatum improbat, & confirmationis ritum Baptiſmi appendicem in veteri Eccleſia fuiſſe probat, eumque ut utilem, atque poſtliminio, ſi ab omni ſuperſtitione purgetur, reducendum, commendat. Publicam peccatorum deprecationem, multis in locis apud nos uſitatam, velut reſiduam veteris diſciplinæ Eccleſiaſticæ portionem, repetit ex pœnitentium ritu. Hi recipi volentes in fidelium cœtum, proſtratione & lacrymis in ſacco & cinere offenſæ Eccleſiæ *ſatisfacere*: Epiſcopi autem, illum rigorem paululum mitigantes, *φιλανθρωπεύεσθαι*, & *indulgentiam dare*, dicebantur. Tandem S. Rev. Autor Miniſtri prudentiam circa ſponſalia, & matrimonialia, nec non circa liturgica & œconomica, ac cerimonias, privato auſu non mutandas, & circa cadaverum ſepulturam, copioſe deſcribit. Ad extremum, commemorato *Parte IV* Paſtoris e munere ſacro vario egreſſu, univerſo Libro, Sacri Ordinis Candidatis & novellis Paſtoribus diligenter commendando, finem imponit.

SAMUELIS CHRISTIANI HOLLMANNI, Philoſ. Prof. Publ. paulo uberioris in univerſam Philoſophiam Introductionis Tomus primus, qui Logicam & Metaphyſicam complectitur.

Vitembergæ, ſumtibus Prænumerantium, 1735, 8.
Alph. 2 pl. 17.

Etſi Scriptorum, quibus vel nonnullæ ſolum, vel omnes etiam ad univerſæ Philoſophiæ ambitum vulgo relatæ diſciplinæ ſimul, illuſtrantur, tanta hodie jam multitudo proſtat, ut illorum fere copia jam laboremus; ſupereſſe tamen & in his eruditionis humanæ partibus non pauca, quæ perfici adhuc ulterius poſſint, novamque omnino diſquiſitionem mereantur, negari vix a quoquam rerum harum perito poterit. Unde & eo minus vitio verti Operis hujus Cl. Autori debet, quod, cum inde jam a multis annis rebus philoſophicis operam navaverit, cogitata ſua, ad ſingulas diſciplinas pertinentia, ſcripto peculiari complecti

decreverit. Edidit enim in finem jam *A. 1728 Inſtitutionum Philoſophicarum Tomum I*, quo *Logicam* & *Metaphyſicam*, & *II*, quo *Phyſicam* & *Pneumatologiam*, tradidit, *III* quoque jam tum additurus, qui *Philoſophiam Practicam* comprehenderet, niſi conſilium illud poſtea mutaſſet. Longe vero plenius, majorique ſtudio elaboratum, Opus eſt, quod *uberioris in univerſam Philoſophiam Introductionis* nomine in lucem jam emittere cœpit, atque a priori illo plane diverſum. Non enim ſolum qua *rem ipſam*, tractandique methodum, multa in eodem aliter, quam in priori illo, tradita ſunt; ſed ſingulis etiam, quæ alicujus modo momenti eſſe videbantur, argumentis præcipui, qui de iisdem hactenus expoſuerunt, Scriptores ubivis additi, ut *Bibliothecæ* cujusdam *Philoſophicæ* inſtar Opus iſthoc eſſe ſimul poſſit. *Logica* vero, & *Metaphyſica*, hoc *primo Tomo* comprehenſæ ſolum ſunt; reliquæ diſciplinæ philoſophicæ ſubſequentibus Tomis includendæ erunt. Utrique harum diſciplinarum præmittuntur *Prolegomena*, quæ partim *hiſtorica* ſunt, & de ortu, progreſſu, atque incrementis cujusque, ad noſtram usque ætatem, exponunt, partim vero quoque *Dogmatica*, quæ optimam diſciplinam illam pertractandi rationem tradunt. Eadem methodus etiam in *Prolegomenis*, quæ toti Operi præmittuntur, *de Philoſophia in genere*, obſervatur. *Logices*, quæ primo loco pertractatur, *tres* conſtituuntur *Partes*, quarum *prima* de naturalibus intelligendi & judicandi viribus in genere partim, partim quoque ſingulatim de ideis, illarumque non minus, quam terminorum, quibus easdem efferimus, differentiis, tum & judiciorum atque propoſitionum Logicarum diverſis generibus inprimis, agit. Uti vero *Parte ſecunda*, tum de veritate in genere, hujusque vocabuli diverſis ſignificationibus, tum quoque inprimis de veritatis Logicæ criteriis, cognoſcendique principiis, adverſus Scepticos & Idealiſtas recentiores copioſe ſoliciteque agitur, hisque doctrina de variis cognoſcendæ veritatis modis, quo, præter alia, fides quoque divina & humana, totaque præjudiciorum & probabilitatis doctrina, referuntur, ſubjungitur; ita *Parte tertia* uſus illo-

illorum omnium, quæ prioribus duabus Partibus theoretice modo tradita ſunt, docetur, multaque ad cognitionem veritatis perquam neceſſaria & utilia circa illorum applicationem proferuntur. Speciatim diſtinctis Capitibus paulo copioſius oſtenditur, quomodo rite uti ratione noſtra debeamus, ſive ipſi in veritate aliqua propria meditatione invenienda verſemur, quo tota inprimis doctrina *de ratiociniis* refertur, & a priori demonſtratur; a doctrina vero *de Syllogiſmis* proprie dictis, quippe quos medium demonſtrandæ, & cum aliis communicandæ, veritatis ſolum eſſe, Cl. Autor oſtendit, diſtinguitur; ſive veritates quoque, ab aliis jam cognitæ & inventæ, addiſcendæ nobis ſint, ubi & *de viva inſtitutione*, & *de librorum lectione*, atque *interpretatione*, doctrinarumque iisdem comprehenſarum *dijudicatione*, & *de methodo* tandem *ſtudendi*, in genere agitur; ſive ultimo tandem veritatem, a nobis quomodocunque cognitam, communicare cum aliis velimus, ubi partim *de demonſtratione*, ejusque variis generibus, modisque, ad quos *Syllogiſmus* quoque pertinet, unde & tota ejusdem doctrina hic dilucide traditur, partim quoque de ratione, modoque, ſive viva, ſive ſcripta, voce cum aliis, alia omnia ſentientibus, ita de re aliqua, in controverſiam vocata, diſſerendi, ut veritati utrinque unice litetur, diligenter, alioque, quam a plerisque quidem factum hactenus eſt, modo diſſeritur.

In *Metaphyſices*, quæ eidem præmittuntur, *Prolegomenis*, oſtenditur, *Ariſtoteli*, a quo natales hujus diſciplinæ repeti plerumque ſolent, ne in mentem quidem unquam veniſſe, vel *Theologiam* quandam *naturalem*, vel *Ontologiam* quoque aliquam, vel *utramque* etiam ſimul, uti plerisque fere omnibus huc uſque perſuaſum fuit, in illis, qui hodienum inter ejus Opera exſtant, *quatuor & decem Metaphyſicorum Libris* pertractare; ſed ſcopum totius Operis longe alium potius eſſe. Quoniam enim *Heraclitus* jam in eam ſententiam ingreſſus erat, *ſenſibilia* omnia ſemper *fluere*, perpetuisque mutationibus obnoxia eſſe, unde &, *neminem unquam bis in eundem amnem deſcendiſſe*, affirmabat,

 quam

Digitized by Google

quam ſententiam etiam plerique Græcorum Philoſophorum poſtea amplectebantur, qui ſimul tamen, objectum ſcientiarum perpetuum & immutabile eſſe debere, tantum non omnes contendebant; oriebatur inde controverſia illa, num in rebus *ſenſibilibus*, perpetuæ mutationi obnoxiis, aliquid adhuc detur; iisdemque ſubſtet, ſubjaceatque, quod *perpetuum & immutabile* in iisdem ſit, & *ſcientiarum* propterea objectum proprium conſtituat. Hocque cum plerique fere affirmarent, alii tamen *numeros Pythagoricos*, alii *ideas Platonicas*, alii *figuras Mathematicas*, alii aliud, id ipſum eſſe contenderent; hanc controverſiam jam dirimendam ſibi *Ariſtotelem* his in libris ſumſiſſe, oſtenditur, idque evidentiſſimis ex ipſo *Ariſtotele* adductis locis confirmatur. Imo, quo inveteratum illud circa hos libros præjudicium eo felicius omnium animis evelleretur, ſumma omnium librorum & capitum librorum iſtorum Metaphyſicorum *Ariſtotelis* ordine recenſetur, hicque *Ariſtotelis* ſcopus exinde manifeſtus redditur. Atque hoc ipſum quoque *Ariſtoteles* per *ens, prout ens eſt*, intellexit unice; de notionibus vero illis Ontologicis, ex quibus Scholaſtici, verum *Ariſtotelis* ſcopum ſenſumque non aſſecuti, *Ontologiam* ſuam poſtea exſculpſerunt, nonnullas *Lib. V* ſolum attingit, atque ſine omni inter ſe nexu adducit, illarumque, quod in ſubſequentibus ſibi aliquem illarum uſum fore præviderat, Mathematicorum more definitiones præmittit: totam vero *de Deo & intelligentiis* doctrinam duobus *Libri XII Capitibus VII & VIII* paucis modo attingit. Non infelix tamen hic Scholaſticorum error fuit, ſiquidem occaſionem formandæ cuidam diſciplinæ, de qua nemo Græcorum Philoſophorum unquam cogitaverat, *Ontologiæ* nempe, dedit, licet non æque felix ipſa eorundem tractandi ratio fuerit. Infinitis enim fere nugis, infelicibusque ſpinis loliisque, totam fere illam ita repleverunt, ut vix ſani quid vel in illa ſupereſſet, vel diſcerni etiam ab iisdem poſſet; a quibus adeo hæc ſcientia, qua maxima fieri poteſt induſtria, repurganda eſt. Opus enim eſt aliqua ſcientia, quæ *communiſſima* illa *principia*, omnibus fere ſcientiis communia,

Digitized by Google

ſia, neque ad hanc magis, quam aliam quandam, diſciplinam pertinentia, tradat, quo illa *fundamenta demonſtrandi* aliarum veritatum evadere queant. Ad hanc vero nulla, quam Scholaſticorum, *Ontologia* aptior eſt, quippe quæ multa huc ſpectantia jam tradit, quæ retineri quoque propterea ex eadem commode poſſunt. Supplenda tamen eadem ſimul, omniaque in eadem occurrentia ita pertractanda, ſunt, ut ſumma ipſis & certitudo & evidentia ſua conſtet, hæcque adeo diſciplina vera *Philoſophia prima*, & *Geometria* quaſi quædam *Philoſophica*, evadat. Quod Geometria enim inter ſcientias Mathematicas eſt, idem Philoſophia prima inter philoſophicas eſſe diſciplinas debet, qualis merito tamen hactenus inter *deſiderata* reponenda fuit. Ad hunc ergo uſum omnia quoque referenda ſunt, quæ ad ejus ambitum pertinere cenſentur; imo potius ex hoc fine dijudicandum omnino eſt, num quid referendum ad eandem ſit, an vero minus. Hunc ſibi ſcopum in ejus pertractatione Cl. Autor quoque propoſuit, omniaque eo ſimul ordine tradidit, ut non ſolum, quare hæc illave ad hanc potius, quam aliam quandam, diſciplinam philoſophicam, relata ab eodem ſint, ſed &, quare hoc potius, quam alio quocunque ordine pertractata ſint, facile exinde conſtare poſſet. Id enim in diſciplinis quoque philoſophicis neceſſarium inprimis eſſe judicat, niſi autoritatem potius, & meram conſuetudinem, quam rationem, juſtæque methodi leges, in illarum pertractatione ſequi velimus. Opus ipſum propterea in *duas Partes* diſtribuitur, quarum *priori* de illis, quæ rebus omnibus, ſive mere *poſſibilibus*, ſive vere *exiſtentibus*, competere, vel *eſſentiæ*, vel *exiſtentiæ* intuitu, *neceſſario* debeant; *altera* vero de illis, quæ intuitu vel *eſſentiæ*, vel *exiſtentiæ*, *poſſibilia* quomodocunque eſſe intelliguntur, atque ex his poſſibilitatibus porro *neceſſario* nexu conſequuntur, ſolum exponitur. Qua tractandi methodo non ſolum omnia, quæ in vulgaribus libellis Metaphyſicis occurrunt, quatenus illa fundamento ſuo non carent, ſuo quæque ordine locoque traduntur, atque ex fundamentis ſuis demonſtrantur; ſed his etiam multæ aliæ, magni momenti, veritates,

Digitized by Google

tes, ex iisdem cum reliquis principiis deducta, v. c. *de ſpatio & loco, de duratione, de unione, variisque ejus generibus, modisque poſſibilibus, de quantitate in genere, variisque* iterum ejus *modis*, & *generibus*, *de modis quantitates varias determinandi*, & *menſura durationis ultima*, *de duplici* diverſiſſimo *perfecti*, & *perfectionis*, ſignificatu, *de infinito & indefinito*, *de regreſſu & progreſſu in infinitum* in quantitatibus quibuscunque, tum & *de diviſibilitate* compoſiti cujuscunque *in infinitum*, *de identitatis & diverſitatis* omnis *fundamento*, *de principio rationis ſufficientis*, de confuſa *Ariſtotelicorum* & Scholaſticorum *de quatuor cauſis* doctrina, *de* differentia *cauſa impulſiva*, *finis*, & *uſus*, *de neceſſitate*, *contingentia*, & *libertate*, *de vera notione ſubſtantia*, &c. junguntur, quæ vel prætermiſſæ hactenus in Metaphyſicorum doctrina a plerisque ſunt, vel ſaltem non pro dignitate pertractatæ. Omnia vero hæc ita ſunt expoſita, ut nihil in ſubſequentibus admittatur, quin fundamentum ſuum in antecedentibus habeat, neceſſariisque atque evidentibus concludendi legibus ex iisdem fluat, omniaque adeo hujus diſciplinæ capita arctiſſimo inter ſe nexu cohæreant. Hac eadem vero ratione quoque ipſa *Philoſophia rationalis*, de qua antea diximus, quantum indoles illius diſciplinæ permittit, pertractata eſt; ut ad demonſtrationis tamen rigorem ibi omnia æque, ac in Philoſophia quidem prima, propius accedant, argumentorum, ibidem occurrentium, natura non patitur. Quoniam vero Cl. Autori eo ipſo tempore, cum Opus hoc ſub prelo ſudaret, ipſæ illæ diſciplinæ, quas *primo* hocce *Tomo* complexus eſt, publice in nova *Gœttingenſi* Academia docendæ a *Sereniſſimo* atque *Potentiſſimo Magnæ Britanniæ Rege*, & *Electore Hannoverano*, clementiſſime demandatæ ſunt, non putavit, committendum a ſe eſſe, ut Opus illud ſine *Potentiſſimi Regis* illius auſpiciis in publicum prodiret, eaque de cauſa idem, more antiquo, humillime Ipſi dedicavit. Tanta quoque clementia *Rex Potentiſſimus* illud excepit, ut & gratiæ ſuæ Autorem certiorem fieri, &, teſtandi beneplaciti cauſa, nummis aureis, magni pretii, donari eundem clementiſſime voluerit.

) o (

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Maji Anno MDCCXXXV.

GLOSSARIUM AD SCRIPTORES MEDIÆ & infimæ Latinitatis; Autore CAROLO DUFRESNE, Domino DU CANGE, Regi a Conſiliis, & Franciæ apud Ambianos Quæſtore. Editio nova, locupletior & auctior; opera & ſtudio Monachorum Ordinis S. Benedicti e Congregatione S. Mauri.

Tomus I, II, III & IV.

Pariſiis, ſub Oliva Caroli Oſmont, via S. Jacobæa, & Francofurti ad Mœnum, apud Franciſcum Varrentrapp, 1733, fol.

Tom. I A-B Alph. 4 pl. 18, Tom. II C-D Alph. 4 pl. 16, Tom. III E-K Alph. 4 pl. 14, Tom. IV L-O Alph. 3 pl. 21.

Bona tandem fortuna preli carceres ex parte evaſit *Gloſſarium* hoc *Cangianum*, ultra duo fere luſtra promiſſum expectatumque; quod quo minus factum ſit prius, impedimento fuiſſe perhibentur potiſſimum infeſta ſemper Muſis nomina, editorum quorundam *συνέργων*, ſive valetudo, ſive obitus. Parata hinc facile apud æquioris animi viros tædioſiori alioquin moræ fuerit venia: præſertim ſi cognoverint ipſius Operis inſpectu, magis illud per hoc intervallum adhuc maturuiſſe, tarditatemque gravitate egregie compenſatam. Nil attinet de

Gloſſarii hujus οἰκονομία, pretio, laudibus, & id genus argumentis aliis, commentari hic ex inſtituto; quod perſuaſum fere habeamus, vix centeſimo cuique, qui noſtra hæc legit, minus illa explorata exiſtere. Prærogativas ergo ſaltim novæ hujus ἐκδόσεως ſtrictim juvat indicare. Univerſim ſponte poteſt exiſtimari, ita comparatam eſſe ſimilium ſcriptorum naturam, ut, quantumvis Autor improbo labore & pertinaci induſtria meſſem fecerit, nunquam non tamen ampliſſimi ſpicilegii faciundi poſteris copiam relinquat. Neque vero id pro ſua modeſtia, qua floruit præter alios, ipſe diffiſus unquam eſt Cl. *Cangius*. Noſtri autem Editores, *Benedictini* doctiſſimi, ita impoſito ſibi negotio defuncti ſunt, ut largum & infinitum fere Anecdotorum apparatum, poſt primam illam *Gloſſarii* emiſſionem divulgatum, adhiberent quidem, atque in uſus ſuos converterent, ſicubi illud opus aut utilitatis plenum fore cognoſcebant; hac tamen cautione diligenter ſervata, ne transſcripta paſſim, quæ dicta fuerant prius abunde ab ipſo *Cangio*, cum nauſea Lectorum recoquerent. Hoc præterea eorundem maxime nobis quidem probatur conſilium, quod religione quaſi quadam duci ſe paſſi fuerint Autorisque reverentia, ad nihil prorſus immutandum delendumve in priſtino Opere, in illis etiam locis, ubi, falſum ipſum fuiſſe, humanitatis vitio, palam exſtabat. His enim ſingulari ſubinde nota medelam attulerunt, peculiari quodam ſigno ſignificatam; quod idem ſtudioſe factum eſt de illis Articulis, qui numero non contemnendo Cl. Editorum induſtria noviter plane acceſſerunt; quemadmodum &, quæ in ipſo Operis contextu intercalata paſſim ſunt hypomnemata minutiora, uncinis incluſa, non a *Cangio* autore profecta fuiſſe, manifeſte ſatis produntur; ut Lector inde, quid cuivis debeatur, facillimo negotio poſſit diſtinguere. Poſt *novam Præfationem*, in qua hæc, ejusdemque commatis alia, fuſius enarrantur commendanturque modeſte, *Epiſtola* legitur Cl. Viri, *Stephani Baluzii*, ad *Euſebium Renaudotium*, de vita & morte *Cangii*, Pariſiis data ipſis Cal. Novembr. A. 1688. Quod hæc a doctiſſimo homine, *Cangii*que familiariſſimo, & ſumma quidem cum accuratione

tione & fide conſcripta ſit, vicem illam præſtare recte maluerunt *Biographiæ Cangianæ* Editores, quam novam plane conſcribere; interim tamen ejuſdem *Epitaphio*, *Librorumque*, a ſuperſtite vulgatorum, *Elencho*, & *Effigie* demum, in æs eleganter inciſa, ac nondum prodita hactenus, jucunde illam exornarunt. Non ingratum, putamus, fuerit, *Epiſtola Baluziana* ſummam huc compendio traductam perluſtrare. Scilicet ortum duxit Noſter ex antiqua & nobili *Dufreſniorum* apud Samarobrinam Ambianorum urbem, in Provincia, quam Picardiam dicunt hodie, ſitam, gente, ex ſecundo parentis, *Ludovici Dufreſnii*, Toparchiæ Frigidæ vallis, & Præpoſiti Belliquerani, (*Froidaval* & *Beauquêſne*) connubio prognatus, edituſque in lucem Cal. 15. Januar. A. 1615. Poſito literarum feliciter & cum ſumma diligentiæ erectæque indolis laude, in Collegio Ambianenſi Societatis Jeſu Patrum tyrocinio, apud Aurelianenſem Academiam legitimæ ſcientiæ ſtudium ſuum addixit, receptus in Advocatorum numerum Pariſiis medio anno 1631. Non multo poſt in patriam reverſus, ingentem ex doctrina famam autoritatemque conſecutus eſt apud ſuos. Patre deinde ex vivis A. 1638 erepto, matrimonium mox iniit cum ſplendida fœmina, *Catharina Boſia Drancurtia*, ultra quinquaginta annos concorditer, nec ſine prole, traductum; illuſtri ſimul Regiæ Quæſturæ (*Treſorier general de France*) apud ſuos A. 1645 dignitate exornatus. Hac aliquo temporis intervallo, peſte patriam A. 1688 flebiliter infeſtante, ſponte ſe abdicavit; & uxorem, liberos, ac libros, Lutetiam, futuram in poſterum ſedem fortunæ, tranſtulit. Enimvero auſpicatiſſima & utiliſſiminis eruditæ civitati μετοικεσία iſthæc *Cangiana* contigit. Quod enim in aliis univerſi Gallici regni urbibus fruſtra requiſiverint homines ſtudiis dediti, in hac Metropoli abunde invenit, inque ſuos & publicos uſus ſtudioſe convertit; Bibliothecas tum publicas, tum privatas, librorum exquiſitiſſimorum, & ſcriptorum & impreſſorum, apparatum infinitum, amicos & familiares, omnigena doctrina præcellentes. His adminiculis ſuffultus atque ſubſidiis, uno pluribus in hac urbe ſcriptis rem literariam locupletavit, nomen vero ſuum ipſe

æternitati aſſeruit. Exſtant inter hæc præcipue notatu digna: *Joannis Cinnami* Hiſtoriarum Libri ſex, & *Pauli Silentiarii* Deſcriptio *S. Sophiæ*, cum Notis in *Nicephorum Bryennium*, *Annam Comnenam*, & *Cinnamum*, Pariſiis A. 1670, fol. *Cyrilli*, *Philoxeni*, aliorumque veterum, Gloſſaria Latino-Græca & Græco-Latina, ibid. A. 1679, fol. *Hiſtoria Byzantina* duplici Commentario illuſtrata, ibid. A. 1680, fol. *Joannis Zonaræ* Annales, cum Notis, ibid. A. 1687, fol. Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Græcitatis, Lugduni, A. 1688, fol. & Chronicon Paſchale, ſive Alexandrinum, cum Notis, Pariſiis, A. 1688, fol. Poſtremo huic Operi immortuus eſt Vir Clariſſimus Cal. 3 Octobr. anni ejusdem ex dyſuria, quem morbum vocant Medicorum filii, vita tam laudabiliter geſta defunctus. Nos de cetero fauſtam reliquis *Gloſſarii* hujus Tomis & benignam Lucinam ſerio precamur.

RACCOLTA DI TUTTI GLI ANTICHI POETI Latini, &c.

h. e.

CORPUS OMNIUM VETERUM POETARUM Latinorum, cum eorundem Italica verſione.

Tomi VI.

Mediolani, apud Joſephum Ricchinum Malateſtam, 1731-1733, 4.

Tom. I Alph. 2 pl. 1, Tom. II Alph. 2 pl. 5, Tom. III Alph. 2 pl. 2, Tom. IV Alph. 1 pl. 11, Tom. V Alph. 2 pl. 5, Tom. VI Alph. 2 pl. 9.

Ad *Tomi* demum *quarti* Syntagmatis hujus veſtibulum collocata legitur luculenta admodum Præfatio, qua deſtituuntur tres antecedentes omnes, inibique expoſita redditur univerſi inſtituti, eximia certe laude digni, ratio. Non diffitetur illius, quisquis eſt, doctiſſimus certe, conditor, caſum potiores partes, veluti contingit quandoque in rebus humanis, initio habuiſſe magis in hoc Opere, quam deliberatum conſilium. Prodierat paucis abhinc annis Romæ Italica *Thebaidos P. Papinii Statii* converſio, Autore Eminentiſſimo Cardinale *Bentivoglio*, haud

Digitized by Google

haud ita pridem vivis erepto, qui nomen Libro perſonatum *Silvaggio Porpora* inſcripſit. Hæc quod ſingulari plauſu undique exciperetur, paratu tamen difficilia admodum eſſent illius exempla, in animum induxerat Bibliopola Mediolanenſis perinduſtrius, *Malateſta*, ſub finem anni 1730 novam illius editionem typis ſuis procurare, quæ minori quidem pretio emtoribus conſtaret, commodior tamen eſſet lecturis atque fructuoſior, quod ex adverſa parte Latinus *Statii* textus una exhiberetur. Calculo ſuo probarunt hanc rem non inter Italiæ tantum eruditos ingenia elegantiora, ſed & ultra montes longe plurimi; quo nuntio alacrior factus librarius ad urgendum Opus, conſpirantibus quibusdam amicis, in mentem venire ſibi paſſus eſt, non inique fortaſſe ſe de Reipublicæ literariæ commodis promeriturum eſſe, ſi quidem ad exemplum hujus *Statii*, reliquos etiam, imo vero omnes, priſci Latii Poëtas, tum ſua lingua, tum in Italicum idioma ſcite translatos, prelo junctim ſubmitteret pedetentim, & in unum quaſi quoddam corpus pangeret, plurimis Voluminibus cum die abſolvendum. Occurrerunt ſtatim ſaxum hoc deliberatius agenti momenta uno plura, eademque ponderis haud leviſſimi, quæ ad exequendum hæc deſtinata fortius impellerent. Primum enim exiſtimavit, commodiſſima ſic via juvenum Italorum manibus ingeri, & ad legendum ſtudioſius, quam fieri vulgo ſoleat, proponi poſſe carminum Autores Romanos veteres, quorum diurna nocturnaque volutatione ad illam doctrinæ [illegible] & ingenii excellentiam majores ipſorum unice perveniſſent, qua antecellerent hodienum poſterorum ſuorum plerosque omnes. Graves hac occaſione inſtituuntur querelæ de ſumma in legendis priſcorum ſcriptis apud univerſos fere ſcientiarum ac diſciplinarum reliquarum cultores oſcitantia & neglectu, unde non poſſit non imminere iterum Italiæ priſtina mentium morumque barbaries. Scribit inter alia Autor, in ipſismet fori circulis, ubi quotidie tractarentur Romanæ leges, puriſſimum elegantiſſimumque, ſi quod unquam aliud, Latiale vetuſtatis monumentum, adeoque obtinere deberet caſtiſſimæ Latinitatis ſtudium præ ceteris, iniquiſſimo fato in tantum

tum conculcari ac vilipendi Romanas Muſas, ut, ſi contingeret, priſcos Legumlatores redire ex inferis, idem ſine dubio præ indignatione facturi eſſent, quod ſimili affectu permotus apud Hebræos aliquando fecit de divinæ legis tabulis ipſarum Dux ſanctiſſimus. Neque vero inter ſcholaſticos tantum juvenes hujus inſtituti commoda ſubſiſtunt, ſed ad ipſos etiam Viros literis jam probe excultos derivantur. Quemadmodum enim illis inde priſcorum lectio expeditior multo atque jucundior efficitur; ita utrisque Commentarii luculenti vicem exhibet translatio Italica cum cura facta, ad obſcuriſſimos quosque Autorum ſenſus declarandos, & recondita quævis priſcæ doctrinæ ac morum myſteria recludenda atque colluſtranda. Quin & ipſis fœminis, quarum hac tempeſtate plures in Italia literarum, & Latinæ inprimis linguæ, ſtudio ducuntur, non minori uſui, quam voluptati futura eſt præſens Collectio, cujus ſingulos Tomos illuſtris cujusdam & natalium ſplendore & eruditionis fama fœminæ nominis inſcriptione exornare conſtitutum eſt Bibliopolæ. Poſtremum & exteris quibusvis Latini idiomatis haud ignaris atque Italici ſtudioſis fructuoſum admodum accidet hoc Syntagma, ſiquidem inde vel ſine magiſtro etiam ſoli ſibi illius intelligentiam comparare, atque ſe in intimos elegantiarum ac venerum Italicæ linguæ receſſus ultro penetrare poterunt, quas in Poetis magis, quam Grammaticis, aut proſæ orationis Scriptoribus quibusvis, obvias inveniri, certiſſimum eſt. Novum calcar, præter hæc omnia, ad expediendum tantæ molis ac operæ propoſitum addidit, quod hac ratione univerſi ac ſinguli Poetæ veteres Romani Italico ore loqui juberentur. Quamvis enim primi Itali inter reliquas gentes Europæ cultioris omnes manum applicuerint ad convertendum in vernaculum ſermonem Autores priſcos; negari tamen haud poteſt, ſuperatos illos fuiſſe ab exteris, Gallis præcipue, ejusmodi translationum copia. Hunc itaque defectum expletum ſic iri, certum eſt. Quem in finem in hoc *Corpore* comprehendentur inter translationes, quæ jam exſtant, elaboratiſſimæ atque optimæ, eruditiſſimorum hominum arbitrorumque pluribus ſuffragiis deligendæ; quæ vero adhucdum ſunt deſiderata

Digitized by Google

ratæ, recens conficientur opera Virorum quorundam præſtantium, & eximia laude in utraque lingua facultatis & poeticæ inprimis artis florentium.

Dicta hæc de inſtituto univerſim ſufficiant. Jam & cujuslibet Tomi contenta, more noſtro, Lectoribus veniunt indicanda. *Tomus primus* ſex priores Libros, *ſecundus* totidem poſteriores *Thebaidos Statianæ* cum *verſione*, quod ante dictum fuit, Illuſtriſſ. *Bentivoglii* repræſentat. *Silvarum Libros V Tomus III*, & *Achilleida Tomus IV* continet, cum nova utriusque translatione. Illarum Academico cuidam *Arcadi*, hujus, Academico *Quirino*, debetur. *Silvarum* textus Latinus ex editionibus antiquis, Parmenſi, Romana, Veneta, exhibetur deſcriptus, non inconſulta quandoque, inemendatiſſima licet, editione *Domitii*; adhibitis etiam *Enſii*, *Gronovii*, *Gevartii*, aliorum, *in Silvas Animadverſionibus*. *Achilleis* ex typo *Plantiniano* deſumta eſt. Frontem *Tomi quarti* ornat *vita Statii*, Clariſſ. *Philippi Argelati* calamo eleganter & ad amuſſim deſcripta; ad calcem vero exſtat *Index locorum maxime difficilium*, qui per integrum *Statium* occurrunt, & ita ſtudioſe quidem declarantur, ut nulla temere in intelligendo textu Latino difficultas ſupereſſe perhibeatur. Promiſſum eſt, de ſingulis Poetis ſimili & *vita* & *Indicis* exemplo actum iri ad finem Operum cujusvis proponendo, magno certe, ſi quid judicio valemus, commodo lecturorum. *Tomus V* & *VI* ſiſtunt partito, ut de *Thebaide* factum, Opere in æquales partes *Æneida Virgilianam*, cum traductione Cl. *Annibalis Cari*, ſæpius jam quidem excuſa, ſed quæ principatum ita tenere, exiſtimatur doctiſſimis Viris inter translationes reliquas, veluti *Maro* inter Poetas ipſe. Ceterum, qui Chronologicum ordinem ſervatum moroſius forte deſideraverint in edendo hoc *Corpore*, illis, cum ad finem fuerit perductum, ſatisfacere contendet librarius novis cujulibet Tomi titulis, ſecundum quos diſponere tum poterunt juxta propriam ætatem Poetas ſingulos. Jam enim potius viſum fuit ita quamque prelo committere, prouti elaborata ad manus adeſt cujusque verſio; ne in nimis longum tempus protrahatur ampliſſimi in ſe inſtituti perfectio. *Manilius* enim, verbi cauſa, *Plautus*, *Prudentius*,

Silius

Digitized by Google

Silius, traducti nondum, majus otium poſtulant. Nos vero, quod reſtat, bene precamur Virorum Clariſſimorum laboribus, quamprimum aliquando exierint in lucem, ſimiliter illos in his Annalibus pro merito commendaturi.

PROSE FIORENTINE, &c.

h. e.

PEDESTRIS ELOQUENTIÆ SPECIMINA, collecta ab Academico Florentino, dicto SMARRITO, Societatis della Cruſca quondam Conſorte.

Tomi IV.

Venetiis, apud Dominicum Occhi, 1730-1734. 4.

Auſpicium facturus mercaturæ librariæ Bibliopola, haud meliori omine fieri illud abs ſe poſſe, exiſtimavit, quam ſi talem Librum typis ſuis ac ſumtibus excudendum eligeret, qui civibus ſuis, Italis, patrii ſermonis amatoribus, non gratus eſſe non poſſet. Hoc ſemel fine ſibi præſtituto, commodior aptiorque ad illum conſequendum vix occurrebat præſenti *pedeſtris Eloquentiæ Speciminum Syntagmate*, elaboratorum variis temporibus a variis famigeratiſſimæ binis abhinc Seculis *Academia Florentinæ*, quæ *della Cruſca* nomen ſibi impoſuit, & excolendæ purgandæque vernaculæ linguæ ſtudio coaluit primum, & ad hunc diem perduravit, Sociis. Primus iſtiusmodi collectioni manum animumque ſuperiori tempeſtate applicuit *Carolus Dati*, humaniorum Literarum & Eloquentiæ Doctor quondam Florentinus valde inclytus, & Societati, quam diximus, cognomento *del Smarrito* adſcriptus; primamque Sylloges hujus Partem eodem ſub indice: *Proſe Fiorentine*, anno circiter 1670, 8, vulgavit. Intercedens autem non multo poſt elegantiſſimi hominis obitus impedimento fuit, quo minus hanc telam, erudiendis in patrio ſermone civibus præclaro inſtituto ſuſceptam, ulterius texere poſſet aut pertexere. Inter-

Digitized by Google

termiſſum & illud quinquaginta plus minus annis atque derelictum jacuit, donec reſumerent vel nuper Viri quidam doctiſſimi, qui vero nomina ſua modeſte reticuerunt, ac perficerent eodem tramite amplius. Enata hinc eſt præſens Collectio, variis Tomis, Partibus, Voluminibusque diſtributa, pro varietate materiarum generumque elaborationis. Conſpicias enim primo loco collocatas *Orationes* proprio ſenſu appellatas, partem in Principum illuſtriumque Virorum laudes *panegyricas*, partem *funebres*, partem munerum *inaugurales*, & quæ ſunt id genus aliæ; gravioris argumenti ſingulas. Sequuntur his intermiſtæ *Tomo altero*, numero licet minores, ludicri generis aliæ, vernaculo nomine inſignitæ *Cicalate*; cujusmodi in ſolennibus Academiæ comeſſationibus, poſt remotas dapes e veſtibulo, & absque prævia meditatione, recitari conſueverunt ingenii animique gratia; v. c. elogia acetariæ, mali citrei, ſtribliginis, ovi, ſabarum, mali hypochondriaci &c. Junguntur tandem *tertio quarto*que *Tomis Acroaſes*, habitæ in doctorum hominum conſeſſibus ſuper diverſis ſeveriorum amœniorumque diſciplinarum capitibus. Videas enim modo hic locum aliquem, ſive Poetæ priſci Græci aut Latini, ſive recentioris Itali, inſigniorem ſcite atque argute explicatum; modo doctrinam aliquam Phyſicam, Metaphyſicam, Moralem, profundo ingenii ſenſu diſcuſſam; modo aliquod antiqui Philoſophi præceptum, apophthegma, ſymbolum, expoſitum atque colluſtratum, & ſimilia. Ceterum a præſtantiſſimis in dicendo magiſtris profecta omnia, &, qui non obſcuram eloquentiæ laudem adepti ſunt inter ſuos, non Italis modo lectu jucunda & utilia noſtro quidem judicio, accident, ſed & erectioribus exterorum ingeniis inſervire poterunt ad formandum ſibi *de vernacula apud hanc gentem Eloquentia* habitu guſtum; qui, ſi non obeſæ nimis futuri ſint naris, haud difficulter intelligent, egregie multa in dicendi ſtudio naturæ partim bonitate, partim laboris pervicacia, partim emendatiſſimorum veteris ævi exemplorum imitatione *Italos* præſtitiſſe; eosdemque, licet non ad illorum gloriam, quod difficillimum habetur, adſcenderint plane, conatos tamen fuiſſe nonnullos ſucceſſu non omnino infelici.

Digitized by Google

Zeit- und Geſchicht-Beſchreibung der Stadt Göttingen, ꝛc.

h. e.

DESCRIPTIO URBIS GOTTINGENSIS, in qua illius Hiſtoria Civilis, Naturalis, Eccleſiaſtica, & Scholaſtica, ex perplurimis antiquiſſimis Tabulis manu exaratis, & aliis fide dignis relationibus, traditur.

Pars I.

Hannoveræ & Gottingæ, apud Nic. Fœrſteri hæredes, 1734, 4.
Alph. 2 pl. 13, cum Fig. æn. 1.

Commemoravimus nuper, interprete Illuſtri *Grubero*, prima novæ Academiæ Gottingenſis initia. Jam fas & æquum eſſe cenſemus, ut urbem, quam tantæ felicitatis participem eſſe voluit Auguſtiſſimus Magnæ Britanniæ Rex, curioſo perluſtremus oculo. Præſertim cum ſingulari accurataque induſtria in enarrandis memorabilibus hujus urbis fatis verſati fuerint Viri doctiſſimi, quibus hoc negotium demandatum fuit. Binis Libris hæcce *Pars* abſolvitur. Priorem Librum debemus cognitiſſimæ diligentiæ Conſ. *Frid. Chriſtophori Neuburii*, Prætoris Regii & Collegæ noſtri venerandi, qui de illius denominatione, antiquitate, incrementis, mutationibus, præcipuis fatis, & præſenti regiminis ſtatu, copioſe & advocatis in ſubſidium incorruptis rerum geſtarum tabulis, tribus Capitibus diſſeruit. De prima urbis Gottingenſis origine variæ variorum afferuntur ſententiæ. Autori probabile videtur, Gottingam urbem Saxonicam fuiſſe in terris Saxonicis non admodum procul a Caſtello Saxonico Gronenſi ſitam, & a quibusdam piſcatoribus & ruſticis Saxonicis occaſione fluvii Leinenſis piſcatilis, & agrorum ubertatis, quinto aut ſexto poſt Chriſti natalem Seculo fuiſſe conditam. Aut, ſi veritas proloquenda eſt, de primis urbis initiis nihil certi dici proferrique poteſt. Hoc pro certo affirmat Autor, quod circa A. 778 aut 779 urbs hæc jam

Got-

Digitized by Google

Gottinga appellata, & pagus aut ſuburbanum ad caſtellum Gronenſe pertinens fuerit, quo loco *Carolus M.* autumno tempore plerumque vitam tranſegit, & præceptum, quo omnes *Dionyſiani* Monaſterii immunitates confirmat, a *Mabillonio* adductum, ita ſcripſit: *Data in medio Octobr. anno XI, & quinto regni noſtri. Actum Goddinga villa in Dei nomine feliciter.* Probat hic Conſ. Autor *Meyeri*, Originum Pleſſenſium Scriptoris, argumenta, quibus villam Goddingam hodiernam Gottingenſem urbem eſſe evicit, & quæ nemo quiſquam ad hunc uſque diem refutare aggreſſus eſt. *Henricus Auceps*, ad quem jure territorii jam ante dignitatem Imperialem urbs noſtra pertinuit, muris portisque eandem circumdedit, quibus cives A. 1360 & 1370 cetera munimenta, foſſas, valla, & pleraque, quibus hodie ſuperbit urbs, ornamenta addiderunt. Maxima autoritate ſemper floruit Gottinga. Etenim & ſummi Imperatores aliique Principes perſæpe ludos equeſtres ibi celebrarunt, & Anſeaticæ civitates eam jam ante annum 1400 in fœderis ſocietatem communionemque lubentes receperunt, & invitæ illam dimiſerunt, cum ob controverſias quasdam ortas fœderi illi die 28 Maji A. 1572 renuntiaret, & eandem ſæpe, quamvis fruſtra, ad partes ſuas pertrahere conatæ fuerunt, præterea ipſi Principes, & plurimæ aliæ civitates, pacta ſocietatemque cum urbe noſtra inierunt. Illi nihilo minus vehementer errant, & ſuaves nugas agunt, qui Gottingam liberis S. R. I. civitatibus adſcribunt, cum illa ſemper paruerit Ducum Brunſuico-Luneburgenſium imperio. Hoc fatendum eſt, quod negari nequit, medio ævo Gottingenſes feroces nonnunquam ſumſiſſe ſpiritus, armis & vi armata impugnaſſe Principes ſuos, illorumque jura & privilegia multum imminuiſſe. Inde factum eſſe arbitratur Autor, ut ad nonnulla Comitia Imperialia vocata fuerit, & Receſſum Imperii Auguſtanum de A. 1500 per delegatum ſubſcripſerit. Ea tamen ex errore profecta fuiſſe, & Principes interpoſita proteſtatione ſibi conſuluiſſe, cenſet Autor. Accedimus, Conſ. Autore duce, ad Principes, ſub quorum tutela floruit Gottingenſis civitas, ubi illorum opinioni adſentitur, qui, Gottingam paruiſſe olim Saxoniæ Principibus, & jure territorii

ſpectaſſe ad *Wittekindum Magnum*, contendunt. Diu admodum, & uſque ad *Henrici Aucupis* tempora Saxoniæ Principes Dominos ſuos coluit, donec A. 1101 virilis ſexus cum *Henrico Craſſo* emoreretur, cujus filia *Richſa* marito ſuo, *Lothario* Saxoni, præter alias terras etiam Gottingam dotis nomine attulit. Is cum nullos haberet filios, Ducem Bajoarienſem, *Henricum*, Superbi cognomine illuſtrem, ex Guelphica domo oriundum, cui filiam *Gertrudem* A. 1127 in matrimonium collocaverat, cum Ducatu Saxonico & terris ad Viſurgim fluvium ſolenniter inveſtivit. Sic ad Guelphicam domum pervenit Gottinga, & proſperos lætosque rerum fortunarumque ſuarum ſenſit ſucceſſus. Sed nec defuerunt urbi triſtia & funeſta fata, bellicæ calamitates ſtragesque, in quibus illius cives fortem atque inconcuſſum magnanimumque animum oſtenderunt, ut non inepte Virorum bellicoſorum nomen illis tribuere queas. *Liber II*, quem Cl. *Cyriacus Henricus Ebelius*, Gottingenſium Phyſicus, conſcripſit, *Capitibus quindecim* Principatum Gottingenſem, & præcipue urbis ſitum, portas, munimenta, plateas, fontes, templa, ædificia, & alias res memoratu dignas, complectitur. Fuſe hic perſequitur Autor agrorum fertilitatem, magnifica palatia, & innumeras commoditates, quæ vitam civium Gottingenſium tranquillam beatamque reddunt. Id unum nobis ſingulare inprimis commemoratuque dignum viſum eſt, quod Senatus populusque Gottingenſis ab antiquiſſimis uſque temporibus jus monetam cudendi habuerit, & monetæ alibi cuſæ non aliter valuerint Gottingæ, quam ſi intrinſeca earum bonitas probata, &, ſi juſta deprehenſa, minutiore urbis ſigillo confirmata fuerit. Subjecit huic Operi Cl. *Chriſtophorus Henricus Pape* ſuccinctam & brevem de aeris & aquæ Gottingenſis ſalubritate diſquiſitionem. In fronte Operis conſpiciuntur Viri Illuſtris, *Jo. Dan. Gruberi*, Magnæ Brittanniæ Regi a Conſiliis Aulicis, Meditationes ſuper antiquiſſimas relationes de urbe Gottingenſi, & Gottingenſibus regionibus, in quibus lubricum earum fundamentum egregie, & allatis ſelectiſſimis ex Hiſtoria Germanica obſervationibus, oſtenditur, dignæ, quæ a gentis noſtræ antiquitatum amatoribus integræ perlegantur.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONES PHYSICO-MATHEMATICÆ, partim antea editæ in Actis Philoſophicis Londinenſibus, jam auctiores & emendatiores, partim nunc primum impreſſæ; Autore JACOBO JURIN, Med. Doct. Collegii Medici Londin. & Reg. Societ. Socio, in Noſocomio Thomæ Guy Am. Medico, olim Colleg. Trinit. apud Cantabrigienſes Sodale.

Londini, impenſis Guilielmi Innys, 1732, 8.
Plag. 8½, cum Tabb. æn. 3.

Diſſertatio prima de cauſis ſuſpenſionis aquæ in tubulis capillaribus edita eſt A. 1718 in *Tranſact. Philoſ. n. 355*. In ea Cl. Autor cauſam ſuſpenſionis non conjicit cum *Hauksbejo* in integræ ſuperficiei concavæ tubuli, ſed in peripheriæ, ſeu ſectionis annularis tenuiſſimæ ſuperficiei concavæ tubi, cui contigua eſt & cohæret ſumma aquæ ſuſpenſæ ſuperficies, attractionem: iſtam enim ſolam tubi partem eſſe, a qua receſſura ſit aqua inter deſcenſum, & proinde ſolam eſſe, quæ vi attractionis ſeu cohæſionis, aquæ deſcenſum impediat. Hanc etiam cauſam eſſe effectui proportionalem, cum & iſta peripheria, & columna aquea ſuſpenſa ſint in eadem ratione cum tubuli diametro. Jam, immerſo tubuli oſculo in aquam ſtagnantem, cum prima aquæ guttula, ſubintrans tubum, ſuſpendatur attractione annuli contigui & proinde non gravitet in aquam ſubjectam, eam neceſſario altius attolli partim preſſione aquæ ſtagnantis, partim attractione annuli proxime ſuperioris. Diſſertatio ſecunda de actione tubulorum vitreorum in aquam & argentum vivum edita eſt A. 1719 in *Tranſact. Philoſ. n. 363*. In hac experimenta de ſuſpenſione aquæ in tubulis capillaribus continuat, & omnia eundem eventum habere in vacuo ac in aere, oſtendit, ſi utaris aqua cocta & ope antliæ pnevmaticæ ab aere purgata. Deinde iſtiusmodi phænomenorum hanc theoriam adſtruere conatur, ſcilicet particulas aquæ itemque mercurii attrahere ſe invicem, & mercurium pariter ac aquam ad vi-

trum attrahi; particulas tamen aquæ ad vitrum fortius attrahi, quam ad ſe invicem, contra particulas hydrargyri fortius ad ſe invicem trahi, quam ad vitrum. Adjecit additamentum, in quo obſervat, experimentum Cl. *du Fay* in Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Pariſinæ A. 1724, quo tota ipſius theoria ſubvertitur, non ſatis circumſpecte ab eodem fuiſſe inſtitutum: ipſe enim, periculo facto, contrarium prorſus deprehendit. In Diſſertatione tertia ſolvit dubia quædam, a Cl. *Bülffingero* in Commentariis Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolitanæ *Tom. II* circa theoriam in præcedentibus Diſſertationibus expoſitam propoſita. Diſſertatio quarta de motu aquarum fluentium edita eſt A. 1718 in *Transact. Philoſ. n. 355*. Agit in ea Autor de aquæ motu ex imi vaſis foramine defluentis, ſecutus *Newtonum* in principiis, quem primum veram aquæ fluentis velocitatem determinaſſe pronuntiat. Applicat deinde theoriam ad œconomiam animalem, veluti ad inveniendum motum aeris ex pulmone effluentis ad determinandum impetum, quem excipit interna pulmonum ſuperficies ab aere exſpirando, ad definiendum impetum ſanguinis in vena cava prope dextram auriculam cordis, ſive motum ſanguinis per omnes arterias & venas fluentis præter pulmonares, itemque motum ejusdem abſolutum in vena cava, ſublata vaſis reſiſtentia, motum in vena pulmonari prope ſiniſtram cordis auriculam, ſeu motum totius ſanguinis per pulmones fluentis, ac ejus momentum abſolutum in vena pulmonari. *Michelottus* in Opere de ſeparatione fluidorum hanc Diſſertationem pluribus in locis impugnavit. Eam igitur adverſus ipſius animadverſiones defendit Autor A. 1722 in *Transact. Philoſ. n. 373*. Atque hæc defenſio Diſſertatione quinta continetur. Diſſertatio ſexta de potentia cordis, publici juris facta eſt A. 1718 in *Transact. Philoſ. n. 358. 359*. Rejicit tanquam a veritate aliena, tum quæ *Borellus* in Opere de motu animalium, tum quæ *Joſephus Morlandus* in Diſquiſitionibus de cordis vi, ſermone Anglicano editis, tum quæ *Jacobus Keill* in Tentaminibus Medico-Phyſicis, ad œconomiam animalem ſpectantibus, dedere. Definit autem ipſe potentiam cordis hoc modo. Nempe, ſi pondus ſanguinis in

ſiniſtro

Digitized by Google

ſiniſtro ventriculo $= p$, ſuperficies interna ventriculi $= S$, longitudo media filamentorum ſanguinis ex eodem prodeuntium $= l$, ſectio aortæ s quantitas ſanguinis ventriculo ſiniſtro contenti $= q$, tempus, quo ſanguis ex corde expelleretur, ſublata arteriarum & ſanguinis præcedentis reſiſtentia $= t$, velocitas variabilis, qua ſanguis ex corde proſiliens per aortam flueret, ſublata reſiſtentia $= v$, longitudo variabilis aortæ a ſanguine ex corde effluente percuſſa $= x$, tempus, quo longitudo x percurritur $= z$; potentia ſiniſtri ventriculi Noſtro eſt $= \frac{q}{t}\left(\frac{p}{S} + \frac{q}{2s} + l\right)$ motus ventriculi $\frac{sv}{S}$, motus ſanguinis effluentis $sv\,(l + x)$. Quodſi literis Græcis eadem ſignificentur in dextro ventriculo, quæ Latinis in ſiniſtro; potentia dextri ventriculi prodit $\frac{q}{\tau}\left(\frac{\Pi}{\Sigma} + \frac{q}{2\sigma} + \lambda.\right)$ Cum *Keillius* ſuam Problematis ſolutionem defendiſſet, & contra ſolutionem Autoris difficultates nonnullas moviſſet; eas removere ſtuduit Noſter A. 1719 in *Tranſact. Philoſ. n. 362.* Reſponſio continetur Diſſertatione ſeptima: quæ cum lucem viderit *Keillio* jam mortuo, ad eam nihil amplius repoſitum fuit. Diſſertatio octava de ſpecifica gravitate ſanguinis humani edita primum fuit A. 1719 in *Tranſact. Philoſ. n. 361.* Ex *Leeuwenhoekii* Obſervationibus conſtat, ſanguinem humanum conſtare ex globulis rubris ſero innatantibus. Cum *Boyleus* in Hiſtoria naturali ſanguinis humani gravitatem ſpecificam ſeri ad aquam repererit ut 1190 ad 1000, ſanguinis vero ipſius ut 1040 ad 1000; inde collegerunt communiter, globulos rubicundos eſſe ſpecifice leviores, adeoque tenues veſiculas aere repletas. Noſter, experimentis pluribus accurate factis, docet, globulos iſtos non eſſe veſiculas aere plenas, & gravitatem ſpecificam ſeri ad aquam eſſe ut 1030 ad 1000, globulorum vero innatantium ut 1126 ad 1000, conſequenter materiam ſanguinis rubicundam eſſe ſero ſpecifice graviorem. Diſſertatione tandem ultima, quæ de vi motrice agit, ſententiam communem de menſura virium vivarum contra *Leibnitianam* defendit, quam levi lapſu *Leibnitii*

nitti ortam, contentione deinde & partium ſtudio longius provectam, arbitratur. In eo autem fallitur, quod ſibi perſuadeat *Leibnitio* autore, in æſtimandis effectibus nullam habendam eſſe rationem temporis: etenim *Leibnitius* hoc non admiſit, niſi in effectibus nocuis, qui vim motricem abſorbent. Enimvero, cum eos, qui *Leibnitianam* ſententiam tuentur, invitet, ut aliquod ipſi opponant experimentum, ubi temporum æqualitas ſervetur, ſicuti in iſtius demonſtratione factum ſit; hanc ipſis Autoris verbis huc apponere libet. Præmittit autem propoſitiones ſequentes: 1) Si corpori cuicunque, vi quacunque motrice prædito, adjiciatur inſuper altera vis motrix priori æqualis, corpus illud habere vim motricem duplam; 2) Plurium quotcunque corporum, æquali vi motrice præditorum, vim motricem unitam æqualem eſſe ſummæ virium motricium ſingulorum corporum; 3) Data preſſione dato tempore generari vim motricem datam. Hæc Autor conſequi exiſtimat ex eo, quod ex uno ad unum æquale adjecto fiant duo, & cauſarum æqualium æquales ſint effectus. Sequitur jam ipſa, quam Noſter vocat, demonſtratio, dati corporis vim motricem eſſe in ratione celeritatis. *In menſam*, inquit, FGIH *planam, horizontalem, & plano horizontali inſiſtentem, rotulis ſubjectis inſtructam, ut ope idonei machinamenti adjuncti nunc antrorſum, nunc retrorſum, ſecundum longitudinem* IH *ipſius menſæ moveri poſſit æquabili velocitate, alligatur paxillus* B, *cui affigatur alterum extremum* B *laminæ elaſticæ* BC. *Retrahatur altera extremitas* C *laminæ hujus* BC *uſque ad* D; *deinde reſiliendo per vim elaſticam & irruendo in corpus* A *impellat id corpus per lineam* AE *menſæ longitudini* IH *parallelam uſque ad* E. *Cognita autem habeatur per experimenta ſæpius repetita celeritas, qua corpus* A *poſt ictum laminæ elaſticæ percurrat lineam* AE. *Reponatur jam in ſedem priorem corpus* A, *& quieſcente, lamina elaſtica trahatur menſa ope machinamenti prædicti ſecundum lineam* AE, *eadem præciſe celeritate atque corpus* A *prius obiverat eandem lineam* AE. *Jam itaque corpus* A *licet relatione ad menſam quieſcens re vera cieatur eadem*

TAB. III Fig. 1.

Digitized by Google

Fig. 3




Fig. 2




Fig. 1




Fig. 4





Fig. 5



Digitized by Google

Digitized by Google

dem celeritate ex menſæ motu, quam prius conceperat ex ictu laminæ elaſticæ, & proinde vis motrix ejusdem A *ex motu menſæ concepta æqualis erit vi motrici, qua prius laminæ opera ciebatur. Perſtante hoc motu menſæ, lamina elaſtica retracta ad* D *& inde dimiſſa feriat iterum corpus* A. *Jam in menſa feretur corpus* A *eadem velocitate, ſive eodem tempore percurret lineam* AE, *atque prius fecerat, menſa quieſcente, cum eadem ſit lamina æqualiter retracta, & incidat in idem corpus eodem loco poſitum atque antea. Unde adjicietur corpori* A *vis motrix altera æqualis vi motrici jamjam inſitæ ex motu menſæ. Ergo per Prop.* 1 *habebit jam corpus* A *vim motricem prioris duplam, &, cum celeritas quoque prioris ſit duplex, patet, vim motricem eſſe in ratione celeritatis.* Exiſtimat Autor, ex ſententia *Leibnitiana* debere laminam inter motum menſæ vim motricem triplicem corpori adjicere; ſed *Leibnitius* vim motricem inſtar potentiæ conſiderans, quæ per celeritatem modificatur, eam ex particulis celeritatis, inſtar lineæ non compoſuit, nec unam eandemque rem nunc vim motricem, nunc celeritatem, appellavit. Addit Noſter demonſtrationem alteram, quæ ita habet: *Cum aquis fluentibus objicitur ſuperficies plana quæcunque, vis impreſſionis in illam ſuperficiem ab aqua facta rationem obtinet duplicatam celeritatis aquæ: quod Cl.* Mariotti *experimentis compertum eſt. Atqui vis hujus impreſſionis eſt, ut vis motrix unita omnium illarum aquæ particularum, quæ puncto temporis, ſive tempore infinite parvo, in ſuperficiem impingunt. Unde dividendo quadratum celeritatis per numerum particularum impingentium, h. e. per celeritatem, (nam eſt numerus particularum impingentium, ut celeritas aquæ,) habetur vis motrix unius particulæ aquæ in ratione celeritatis.* Ceterum Autor monet, ſi quis demonſtrationes iſtas impugnare velit, illum uti debere principiis claris, certis utrinque, & ante ortam controverſiam de menſura virium vivarum receptis, aut, ſi quid novi adducat, id demonſtrandum prius eſſe. In Additamento impugnat demonſtrationem menſuræ virium purarum, quam Cl. *Bülffingerus* in Commentariis Academiæ Petropolitanæ

Digitized by Google

Tom. I pag. 55 dare conatur: ubi cum ex eo, quod vires ſecundum latera parallelogrammi ſic agant, ut neutrius motus motum alterius augeat, vel imminuat, concludat, vim ex duabus compoſitam per diagonalem æqualem eſſe illarum aggregato, paralogiſmi ipſum redarguit. Etſi enim vires duæ primo poſitæ non augeant, aut minuant, ſe invicem, quamdiu in propriis directionibus verſantur; attamen, cum corpus unitis his viribus per diagonalem deferendum eſt, tum utique ſe invicem minuere, quod altera alteri ex parte adverſetur. Etenim, ſi vis *AB* reſolvatur in duas *AE* & *EB*, atque vis *AC* in duas *AF* & *CF*, evidens eſſe, vires æquales *CF* & *BE* ſibi mutuo oppoſitas ſe invicem deſtruere, compoſitam vero *AD* ex reſiduis *AE* & *AF* componi. Eodem paralogiſmo laborare arbitratur demonſtrationem *Bernoullianam*, ab elaſtris tenſis petitam, quæ in Elementis Mechanicæ *Wolfianis* legitur. Contra experimenta Cel. *Poleni* excipit, quod inæqualia ſint tempora, quibus foveæ a globis cadentibus in ſebo efficiuntur.

TAB. III Fig. 2.

DE VERA NOTIONE VIRIUM VIVARUM, earumque uſu in Dynamicis, oſtenſo per exemplum, propoſitum in Comment. Petropolit. Tomi II pag. 200, Diſſertatio; Autore JO. BERNOULLI.

§. I. Poſtquam Geometræ vidiſſent Diatriben meam de Motu, A. 1726 Gallice editam, in eaque explicationem claram naturæ virium vivarum, non defuerunt, qui, præjudiciis depoſitis, ſtatim tranſirent ad caſtra noſtra. Vis viva non conſiſtit in actuali exercitio, ſed in *facultate agendi*; ſubſiſtit enim, etiamſi non agat, neque habeat, in quod agat: ſic e. g. Elaſtrum tenſum, vel etiam corpus in motu conſtitutum, habet in ſe agendi facultatem, etiamſi extra ſe nihil inveniat, in quod ſuam facultatem exercere poſſit, &, quamdiu nihil adeſt, cum quo illam communicet, retinet utique totam, tam diu ſubſiſtens, & non efficiens, quod efficere poſſet, ſi agendi occaſionem haberet.

§. II.

§. II. Elaſtrum quippe tenſum, quamdiu tenſum eſt, vel corpus in motu æquabili poſitum, quamdiu nulli alii externo occurrit, non poſſunt dici agere; nam nihil aliud faciunt, quam perſeverare in ſuo præſenti ſtatu; jam vero omnis actio ſupponit mutationem ſtatus in agente, & perſeverare in ſtatu ſuo non eſt mutari. Adeoque elaſtrum tenſum, quamvis continuum habeat niſum ſeſe expandendi, nihil tamen agit, quia irritus redditur conatus, donec demum vinculo ſoluto effectus ſubſequatur per amolitionem corporis, quod, ſeſe dilatando, in motum concitat. Ita quoque corpus viciſſim, data velocitate motum, nondum agit, quia in eo nulla fit mutatio ſtatus, atque in ſe retinet omnem ſuam agendi facultatem, ſeu omnem ſuam vim vivam, donec vel in elaſtrum tendendum incurrat, vel habeat occaſionem occurſu in alia corpora mutandi illam ſuam vim, quod fit vel transferendo in hæc alia corpora, ſeu totam, ſeu partem, vel accipiendo ab his majorem, quam habuerat, pro diverſitate circumſtantiarum.

§. III. Hinc patet, *vim vivam* (quæ aptius vocaretur *facultas agendi*, Gallice *le pouvoir*) eſſe aliquid *reale* & *ſubſtantiale*, quod per ſe ſubſiſtit, &, quantum in ſe eſt, non dependet ab alio. Unde concludimus, quamlibet vim vivam habere ſuam determinatam quantitatem, de qua nihil perire poteſt, quod non in effectu edito reperiatur. Hinc ſponte fluit, vim vivam ſemper conſervari, adeo, ut, quæ ante actionem reſidebat in uno pluribusve corporibus, nunc poſt actionem reperiatur neceſſario in alio, vel aliis pluribus corporibus, niſi quid in prioribus remanſerit. Atque hoc eſt, quod vocamus *conſervationem* virium vivarum.

§. IV. Vis *mortua* nihil aliud eſt, quam ſolicitatio, qua corpus ad motus accelerationem vel retardationem urgetur, ſicuti gravitas, quæ incitat corpora ad deſcenſum, & deſcendentia accelerat, adſcendentibus vero reſiſtit, eorumque motum retardat. In genere vis mortua vocari poteſt *preſſio*. Differunt autem toto genere vis viva & vis mortua. Illa, ceu vidimus, exiſtit & ſubſiſtit independenter ab omni alio corpore, ita, ut nihil requirat extra ſe ad exiſtentiæ ſuæ continuationem vel perſeve-

ſeverantiam. Eſt igitur vis viva aliquid abſolutum & ſine correlato. Altera vero, nempe vis mortua, ſeu preſſio, eſt relativum quid, quod ſupponit duo a ſe invicem diverſa, ſcilicet cauſam prementem, undecunque illa veniat, & deinde corpus, quod premitur. Ceſſante cauſa premente, ceſſat & ipſa preſſio, perit effectus cum cauſa, niſi quatenus corpus cedit prementi, & ſucceſſive in motum concitatur, quo ipſo generatur vis viva in corpore aliquandiu preſſo, quæ ſemel generata fit ſubſtantialis, ac perire, vel diminui, nequit, quin tantundem, quantum periiſſe viſum eſt, in aliud vel alia corpora tranſierit.

§. V. Confundunt Adverſarii ambo genera virium, quia vident, ex libera actione vis mortuæ generari in corpore (actionem iſtam in ſe recipiente,) vim vivam, dum ex quiete in motum perducitur majorem vel minorem, prout cauſa premens fortius & diutius, vel debilius & brevius, in illud agit. Sed perinde faciunt, ac ſi vellent confundere lineam cum ſuperficie, ideo, quia per motum lineæ deſcribitur ſuperficies. Vis mortua *libere* agere dicitur, quando corpus, quod ab ea premitur, preſſioni obſequitur, & præter inertiam ſuam prementi nihil opponit.

§. VI. Corpus continuo preſſum, & a quiete ad motum accelerando perductum ope elaſtri, donec hoc per ſui dilatationem omnem ſuam vim exhauſerit, atque gradatim in corpus propulſum tranſtulerit, merito dicitur corpus in tali vel tali motu uniformi finaliter acquiſito conſtitutum, quod ab initio quieverat, poſſidere ſolum omnem vim vivam, quam ab elaſtro (cui nihil amplius remanet virium,) accepit. Dictat hoc clarus conceptus, quem habemus de perfecta æqualitate inter cauſam efficientem atque effectum plenum & adæquatum. Extrinſecus enim nihil aliud datur, ut ſupponimus, præter corpus, quod partem aliquam virium elaſtri in ſe recipiendo abſumat.

§. VII. Hæc ipſa perfecta æqualitas inter cauſam & effectum porro confirmatur, ſi attendimus, quid fiat, ſi, jam mutato effectu in cauſam, corpus cum acquiſita ſua velocitate in directionem contrariam vertatur, ita, ut in elaſtrum laxatum recurrat; annon vel ſolo rationis lumine percipimus, elaſtrum in

priſti-

Digitized by Google

priſtinum tenſionis ſtatum reſtitutum iri, poſtquam omnis motus in corpore ab elaſtri reſiſtentia abſumtus fuerit? atque ita alternatim accipere poſſunt reddereque viciſſim.

§. VIII. Quodſi elaſtrum aliquod per ſui dilatationem duo pluráve corpora in motum dederit, quocunque id fiat modo, ſive ſimul, ſive unum poſt alterum; dicendum eſt omnino, omnium iſtorum corporum vires vivas junctim ſumtas æquivalere vi toti, quæ in elaſtro reſidebat, adeoque & ei vi corporis unici, in quo ſolo movendo elaſtrum ſuam vim totam exhauſiſſet. Hoc verum eſſe ſuadet axioma de æqualitate inter totum & partes omnes ſimul ſumtas. Diſtribuit enim pluribus, quod uni ſoli dare potuiſſet.

§. IX. Poteſt motus in quolibet corpore conſiderari tanquam productus ab actione alicujus elaterii, quod vim ſuam in movendo corpore conſumſit. Quare, ſi corpora perfecte elaſtica & in motu conſtituta ſibi mutuo quomodocunque occurrant, eorum velocitates poſt occurſum ita mutabuntur, ut vires vivæ omnium ſimul ſumtæ fiant æquales illis aliis ſimul ſumtis, quas eadem corpora ante occurſum habebant, atque in hoc conſiſtit conſervatio virium vivarum. Si corpora non ſunt perfecte elaſtica, aliqua pars virium vivarum, quæ periiſſe videtur, conſumitur in compreſſione corporum, quando perfecte ſe non reſtituunt, a quo autem nunc abſtrahimus, concipientes, compreſſionem illam eſſe ſimilem compreſſioni elaſtri, quod poſt tenſionem factam impediretur ab aliquo retinaculo, quo minus ſe rurſus dilatare poſſet; & ſic non redderet, ſed in ſe retineret vim vivam, quam a corpore incurrente accepiſſet, unde nihil virium periret, etſi periiſſe videretur.

§. X. Qui ex non intellecta vera natura virium vivarum earundem theoriam rejiciunt, hoc unico nituntur fundamento, quod in æſtimatione earum virium nulla habeatur ratio temporis ab illis, qui per effectus homogeneos de quantitate virium judicandum eſſe contendunt. Sed ineptum eſt, aliter judicare de quantitate alicujus rei per ſe actu exiſtentis, quam per determinatam menſuram, quæ aliquoties ſumta totum exhaurit, neque attinet, quo tempore durante illa menſuratio perficia-

Digitized by Google

ficiatur, neque qualis adhibeatur menſura, major an minor; ſufficit ex partibus nobis ſimul ſumtis colligi poſſe totum ignotum.

§. XI. Finge, ut aptiſſimo ſimili utar, agi de inveſtiganda capacitate crateris aqua pleni, diceres ſane, & recte quidem, metiendam eſſe quantitatem aquæ in cratere contentæ per datam quandam menſuram. Quid ſi autem alius tibi diceret, cognoſci prius debere, quanto tempore canalis aquam ſuppeditans impleverit craterem, aut quantæ ſit amplitudinis epiſtomium, per quod, obturato jam canali, aqua emitti debeat, aut ſi aliam ejusmodi circumſtantiam, quæ ad rem nihil facit, urgeret; rideres profecto objectionem riſu digniſſimam. Jam enim non agitur de modo, quo crater fuerit impletus, utrum citius hoc factum per canalem ampliorem, an tardius per anguſtiorem; neque an promte emittatur aqua per largiorem effluxum, an lentius per epiſtomium anguſtius effluendo. Obſtrue modo canalem, & adeſt præſens aquæ copia in cratere; hanc ergo metire, promte an tarde, nil intereſt, invenies ſemper eandem aquæ quantitatem. Modus impletionis repræſentat modum generationis vis vivæ in corpore, modus vero depletionis metiendi gratia inſtitutæ haud male refert modum qualemcunque transferendi vim vivam ex uno corpore in alia æqualia inter ſe & æquali celeritate donanda, tanquam ad menſuras æquales, ex quarum numero judicare poſſis de quantitate totius.

§. XII. Dubitasne, unum eundemque effectum, plenum & adæquatum, variis modis produci poſſe, ſive reſpexeris ad tempus, ſive ad alias circumſtantias modales? Idem ſane manebit effectus ratione quantitatis, ſi nimirum ab eadem vel æquali cauſa fuerit productus, hæcque in producendo ſe totam exhauſerit. Etenim tum demum dici poteſt, jam eſſe in effectu, quicquid fuerat in cauſa. Ex partium quarundam menſura nondum judicari poteſt de quantitate totius, ſed tum demum, quando certum eſt, omnes haberi partes, & nullam de toto remanſiſſe, quæ non ſubierit menſuram. De hoc ſi conſtat, nihil amplius pro vera exigitur menſura. De modo & tempore menſurationis, non eſt, cur ſis ſolicitus; hoc quippe in eventu nec

auget

Digitized by Google

auget, nec minuit quantum ipſum. De opulentia hominis male judicares ab ejus expenſis quotidianis; prodigus quippe largiori manu expendit, quam alius multo opulentior, qui parſimoniæ ſtudet. De eorum ergo opulentia ut recte judices, oportet noſſe & in numerato habere utriusque facultatum ſummas totales.

§. XIII. Claram ideam habebimus de viribus vivis æſtimandis, ſi commodum aliquod exemplum eligamus. Concipe igitur quatuor elaſtra perfecte æqualia & æqualiter tenſa; haud utique negabis, ſingula ſeorſim præſtare poſſe quartam partem ejus, quod poſſunt omnia junctim ſumta; unumquodque enim tantundem contribuit ad totalem effectum, quantum quodlibet ex reliquis, nempe ſuam ſymbolam, quæ eſt quarta pars totius, poſito ſcilicet, unumquodque id unicum agere, ut vim ſuam exhauriat in promovendo aliquo corpore. Hoc corpus proinde ab initio ſine motu exiſtens, nunc motum habens ab elaſtris, habebit vim, quæ viva vocatur, conſiſtens in facultate reddendi elaſtris id quod ab iis accepit, nimirum vim, qua rediguntur ad priſtinum tenſionis gradum. Fateberis ergo mecum, ſingula elaſtra participare pro quarta parte effectus totius, quem omnia junctim produxerunt; quid clarius? ſi hoc negas, contra diem loqueris.

§. XIV. Videamus autem, quam diverſis modis, quamque diverſo tempore, hic idem effectus produci poſſit: Sint primo quatuor illa elaſtra ordine collocata in una recta linea, unum ante alterum, (*Fig. III n. 1*) ita ut extremitas ſiniſtra fulciatur in obice fixo *L*, dextra vero ad corpus quieſcens *A*, mox movendum ab actione elaſtrorum. Deinde ſint illa quatuor elaſtra poſita, ut videre eſt, (*n. 2*) ubi nimirum duo tantum in recta linea unum ante alterum, ſed duo hujusmodi paria juxta ſe invicem, a ſiniſtro extremo in obicem firmum *M*, a dextro in corpus *B* æquale ipſi *A*, nituntur. Deinque quatuor noſtra elaſtra (*n. 3*) diſponantur ſingulatim juxta ſe mutuo, habeantque crura ſiniſtra ſuffulta ab obice immobili *N*, dextra antea ſimul omnia innixa corpori *C* æquali ipſi *B* vel *A*.

TAB. III Fig. 3 n. 1.

n. 2.

n. 3.

§. XV.

§. XV. His ita poſitis, concipe porro, ſolvi elaſtra ita, ut eorum preſſiones continuo exerantur, ſive mediate, ſive immediate, in corpora *A*, *B*, *C*, hæcque proinde moveri incipiant, & accelerando pergant, donec, peracta omnimoda dilatatione elaſtrorum, corpora accelerari ceſſent, ac, maxima acquiſita velocitate, in motu ſuo uniformi continuent. Quid nunc cenſes de quantitate virium vivarum in iſta corpora translatarum? erunt utique in ſingulis tribus caſibus æquales, & quidni eſſent? quandoquidem unumquodque corporum *A*, *B*, *C*, in ſe recipit effectum quatuor elaſtrorum, quorum unum nec plus nec minus poteſt, quam alterum & ſingula vim ſuam integram transmiſerunt ad movenda ſua reſpective corpora; nihil enim, præter corpora, adeſt, cui aliquid impertiri poſſit. Abſtrahimus ſcilicet a materia ipſa elaſtrorum, quæ quidem etiam movenda eſt, ſed quam tanquam nullam vel admodum parvam ſupponimus, ita, ut nihil in illis præter eorum virtutem elaſticam conſideremus. Elaſtra itaque æqualia & ad æqualem gradum tenſa ſumi poſſunt pro menſura communi virium vivarum in corporibus generatarum, vel adhuc generandarum.

§. XVI. Quod nunc attinet ad velocitates corporum in triplici noſtro caſu expoſito, illæ profecto non poſſunt non eſſe æquales, ob æqualitatem tam corporum, quam virium, ab æquali numero elaſtrorum impreſſarum. Interim tempora, in quibus illæ vires ſunt productæ, ſunt valde inæqualia; habent enim rationem inter ſe, ut 4, 2, 1, hoc eſt, corpus *A* acquirit ſuam vim & maximam velocitatem tempore duplo longiori, quam corpus *B*, & hoc duplo longiori, quam *C*. Cujus veritas demonſtrari poteſt per vulgaria principia dynamica, ab ipſis quoque Adverſariis recepta.

§. XVII. Sunt etiam preſſiones inæquales, quibus corpora *A*, *B*, *C*, continuo urgentur. Sunt namque, quod manifeſtum eſt, in ſingulis dilatationibus ſimilibus elaſtrorum reciproce, ut 1, 2, 4. Corpus enim *A* in caſu primo haud aliter premitur, quam (*n*. 4) corpus *D* premeretur ab unico elaſtro, a quo unico reciperet vim vivam, quæ tantum quartam partem conſtitueret ejus, quam recipit *A* a quatuor elaſtris; id quod ex dictis ſatis ſuperque patet.

TAB. III Fig. 3 n. 4.

§. XVIII.

Digitized by Google

§. XVIII. Igitur, non obſtante diverſitate, cum temporum, tum preſſionum, corpora noſtra *A*, *B*, *C*, æqualia eandem vim vivam, eandemque proin velocitatem, acquirunt : adeo, ut, vi viva ſemel transfuſa in corpus e. g. *A*, amplius non quæri debeat, quomodo, vel quanto tempore, fuerit generata, an primo, an ſecundo, an tertio modo; *unde habeat, quærat nemo, ſed oportet habere*. Id duntaxat conſiderari debet, quot requirantur elaſtra datæ tenſionis ad hunc vel illum motum excitandum in dato corpore, nec refert, quo ordine, qua arte, qua lege, elaſtra diſponantur, modo agant tantum in corpus promovendum, eique unico vires ſuas largiantur, & nihil aliorſum prodigant. Vis elaſtri tenſi eſt aliquid reale, quod ſubſiſtit, quod permanet, quamdiu vinculo coercetur; modus vero elaſtra applicandi, & tempus, quod in agendo inſumitur, dependent ab arbitrio applicantis, & ſunt mere accidentalia, quæ ad rem ipſam non pertinent, & quæ poſt peractam motus generationem pereunt, nullaque ſui veſtigia relinquunt. Verum enim vero, quod eſſentiale eſt, nempe vis viva in corpore genita, non perit, ſed permanet, donec tranſeat in aliud, vel tota, ut nihil ſibi relinquatur, vel in tantum, ſi nimirum pars ſolummodo tranſit; hæc cum reliqua, quæ ſupereſt in priori, ſemper conficiet totum.

§. XIX. Hinc in communicatione motus corporum, in ſe invicem impingentium, vel etiam in varia modificatione motus partium unius ejusdemque corporis a vi propria pendente, ubi nihil perire poteſt ſine æquali effectu, pro fundamento & principio univerſali poni debet *conſervatio virium vivarum*, hoc eſt, illius *facultatis agendi*; quæ ſola eſt interna, realis, & perſeverans in exiſtentia ſua, ac quæ habet determinatam ſuam quantitatem vel menſuram independentem ab omni modificatione externa, ut ſunt tempora & preſſiones, ſicuti vidimus, æqualem vim datam eſſe tribus corporibus *A*, *B*, *C*, ideo tantum, quia æqualis cauſa illam in ſingulis produxit, nempe vis quatuor elaſtrorum, licet id factum ſit tribus diverſis modis, ratione tam temporis, quam preſſionis. Quodſi præterea aliud quæris, næ! idem facis, ac ſi ad æſtimandam aquæ quantitatem in cratere contentam, præter actualem menſuram, attendere vel-

les ad amplitudinem canalis, qui craterem implevit, vel ad tempus, quod in implendo fuit inſumtum; define igitur quærere nodum in ſcirpo.

§. XX. Reſtat tandem, ut explicemus, quantam habeant vim vivam corpora, quæ diverſa velocitate moventur. Nam ea, quæ habent velocitates æquales, palam eſt & extra controverſiam, gaudere viribus vivis in ratione maſſarum; ſed, ſi velocitates ſunt inæquales, erit in quolibet corpore vis viva, ſeu, quæ in illo eſt, facultas agendi, (quamvis actu ipſo non agat,) in ratione compoſita maſſæ & quadrati velocitatis, non ſimplicis velocitatis, ut contendunt Adverſarii, qui non intelligunt, vel qui, neſcio, quo contradicendi pruritu, intelligere nolunt diſcrimen inter vires vivas & mortuas.

§. XXI. Propoſitionem autem iſtam de viribus vivis, quæ in corporibus æqualibus ſe habent in duplicata ratione celeritatum, multis adeo demonſtrationibus invictis munivi in Diſſertatione mea de Motu ſupra allegata, ut actum agerem, ſi eas omnes hic repeterem. Lubet tamen unam referre, quæ præ ceteris brevis eſt, & non minus clara; eoque lubentius, quod, quæ in præcedentibus diſſerui, mirifice conſpirant ad ejus dilucidationem & confirmationem. Sint duo corpora inæqualia *A* & *B*, quibus quieſcentibus, interpoſita concipiatur ſeries elaſtrorum æqualium & æqualiter tenſorum. Finge jam, relaxari elaſtra, ut hinc inde corpora ab illis preſſa gradatim in motum concitentur, unum dextrorſum, alterum ſiniſtrorſum, donec, omnimoda dilatatione peracta, utrumque eam velocitatem acquiſiverit, quæ moli ſuæ convenit, & qua poſtea uniformiter moveri perget. Ubi ſequentia ſunt notanda: 1) Corpus majus *A*, & corpus minus *B*, quolibet momento preſſiones patiuntur ſibi mutuo æquales. Hinc 2) incrementa velocitatis corporis *A* erunt ad incrementa velocitatis corporis *B*, reciproce ut maſſa corporis *B* ad maſſam corporis *A*, per receptum ubique principium Dynamicum; 3) erunt ergo in eadem quoque ratione velocitates totales, ſeu ultimæ poſt peractam dilatationem acquiſitæ, hoc eſt, dicendo velocitatem corporis $A = a$, & velocitatem corporis $B = b$, erit $A . B :: b . a$.

TAB. III Fig. 4.

Quare

Quare 4) erit $aA=bB$, quod monſtrat, quantitatem motus utrobique eſſe æqualem, in qua æqualitate falſo putarunt Antagoniſtæ, ut mox patebit, conſiſtere æqualitatem virium vivarum. Tempus 5), quo utrumque corpus ad ultimam ſuam celeritatem pervenit, eſt utrobique æquale, quod ſane nulla probatione indiget; preſſio enim in utroque corpore ſimul incipit, & ſimul deſinit. Denique 6), quod ſummam meretur attentionem, ex eo, quod tam accelerationes corporum, quam eorum celeritates ultimæ, ſunt maſſis reciproce proportionales, clariſſime ſequitur, commune centrum gravitatis *C* conſtanter quieſcere interea, dum corpora a ſe invicem recedunt, ac proin totam ſeriem elaſtrorum ita dividi in puncto *C*, ut pars una eorum inter *C* & *A*, ſit ad alteram inter *C* & *B*, ut maſſa *B* ad maſſam *A*, ſeu ut velocitas *a* ad velocitatem *b*.

§. XXII. Hoc igitur centrum *C* erit inſtar obicis immobilis, cui hinc inde elaſtra innituntur, atque, ſeſe in utramque partem expandendo, transfundunt vires ſuas in corpora *A* & *B*. Ea proin vis viva, quam accipit corpus *A* ab elaſtris inter *C* & *A* contentis, erit ad alteram, quam ſortitur *B* ab elaſtris inter *C* & *B*, pariter ut *a* ad *b*. Dicantur itaque f & φ vires illæ duæ, illæ, inquam, facultates reales, quas nunc corpora poſſident, & in quibus unice generandis elaſtra utrinque ſuas vires penitus impenderunt, dicatur nempe vis viva corporis $A=f$, & altera corporis $B=\varphi$; habebimus $f.\varphi :: a.b$, modo autem demonſtratum eſt $aA=bB$; adeoque multiplicando analogiæ terminos a & b per hos alteros æquales aA & bB, erit ſane $f.\varphi :: a\times aA.b\times bB :: aaA.bbB$, hoc eſt, in compoſita ratione maſſarum & duplicata velocitatum. Quod erat demonſtrandum.

§. XXIII. Non capio, quid pertinaciſſimus Adverſarius, ſi vel Scepticus eſſet, huic evidentiſſimæ demonſtrationi opponere queat; negaveritne, ex numero elaſtrorum, vires ſuas in corpore movendo prorſus exhaurientium, determinandam eſſe vim totalem in eodem productam? annon, quantum poteſt unum ex elaſtris, tantundem poteſt alterum quodlibet? Video clariſſime, ſi e. g. corpus *A* fuerit duplo majus corpore *B*, fore

 vice

vice verſa duplo plura elaſtra corpus *B* pellentia, quam ſunt, quæ pellunt corpus *A*; accepit igitur corpus *B*, licet duplo minus, tamen duplo majorem vim, quam corpus *A*. Quod nunc Adverſarii tantopere urgent, habendam eſſe rationem temporis, quo durante motus fuerit productus, eo facilius admittere debent, quod motus in utroque corpore, adeoque etiam eorum vires, eodem tempore, non diverſis temporibus, generatæ ſunt. Vis viva igitur in corpore, cujus maſſa, ut *1*, & celeritas, ut *2*, cum ſit dupla alterius vis in corpore, cujus maſſa, ut *2*, & celeritas, ut *1*. Si poſterioris maſſæ ſumamus dimidium, habemus maſſam prioris, ut *1* cum celeritate ut *2* vim vivam habentis quadruplo majorem, quam habet corpus æquale cum celeritate ut *1*.

§. XXIV. Poſtquam ita directe demonſtratum eſt, corporum in motu conſtitutorum vires vivas, ſeu facultates agendi, eſſe in ratione duplicata, ſi corpora ſunt æqualia; & in compoſita ex ratione illa duplicata velocitatum & ſimplici maſſarum, ſi corpora ſunt inæqualia. Jam nulla ſupereſt difficultas circa veritatem principii indirecti *Leibnitiani*, de corporum viribus æſtimandis per altitudines, ad quas adſcendendo ſuas velocitates amittunt, vel, per quas deſcendendo ex quiete, eaſdem acquirunt. Etenim, cum conſtet ex *Galilaanis*, altitudines illas eſſe in duplicata ratione celeritatum, quam convenire probavimus rationi virium, quidni ergo adſcenſus vel deſcenſus gravium rectiſſime pro virium menſura ſumerentur?

§. XXV. Hinc intelligis, quamlibet corporis gravis particulam elementarem, cum deſcendit vel adſcendit per datam altitudinem, tantam acquirere vel amittere vim vivam ab actione gravitatis, quantam acquireret vel amitteret ab actione ſeriei elaſtrorum, datæ altitudini æqualis, poſito ſcilicet, elaſtra vi eadem premere, qua urget gravitas, ſive id fiat deorſum trudendo particulam elementarem, per modum accelerationis gravium deſcendentium, dum elaſtra ſe dilatant, ſive eidem particulæ elementari reſiſtendo, per modum retardationis gravium adſcendentium, dum elaſtra ab occurſu particulæ comprimuntur. Quare corpus grave cujuscunque figuræ, vel integrum ſyſtema plurium

plurium corporum, ſi a ſolo gravitatis effectu quomodocunque deſcenderit, eam vim vivam in omnibus partibus collectim ſumtam acquiſiviſſe, cenſendum eſt, cujus menſura habetur capiendo aggregatum productorum partium ſingularum per ſuas cujusque deſcenſus altitudines. Ex Staticis autem patet, aggregatum illud eſſe æquale unico producto totius Syſtematis maſſæ per altitudinem deſcenſus communis centri gravitatis. Hinc colligitur ex conſervatione virium vivarum, commune centrum gravitatis, ſi acquiſita ſua velocitate ſurſum dirigatur, ad priſtinam altitudinem, unde deſcenderat, eſſe adſcenſurum, idque ſive integrum Syſtema indiſſolutum adſcendat, ſive, ſolutis vinculis, quibus partes inter ſe cohærebant, ſingulæ ſeorſim ſuis acquiſitis velocitatibus adſcendant; utroque quippe modo conſervari debet eadem quantitas virium, utpote effectus unius ejusdemque cauſæ, nempe dilatationis & ſubſequentis compreſſionis determinati numeri elaſtrorum. Rem fuſius expoſui in Opuſculo de Motu.

§. XXVI. *Hugenius* uſum hujus Theoriæ eleganter primus applicuit ad inveſtigandum centrum oſcillationis in pendulis compoſitis. Neſcius tamen eo tempore naturæ & conſervationis virium vivarum, principium illud ſuum de æquali deſcenſu & adſcenſu communis centri gravitatis, haud aliter, quam pro axiomate, aſſumſit, veram ejus rationem nondum perſpiciens. Quare a multis tanquam poſtulatum nimis temerarium fuit impugnatum, donec rei veritas, primo per experientiam confirmata, dein etiam ex intervallo per principia ordinaria ab omnibus admiſſa directe demonſtraretur, qualem demonſtrationem ego dedi univerſaliſſimam in *Actis Lipſ. A. 1714*, omni ſane exceptione majorem. Nunc vero ipſius quoque axiomatis *Hugeniani* ſoliditatem ex theoria virium vivarum demonſtrative probatam & corroboratam arbitror, ut in poſterum inter propoſitiones dynamicas æque recipi mereatur, quam quæ ſunt certiſſimæ.

§. XXVII. Fortaſſis invita rationum allatarum evidentia ne nunc quidem obtineri poteſt, ut, qui Theoriam virium vivarum huc uſque pertinaciter repudiarunt, poſthac ſe illi favorabi-

rabiliores præbeant. Certe in noſtra poteſtate non eſt, aliquem eo adigere, ut fateatur, *dieſcere*, quando videt, *ſolem horizontem adſcendere*, tametſi ſe ſentiat interne convictiſſimum. Poſſunt aliquando homines apud ſe agnoſcere veritatem rite demonſtratam, ſed poſſunt etiam internam ſuam convictionem & agnitionem diſſimulare, mutare, præſertim ſi ſibi probro ducant, eam tam diu ignoraſſe, aut quod primæ inventionis gloria non ſibi ſuisve, ſed exteræ nationi, debeatur. Quis ſcit, ſi magnus *Newtonus* hanc Theoriam eruiſſet, annon univerſa Magna Britannia, ut probabile eſt, ei jam dudum applauſiſſet?

§. XXVIII. Si *Newtonus* perſpectam habuiſſet veram virium vivarum naturam, ſane non ſtatuiſſet duo diverſa principia, unum ad movenda corpora, alterum ad motum eorum conſervandum. Unum idemque enim principium, quo motus communicatur, facit etiam, ut conſervetur, non in quantitate motus, ſed in quantitate virium vivarum, quo ipſo luculenter patet, motum in rerum natura nunquam perire poſſe, ut *Newtonus*, vano terriculamento perterritus, metuiſſe videtur. Vid. ejus *Opt. Edit. ſecundam Lat. A. 1719, Londini impreſſam, pag. 404*, ubi ſequentem in modum (ridiculum dicerem, ſi a tanto Viro non ſcripta eſſent,) ratiocinatur: *Alio aliquo*, inquit, *principio* (præter vim inertiæ) *omnino opus erat ad movenda corpora; & jam, cum moventur, alio itidem principio opus eſt, ad motum ipſorum conſervandum. Nam ex variis binorum motuum compoſitionibus, manifeſtum eſt, non ſemper eandem eſſe in mundo quantitatem motus. Etenim, ſi duo globi, virgula tenui conjuncti, motu uniformi circa commune ſuum gravitatis centrum revolvantur, interea, dum centrum illud motu uniformi feratur in linea recta, ducta in plano motus ipſorum circularis, utique ſumma motuum binorum illorum globorum, quoties illi erunt in linea recta a communi ſuo gravitatis centro deſcripta, major erit, quam ſumma motuum ipſorum tum, cum erunt illi in linea, quæ ſit ad lineam illam rectam perpendicularis. Quo quidem exemplo apparet, motum naſci poſſe & perire &c.*

§. XXIX.

Digitized by Google

§. XXIX. Dudum quidem obſervatum eſt a multis, præſertim ab *Hugenio*, (vid. *Opuſc. poſthuma de vi percuſſionis in fine,*) motus quantitatem, etiam in corporibus perfecte elaſticis, in immenſum poſſe augeri & minui, ſed nemini in mentem venit, præterquam *Newtono*, inde conſequentiam eſſe formandam, quod ideo motus omnino perire vel annihilari poſſit. At hoc potius *Newtonus*, ex eo, quod motus quantitas, licet nulla nova cauſa ſuperaccedat, ſit tamen ex ſe ipſa variabilis & mutabilis, concludere debuiſſet, in quantitate motus non conſiſtere quantitatem virium, utpote quæ eſt conſtantiſſima, nullique mutationi obnoxia, quod non tantum in exemplis *Hugenianis*, ubi tam ingens eſt quantitatis motus mutatio, eleganter demonſtrari poteſt per calculum, ſed & in ipſiſſimo exemplo *Newtoniano*, duorum globorum, virgula tenui conjunctorum, & combinato motu uniformi rotatorio ac progreſſivo latorum, luculentiſſime & ſine magna difficultate probare poſſumus, globis illis duobus eandem ſemper ineſſe ſummam virium vivarum, quocunque in ſitu verſentur; hoc eſt, ſi globus uterque, non per velocitatem, ſed per quadratum ſuæ velocitatis actualis, multiplicetur, fore productorum ſummam conſtanter eandem atque invariabilem. Quo ipſo conſervatio virium vivarum mirifice adſtruitur; tantum abeſt, metum ſubeſſe, ne aliquando motus omnis in rerum natura pereat, indeque totum univerſum in chaos duriſſimum & immobile relabatur; dormiamus ergo ſecure, res eſt in ſalvo. Quod autem ex concurſu corporum mollium vel imperfecte elaſticorum, ubi ſecundum ſenſus noſtros aliquid de viribus videtur perire, allegari poſſet contra virium conſervationem, ad hoc jam ſupra reſpondimus, nec hujus loci eſt, ei diutius inhærere.

§. XXX. Ne vero diſputando militare pergamus, lubet nunc urgere conſenſum, quem generaliſſime deprehendimus in ſolutionibus Problematum ad hanc materiam pertinentibus, quotiescunque ea duplici modo ſolvere inſtituimus, nempe via indirecta, (ſed plerumque commodiori, ac magis compendioſa,) per Theoriam virium vivarum; altera directa, & petita ex notiſſimis atque a nemine non conceſſis principiis Staticis. Audebit

Digitized by Google

bitne aliquis duram ſatis habere frontem, ut, viſa harmonia conſtantiſſima in omnibus exemplis per utramque viam ſolutis, etiamnum tamen dubitet de probitate prioris methodi, aut, quod magis foret abſonum, ne dicam impudens, ut dicat, conſenſum iſtum caſui fortuito deberi, etiamſi talis caſus ſit moraliter impoſſibilis; ſiquidem ex centenis & pluribus exemplis, quæ hactenus tractavimus, ne unicum quidem occurrit, cujus non perfectiſſimum conſenſum exitus probaverit.

§. XXXI. Præter exemplum centri oſcillationis in pendulis compoſitis feliciſſime determinati per utramque methodum, indirectam & directam, quædam alia Problemata huic fini inſervientia propoſueram in *Comment. Petropol. Tom. II pag. 200*, ſuppreſſis tunc quidem ſolutionibus, viſurus, num qui forent ex Eruditis, qui vadum tentare vellent. Inter memorata Problemata occurrit quæſtio de chordarum vibrationibus definiendis per oſcillationes pendulorum datorum. Hujus Problematis ſingulos caſus (nam varii erant propoſiti) poſtea ſolutos dedi in eorundem *Comment. Tom. III pag. 13 & ſeq.* & quidem ita, ut præcederent ſolutiones erutæ ex doctrina conſervationis virium vivarum, haſque ſtatim exciperent alteræ ex vulgaribus principiis Staticis petitæ, quæ cum prioribus ſingulis ad amuſſim conſpirare deprehenduntur. Quod idem non ſine jucunda animi voluptate (ſaltem pro virium vivarum fautoribus,) obſervare eſt in ſubjuncta ſolutione Problematis de chordæ muſicæ vibrationibus determinandis per utramque methodum exhibita, quæ non abludit a *Tayloriana*, per viam longe diverſam inventa. Vid. *Method. Increm. pag. 93.* Quo conſenſu *Taylorus* forſan, ſi viveret, & tantillum ingenuitatis haberet, permoveretur ad amplectendam virium vivarum Theoriam.

§. XXXII. Conſtitui hoc loco ulterius monſtrare mutuum iſtum conſenſum inter utramque methodum per enodationem alterius alicujus Problematis Dynamico-Mechanici, quod ibidem cum reliquis propoſueram, ſed cujus ſolutionem legitimam nemo huc uſque in lucem emiſit. Senſus Problematis talis erat:

Sit

Sit curva data CGB, *per quam deſcendat pondus* B, *poſt ſe trahens ſurſum aliud minus pondus* A, *per aliam curvam datam* FAC, *adſcenſurum ope funiculi* ACB, *trochleam* C *ambientis, & binis ponderibus alligati. Quæruntur velocitates ponderum in quibuslibet locis* B & A. TAB. III Fig. 5.

1) *Solutio indirecta, deducta ex Theoria virium vivarum.*

Intelligatur tranſire per trochleam *C* recta horizontalis *MCE*, habeatque funiculus ſitum quemcunque *ACB*, eique proximum *aCb*. Ex punctis *B* & *A* ducantur verticales *BE*, *AD*; atque centro *C* & radiis *Cb*, *CA*, deſcripti ſint arculi *bn*, *Am*. Denique per puncta *b*, *A*, ducta intelligantur elementa horizontalia *bo*, *Al*, occurſura elementis verticalibus *Bo*, *al*. Dicantur $CB = x$, $Bn = am = dx$, $Bo = dy$, $bB = ds$; ſitque $z =$ rectæ verticali *TV*, ex cujus altitudine pondus aliquod libere cadens acquirat velocitatem æqualem illi, quam pondus *B* acquirit in curvæ puncto *B*. Quæritur itaque altitudo *z*.

Hoc fine dicatur porro $Aa = dr$, & $la = dq$. Atque, cum velocitas in *B* ſit proportionalis radici quadratæ altitudinis *TU*, ponatur hæc velocitas $= \surd z$; erit (ob *bB* ad *aA*, ut velocitas in *B* ad velocitatem in *A*) ipſa hæc velocitas in $A = \frac{dr}{ds}\surd z$.

Nunc, quia ex conſervatione & natura virium vivarum in ponderibus deſcendentibus & adſcendentibus ſumma productorum ex ponderibus per deſcenſus, demta ſumma productorum ex ponderibus per adſcenſus, debet æquari ſummæ acquiſitæ virium vivarum in univerſis ponderibus, hoc eſt, ſummæ productorum, quæ fiunt multiplicando ſingula pondera per quadratum ſuarum reſpective velocitatum; vel, ut ad ſenſum *Hugenianum* loquar, quod eodem recidit, quia commune centrum gravitatis duorum ponderum per funiculum colligatorum tantum deſcendit, quantum poſtea, ſoluto vinculo, (ſi utrunque pondus ſua acquiſita velocitate ſeparatim ſurſum dirigatur,) adſcendere poteſt. Habebimus hic (ſupponendo, *G* eſſe initium deſcenſus ponderis *B*, & *F* initium adſcenſus ponderis *A*, ducendoque verti-

 tica-

Digitized by Google

ticalem FM, cui occurrat horizontalis AR, ſicuti ipſi BE occurrit ducenda horizontalis GS, ita,ut SB ſit $=y$ & $FR=q$) habebimus, inquam, $SB \times B - FR \times A = z \times B + \frac{dr^2}{ds^2} z \times A$; unde $z = \frac{(B \times SB - A \times FR)\, ds^2}{B ds^2 + A dr^2}$, vel ſcribendo y pro SB, & q pro FR, erit $z = \frac{(By - Aq)\, ds^2}{B ds^2 + A dr^2}$. Q. E. I.

2). *Solutio altera directa, ex principiis pure Mechanicis.* Ut ponderum in ſe mutuo agentium & reſiſtentium vires commode determinentur, in auxilium voco vim tenſionis funiculi ACB, quam voco T, quæ renititur conatui, quo pondus B ſuper bB deſcendit, dum eidem T renititur pondus A, quod ab ea ſuper aA adſcendere cogitur. Sit nunc g vis gravitatis, ſeu acceleratrix naturalis, qua nimirum corpora gravia ad deſcenſum verticalem animantur. Adeoque, ſi jam B & A deſignent maſſas corporum, erunt eorum pondera abſoluta exprimenda per gB & gA, quorum vires ſeu conatus deſcendendi ſi deriventur ad directiones obliquas bB & aA, habebitur vis ſuper bB a gravitate oriunda $= \frac{gBdy}{ds}$, & ea ſuper $aA = \frac{gAdq}{dr}$. Similiter vis tenſionis T (quæ in utrumque pondus oblique agit,) derivanda eſt ad directiones obliquas bB & aA, prodibitque vis ſuper bB a tenſione oriunda $= \frac{Tdx}{ds}$ priori a gravitate derivatæ contraria; & altera ſuper aA, quæ eſt $= \frac{Tdx}{dr}$ (ſunt enim incrementa & decrementa nB & ma partium funiculi CB, CA, æqualia,) alteri illi vi a gravitate oriundæ $\frac{gAdq}{dr}$ pariter contraria. Proinde $\frac{gBdy}{ds} - \frac{Tdx}{ds}$ dabit vim motricem, qua corpus B ſuper bB deorſum urgetur, & $\frac{Tdx}{ds} - \frac{gAdq}{dr}$ vim motricem, qua corpus A ſuper aA ſurſum

ſum trahitur. Ibi enim ſupponitur vis obliqua à gravitate derivata prævalere alteri a tenſione derivatæ, hic vero obtinet contrarium.

Unde, ſi utrobique vires iſtæ motrices dividantur per ſuas reſpective maſſas corporum *B* & *A*, emerget $\frac{g\,dy}{ds} - \frac{T\,dx}{B\,ds}$ pro vi acceleratrice corporis *B*, nec non $\frac{T\,dx}{A\,dr} - \frac{g\,dq}{dr}$ pro vi acceleratrice corporis *A*.

Jam autem, poſito receptiſſimo principio dynamico, ($P\,dS = V\,dV$) ubi *P* denotat vim acceleratricem, *dS* elementum ſpatii percurrendi, & *V* velocitatem, de cujus veritate nemo dubitat, habebimus (nominando *u* velocitatem in *B*, & *v* velocitatem in *A*,) has duas æquationes $\left(\frac{g\,dy}{ds} - \frac{T\,dx}{B\,ds}\right) ds$, ſeu $g\,dy - \frac{r}{B}\,T\,dx = u\,du$, & $\left(\frac{T\,dx}{A\,dr} - \frac{g\,dq}{dr}\right) dr$, ſeu $\frac{r}{A}\,T\,dx - g\,dq = v\,dv$. Utrobique integrando, erit $gy - \frac{r}{B} \int T\,dx = \frac{1}{2}uu$, & $\frac{r}{A} \int T\,dx - gq = \frac{1}{2}vv$. Ex priori elicitur $\int T\,dx = gBy - \frac{1}{2}Buu$, atque ex altera $\int T\,dx = gAq + \frac{1}{2}Avv$, adeoque $gBy - \frac{1}{2}Buu = gAq + \frac{1}{2}Avv$.

Sed per hypotheſin *z* deſignat altitudinem, ex qua grave libere delapſum acquirit velocitatem *u*; erit ergo per principium dynamicum, ab omnibus conceſſum, $g\,dz = u\,du$, indeque $gz = \frac{1}{2}uu$; &, quia præterea $uu . vv :: ds^2 . dr^2$, habetur $\frac{1}{2}vv = \frac{dr^2}{2ds^2}uu = \frac{g\,dr^2}{ds^2}z$. Subſtitutis his valoribus pro $\frac{1}{2}uu$ & $\frac{1}{2}vv$, ac diviſo per *g*, dabit inventa æquatio $gBy - \frac{1}{2}Buu = gAq + \frac{1}{2}Avv$ hanc alteram $By - Bz = Aq + \frac{dr^2}{ds^2}Az$, quæ rite reducta dat quæſitam $z = \frac{(By - Aq)ds^2}{Bds^2 + Adr^2}$,

 omni-

omnino uti per priorem ſolutionem ex viribus vivis elicuimus. Q. E. I.

Coroll. 1. Per hanc methodum directam determinatur eadem opera (quod per indirectam fieri nequit,) vis tenſionis T, quam patitur funiculus, dum eo mediante pondera in ſe invicem agunt. Quoniam enim $\int T\,dx = gBy - \frac{1}{2}Buu = gBy - gBz$, erit differentiando & per dx dividendo, $T = \frac{gB(dy-dz)}{dx} = \frac{gB \times d(y-z)}{dx} =$ (ſubſtituto pro z ejus valore) $\frac{gB}{dx} \times d\left(y - \frac{Byds^2 - Aqds^2}{Bds^2 + Adr^2}\right) = \frac{gB}{dx} \times d\left(\frac{Aqds^2 + Aydr^2}{Bds^2 + Adr^2}\right)$ = (omittendo g, vel ſumendo pondus B pro ipſo gB, hoc eſt, pro maſſa B multiplicata per vim gravitatis g, atque evolvendo A) $\frac{A \times B}{dx} \times d\left(\frac{qds^2 + ydr^2}{Bds^2 + Adr^2}\right)$. Et ſic habentur z & T in quantitatibus finitis. Nam ob datas curvas CGB & CAF, datamque longitudinem funiculi totius ACB, dabitur utique relatio inter dx, ds & dr, ac proin quoque relatio inter ds^2 & dr^2, unde ambo valores ipſorum z & T reſultabunt in terminis finitis.

Coroll. 2. In caſu ſpeciali, cujus ſolutionem in Comment. Petropolit. ſine demonſtratione expreſſeram, ubi recta verticalis pro linea CAF ponitur, propterea dr, dq, dx, ſeu elementa Aa, la, am, Bn, ut & FR, ſeu $q = x$, fiunt æqualia, ſumto initio deſcenſus G in ipſo C; nulla alia mutatio prodibit in generali valore ipſius z, quam ut pro dr^2 ſcribi poſſit dx^2, ac pro q etiam x, quo facto erit $z = \frac{(By - Ax)ds^2}{Bds^2 + Adx^2}$ & ipſa $T = \frac{A \times B}{dq} \times d\left(\frac{xds^2 + ydx^2}{Bds^2 + Adx^2}\right)$.

Scholium.

Noſter quondam *Hermannus* viderat hunc a me inventum valorem ipſius z pro hoc ſpeciali caſu æqualem $\frac{(By - Ax)ds^2}{Bds^2 + Adx^2}$, in

Digitized by Google

in Epiſtola mea coram Academia Petropolitana prælecta. Ille igitur, volens generalem exhibere ſolutionem pro linea non tantum recta, ſed pro qualibet data curva *CAF*, occaſionem arripuit hanc materiam tractandi in fine ſuæ Theoriæ generalis motuum, *Comment. Tom. II ad Menſem Junii A. 1727* inſertæ; quod autem additamentum non niſi diu poſt Octobr. ejus anni Theoriæ ſuæ accedere potuit; ſiquidem hoc demum tempore theoremata iſta a me Petropolin dimiſſa fuere. Quod ideo monendum duxi, ne Lectori mirum videatur, unde venerit, ut proponantur Theoremata & Problemata tanquam aliquid novi, quorum tamen (ſaltem nonnullorum) ſolutiones tempore priores (etſi re vera poſteriores) fuerint inventæ.

Sed aliud majoris momenti non eſt diſſimulandum, quod Lectori ſcrupulum injicere poſſet, quando obſervabit, præſentis Problematis ſolutionem *Hermannianam*, loco citato *pag. 170*, traditam, in terminis generalibus diſcrepare ab ea, quam in hoc Schediaſmate duplici modo inventam exhibui. Ut diſcrepantia exponatur diſtinctius, invenit Cel. *Hermannus* TV vel $z =$

$$\frac{\left(By - \int \frac{Adp^2 dq}{dr^2}\right) x ds^2}{Bds^2 + Adx^2},$$ ubi notandum eſſe $dp = dx$. A me vero aliud diverſum & ſimplicius inventum habetur, nempe $z = \frac{(By - Aq) ds^2}{Bds^2 + Adr^2}$. Conveniunt hi duo valores in ſolo caſu, ubi linea *CAF* eſt recta, quod forſan fraudi fuit *Hermanno*, ut, conſenſum animadvertens in hoc caſu ſpeciali, tanto minus dubitaret de bonitate ſolutionis ſuæ generalis; at differunt ſane in omnibus ceteris caſibus. Qui ambas meas methodos, indirectam & directam, tam egregie conſpirantes, probe examinaverit, non poterit ambigere de ſolutionis meæ veritate; neceſſe eſt igitur errorem ineſſe in *Hermanniana*. Obſervavi reapſe Virum bonum, hic & alibi dynamica verſantem, ſæpe hallucinatum fuiſſe; quod non ideo dico, ut ipſius meritis aliquid detraham, ſed ut diſcant alii hanc materiam, denſa adhuc caligine obſeptam, cautius tractare, cum viderint, magnos quo-

Digitized by Google

que Viros in ea frequenter ceſpitaſſe. Habet certe *Hermannus* hac in re ſibi comparem in *Newtono*, qui & ipſe aliquando ſuos manes paſſus eſt, ceu ſupra oſtendi & alibi ſæpius.

EXPOSITION DES PREUVES LES PLUS SENſibles de la veritable Religion.

h. e.

EXPOSITIO ARGUMENTORUM PRÆCIpuorum, quibus, tanquam fundamento ſuo, innititur vera Religio; Autore BUFFIERIO.

Pariſiis, 1732, 12.

Plag. 20.

Argumenta maxime probabilia propoſiturus Cl. Autor, quibus vera Religio confirmari defendique ab Adverſariis poteſt, eos primum omnium ridet, qui ubique demonſtrationes, easque Geometricas, ſibi dari volunt, quæ, quod nemo, naturam & rationem earum intelligens, ignoret, in multis rebus locum non habeant. Religionis eam eſſe rationem, ut ejusmodi demonſtrationibus ſtabiliri nequeat. Probabilia igitur argumenta conquirenda eſſe; quæ quidem in his rebus eandem, quam demonſtrationes in Geometria, vim habeant.

Totum Opuſculum in *tres Partes* diviſum eſt. *Prima* docere ſatagit, valde eſſe rationi conveniens, ut, quæ Deus dixit, vera eſſe exiſtimemus. Quo loco Autor illud primum agit, ut, exiſtere Deum quendam, oſtendat; quam quidem in rem iis fere, quibus plerique alii, argumentis utitur. Eorum autem laborem, qui *Spinozam* refellere ſtudent, utut laudabilem, minime tamen utilem, eſſe putat, propterea quod una eademque abſurda, & ei perſimili, propoſitione omnis ejus diſputatio nitatur, quæ, unum tantum numerum eſſe, affirmaret. Quodſi enim anima noſtra & rupes arborve eadem ſubſtantia ſint, eodem jure etiam denarium & ſenarium unum numerum dici poſſe. Cum autem certum exploratumque ſit, eſſe Deum, non poſſe dubitari, quin non modo non repugnans, ſed valde conſentaneum, ſit, eum curam hominum habere, eisque ſe revelare. Neque deeſſe Deo, quibus id ipſum fieri præſtarique poſſit, vires ſubſidiaque, ut miracula; nec, qui efficere potuerit, ut

ut homines cogitationes ſuas aliis declarare poſſint, ipſum id præſtare non poſſe, ſtatui debere. Dictis autem Dei maximam adjungendam eſſe fidem, facile eo confici, quod nec fugere ejus cognitionem quidquam, neque cadere ulla fraus in ſummam ejus ſapientiam benignitatemque poſſit. Et, quandoquidem, quæ rationi rectæ repugnent, a Deo proficiſci nequeant, etiamſi ejusdem vim ſuperare poſſint, unice eſſe in ejus effatis acquieſcendum. Æque iniquum eſſe, ea falſa putare, quæ concipi plane perfecteque nequeunt, quorumque notiones nullas tenemus, ac ſi cœcus, colores eſſe, propterea neget, quod eorum ideam non habeat, aut tabulam pictam, quam planam eſſe, tactu percepit, altitudinis ſpeciem quandam aut imaginem exhibere.

Altera Parte oſtendit Autor, rationi conſentiens eſſe, ut, Deum dixiſſe, quæ Chriſtus, quo tempore inter homines verſaretur, docuit, credamus. Vera eſſe, quæ de Chriſto ipſo dicuntur, tum ipſorum Chriſtianorum, tum inimicorum Chriſtianæ Religioni, teſtimoniis plane confici, demonſtrat. Ipſa autem miracula vera fuiſſe, minimeque conficta, aut quæ ſpeciem tantum miraculorum habuerint, argumentis in hoc negotio adhiberi ſolitis confirmat diligenter atque accurate.

Tertia, eaque ultima, hujus Libri *Parte* demonſtrare Autor conatur, rationi conſentaneum eſſe, ut iis fidem habeamus, & a Chriſto dicta eſſe certo ſtatuamus, quæ ab Eccleſia, ſive ordine ſacro, ab ipſo Chriſto inſtituto, traduntur. In multa genera eos eſſe diſtractos, qui ſe Chriſtianæ Religionis aſſeclas profitentur, id quod nemo ignoret. Non eſſe dubitandum, quin doctrinam Chriſti non omnes ſequantur. Jam, ut, quæ Secta puram illam minimeque corruptam teneat, cognoſcamus, non ſufficere ſolam ipſius Sacri Codicis lectionem, ſed ad Eccleſiam & ordinem ſacrum eſſe confugiendum, qui viva voce doceat Religionem Chriſtianam, qui Petrum autorem habeat, ac cui explicatio Sacri Codicis relinquenda ſit. Quæ quidem omnia copioſe expoſita facile produnt hominem ſacris Romanis addictum, & ſtudio partium indulgentem. Sed nova non ſunt, quæ affert, verum jam a multis ante eum & explicata & refutata, minimeque adeo digna, quibus immoremur.

Appen-

Appendicis loco adjectæ ſunt *tres Diſſertationes*, quarum *prima* id, quod ſupra dixerat, pluribus declarat, inutilem eſſe, quæ refutandis *Spinozæ* erroribus tribuatur, operam; *altera*, non eſſe dubitandum, quin ab ipſo *Joſepho* profecta ſint, quæ de Chriſto hodie apud eundem leguntur; *tertia* vero, quid de *Apollonio Tyanæo*, ejusque miraculis, ſtatuendum ſit. Sed quandoquidem ipſe, nihil ſe afferre, dicit, quod non ſit pridem ab aliis dictum, ab iisdem fuſius recenſendis merito nos abſtinemus.

HISTOIRE CRITIQUE DES JOURNAUX, par Mr. C***

h. e.

HISTORIA CRITICA DIARIORUM LITERariorum; Autore DIONYSIO CAMUSATO.

Tomi II.

Amſtelodami, apud J. F. Bernard, 1734, 12.

Tom. I plag. 13½, Tom. II plag. 10.

Non niſi perexigua particula hæc eſt ingentis & vaſti Operis, quod decem abhinc, & quod excurrit, annis animo agitaverat Clariſſimus Literator Gallus, *Camuſatus*, ſed morte, qua Amſtelodami d. 28 Octobr. A. 1732 deceſſit, præpeditus, ulterius promovere haud valuit. Is, naturali quadam ingenii ſui indole ad concipiendum mente deſignandumque amplisſimi ambitus Libros, quam ad exequendum, promtior, inter alia deſtinata longioris halitus ſcripta, & hunc ſibi laborem ipſe impoſuerat, pauciſſimorum certe humeris perferendum, *Hiſtoriam* nempe *Diariorum* ad unum omnium *Literariorum Criticam*, quotquot ab octoginta circiter annis in diverſis Europæ cultioris Provinciis dilatandæ doctrinæ univerſæ cauſa, nobiliſſimo inſtituto, in lucem publicam prodiiſſent. Præclari hujus Syngrammatis hanc ſibi ideam finiverat Vir præter alios doctiſſimus, ut vitas inibi curate deſcriberet, quos habuerunt illa, Conditorum atque συνέργων omnium, porro & formas & methodi, quas elegerat quisque, rationes ad rationis trutinam

nam penſicularet, de ſtilo ſingulorum ſententiam ferret, eruditorum de pretio operæ hominum judicia conquireret, Autorumque alias tum laudes, tum vitia, demonſtraret, & quæ his ſunt gemina. In animo ſimiliter habuit enarrare præciſe cujuslibet Diarii progreſſum, plauſum, exitum, fautores, adverſarios; exornaturus paſſim hanc telam amœniſſimarum digreſſionum literariarum floſculis, dum, data qualibetcunque appellandi Autorem aliquem occaſione, illius notitiam fatorum ſcriptorumque ſuppeditaret, pluriumque adeo inſtauraret memoriam, *Camuſati* diligentia ſi defuiſſet, æternæ oblivionis nocte citra dubium conſepeliendam. *Belle* hæc excogitata omnia nemo non agnoſcit, ſed & ita comparata haud difficulter intelligit, ut unius hominis, licet maxime longævi atque χαλκέντερος, & vitam & vires quam longiſſime ſuperent. Amaverat Noſter, naturali quaſi quodam vitio, deſultoriam valde ſtudendi, legendi, ſcribendique, rationem, animumque cognoſcendi avidiſſimum modo in hunc, modo in alium, diſciplinarum Autorumque campum circumferre conſueverat; tunc vero, cum huic *Hiſtoriæ Criticæ* compilandæ ſemel ſe accinxiſſet, ita priſtinos mores exuiſſe certa fide perhibetur, uti, unius propoſiti jam tenax, calamum mutaret nunquam, & non niſi extremis fatis urgentibus manu deponeret. Atque abſolvit ita, quin imo inchoavit ſaltem, theatri ampliſſimi veſtibulum, ex quo, velut ex ungue leonem, cognoſcent literariæ rei ſtudioſi πολυίςορα *Camuſatum*, doctrinæque amœnioris arbitrum feliciſſimum. Enimvero meretur ab illis, qui ſerio hanc amant, totus perlegi, & in Bibliothecæ ſcriniis ſervari; neque capiet profecto harum paginarum anguſtia vel levem materiarum ſingularium, quæ hac Prodromo continentur, indicationem. Sufficerit, aliquas, guſtus dandi gratia, hic enotaſſe, unde de reliquarum pretio fieri queat judicium. Primum locum occupat *Hiſtoria Diarii Pariſienſis (Journal des Sçavans)*, Autore *de Sallo* incepti, & poſt varia fata ac impedimenta ad hunc uſque diem non fine melioris orbis plauſu perducti. Eadem opera ſtrenue Gallis gloria illa vindicatur, quod principes omnium exſtiterint, qui ſimilis generis ſcriptis literariam rem

 illu-

illuſtrare inſtituerint. Ipſa narratio, ad filum ſuperius deſcriptum exacte conſignata, variis *Annotamentis* concluditur, haud pauca complectentibus, quæ vix nota fuerant in vulgus antehac; licet & trita paſſim occurrant interſperſa. *Pag. 95 ſeq.* legas *vitam Chriſtiani Junckeri*, qui viam prævivit Noſtro inſtituti ſimilis; *pag. 119* Obſervationem *de Origine novellarum publicarum*, juſtoque hujusmodi foliorum pretio; *pag. 127* Biographiam *Ludovici Jacobi a S. Carolo*, Carmelitæ, *Bibliotheca Pontificia & Pariſienſis*, Libri item *de Bibliothecis orbis univerſi*, conditoris. *Pag. 202* leguntur quædam *de Carolo Patino*, Profeſſore Patavino, veluti & *pag. 209 de Ezechiele Spanhemio.* Sequuntur *pag. 212 de P. Labbeo ὑπομνήματα* quædam, articulique primi ſummam finiunt. Articulo ſecundo delineantur *Diarii Pariſini* fata, ſub Directore Abbate *Gallois*, qui *de Sallo* ſucceſſit, ſimulque ipſius vita ſtrictim traditur; curioſa itidem de plurimis, quæ ipſi cum eruditiſſimis Viris ex hoc labore enatæ ſunt, controverſiis momenta in medium afferuntur. Conſpicias hic rurſus de *Tanaquillo Fabro* nonnulla ad poſteritatis memoriam tranſcripta, ſcitu minime indigna.

Succeſſit Abbati *Gallois* novus, idemque diligentiſſimus *Diarii* Autor, itidem Abbas, *Joannes Paulus de la Roque*, qui hanc telam ab anno inde 1675 ad 1686 texuit; continuatam poſt ad annum 1701 a *Ludovico Couſino*, rei nummariæ perfecto, & ex variis priſcorum Autorum in ſermonem Gallicum converſionibus emendatiſſimis ad hunc diem ſatis celebri. Hoc extremis fatis erepto, novo quodam magisque ſalubri inſtituto *Diarii* elaboratio non amplius unius hominis fuit impoſita, ſed integra coaluit hanc in rem quædam, ſub illuſtris *Bignonii* auſpiciis, eruditiſſimorum in quocunque diſciplinarum genere hominum ſocietas, qui viribus conjunctis non poterant non melius ſufficere Operi exſequendo latiſſimi ambitus. Et hac norma, hisque legibus, adhuc perficitur, communi cum intelligentiorum plauſu. Exſtiterunt inter hos præcipui nominis fama *du Pinius* atque *Fontenellius*; de quibus adeo, veluti & reliquis, nonnulla commemorat *Camuſatus*

ſatus. Concludunt *Tomum* hunc *alterum* Obſervationes miſcellæ *de variis Libellis periodicis Literariis*, ad Annalium Pariſinorum formam hinc inde componi cœptis, qui vero ſinguli ſimilis diuturnitatis celebritatisque fortunam minime ſunt experti, ita, uti hodienum vel de ſimplici titulo vix ſint cogniti illorum plurimi in re literaria noſtri temporis hominibus omnium etiam longe verſatiſſimis. Interim & hæc extemporalis fere ac tralatitia narratio argumento eſſe poteſt incredibilis *Camuſati* induſtriæ, quam utinam amplius ipſi impendere Lectorum uſui ac jucunditati licuiſſet.

PUBLICA ILLUSTRIS ERNESTINÆ RINtelienſium Academiæ Bibliotheca. Accurante JO. NICOLAO FUNCCIO, Marburgenſi.

Rintelii, ſumtibus Bibliothecæ, 1733, 4.
Alph. 3 pl. 6.

Repræſentat hoc Libro Cl. *Funccii* diligentia enumerationem Librorum, quos ſervat inclyta Academia Rintelenſis. Cum variis illa ab origine inde ſua calamitatibus conflictata, ante hos quatuor demum annos, juſſu atque auſpiciis Potentiſſimi Suecorum Regis, Haſſiæque Landgravii Sereniſſimi, *Friderici*, Principis in literas earumque cultores munificentiſſimi, fuit inſtaurata, excuſſoque priſtino ſqualore & pulvere, novum ac decentem habitum induere occœpit. Communia tum Patrum Academicorum ſuffragia Bibliothecarii provinciam detulerunt Doctiſſ. *Funccio*; qui, ſolenni 4 Cal. Dec. anni 1730 habita Oratione *de Bibliotheca in Academia Rintelienſi origine & incrementis*, ſic reſtitutam inauguravit, primumque iterum publicis eruditorum hominum uſibus adaperuit. Præmiſſa hæc Indici iſti, juſto quatuor, quas vulgo appellant, facultatum diſcrimine diſtributo, conſpicitur, ſtilo minime inculto elaborata. Juvat inde ſumma quaſi narrationis capita

Digitized by Google

in gratiam rei Bibliothecariæ ſtudioſorum delibare. Sub ipſa funeſti belli tricennalis initia, anno ſuperioris Seculi viceſimo primo Rintelienſium urbem Muſarum ſedem atque Academiam conſtituerat Holſatiæ Princeps incomparabilis, *Erneſtus*, præter alia inſignia beneficia de Bibliotheca quoque eidem proviſurus munificentiſſime. Sed optime hæc deſtinata Principis mors poſt triennium mature nimis inſecuta, ſæviensque in terris Schaumburgicis belli flamma, miſerabiliter interverterunt. Muſæ tunc exulare ſunt juſſæ, & locum facere Monachis, non niſi demum anno quadrageſimo quarto reverſuræ; quo ipſo tandem aliquando tempore de colligenda per Profeſſorum aliorumque ſtudia amantium liberales ſymbolas Bibliotheca publica ſerio iterum ac tranquille cogitari potuit; quorum hic nomina grata & pia recordatione ſigillatim commemorantur. Læta interim, commodante tutelam *Chriſtina*, Regina Sueciæ, & defendente Rintelium ab ulterioribus hoſtium inſultibus, & accenſa laudabili quadam in ſtudiorum Patronis æmulatione, hæc Bibliotheca ſenſim ſenſimque cepit incrementa; donec, tranquillitate Germano orbi univerſim reſtituta, & ipſa pacis fructibus pleniſſime gauderet, ampliſſimis Virorum quoque Principum Legatorumque ad Weſtphalicum fœdus, quod vocant, pariundum largitionibus recreata, honeſtata, inſtructa, qui iidem nominatim hic celebrantur. Tranſierat tum Comitatus Schaumburgenſis ad Auguſtam domum Haſſiacam; cujus Principes, utriusque ſexus, *Guilielmus* præcipue *VI*, atque *Carolus*, ante aliquot demum annos defunctus, paterno prorſus affectu Academiæ ſalutem complexi, Bibliothecam etiam ſacris donationibus beneficiisque plurimis aliis exornarunt. Qui *Carolo* ſucceſſit hæres, Auguſtiſſimus Suecorum Rex, *Fridericus*, longe omnes deceſſores ſuos munificentia ſuperavit. Primus enim, quod ait Autor, decentem Bibliothecæ locum, primus ipſi, conſtituto Bibliothecario, ſtipendia decrevit. Amplo hinc & diſerto ſermone in tanti Principis laudes excurrit, & in votis pro ipſius incolumitate graviter ac pie nuncupatis deſinit.

DE

Digitized by Google

DE VITA ET SCRIPTIS JOANNIS MOLLERI, Flensburgenſis, Rectoris quondam Scholæ patriæ optime meriti, Commentatio; edita cura BERNARDI & OLAI HENRICI MOLLERORUM, JOANNIS Filiorum.

Altonaviæ, apud Jonam Korte, 1734, 4.
Plag. 10.

Nemo bonus improbabit pietatem *Mollerorum* Fratrum, quam beatis optimi Parentis manibus hac de ipſius Vita ſcriptione, eleganti certe atque curata, demonſtrare inſtituerunt. Meruit profecto non ſterile ſaltem aliquod ac jejunum Elogium *Joannes*, cujusmodi plurimis poſt obitum eruditis deeſſe non ſolet plerumque; ſed plenam & elaboratam fatorum factorumque enarrationem; qui ipſe quondam maximam vitæ ſuæ atque literati otii partem eo impendit, ut præſtantium doctrina præter alios hominum memorias aſſereret ſcriptis uno pluribus immortalitati. De his qui ſæpius in *Actis* noſtris relatum legerunt olim, jam quoque non illibenter, putamus, ipſam *Molleri* imaginem breviori penicillo depictam intuebuntur. Editus fuit in hanc lucem *Joannes* Flensburgi, oppido Ducatus Sleſvicenſis non ignobili, patre *Olao*, verbi divini Miniſtro, matre autem *Chriſtina Brecklingia*, A. 1661 d. 27 Februarii menſis. Literarum tyrocinium poſtquam in Lyceo patrio poſuiſſet, Kilonium, Academiam, vix dum ſedecim annorum adoleſcens, majoris ingenii cultus capiendi ergo adiit, ſummosque ibi viros, *Morhofium*, *Hanemannum*, *Chriſtianum Kortholtum*, & *Chriſtophorum Franckium*, divinæ humanæque ſapientiæ conſultos, ſectatus eſt diligenter. Poſt biennium exactum Lipſiam ſalutavit noſtram, & in familiaritatem *Jacobi Thomaſii*, inclyti illius Polyhiſtoris, admiſſus, ingentes rei literariæ theſauros, quos impenſius deamare jam tum videbatur, ſibi comparavit. Peragrata dehinc

doctrinæ amplificandæ cauſa Saxonia utraque, Hamburgi primum, mox Hafniæ, per aliquod tempus commoratus, utrobique privata puerorum inſtitutione de honeſtis tolerandæ vitæ ſubſidiis ſibi proſpexit, Patronosque ingenii ſolertia & morum venuſtate plurimos conciliavit, qui plus ſimplici vice Sacerdotium aliquod offerrent. Sed renuit ſimile munus conſtanter, quod in literas elegantiores & rem ſcholaſticam animum haberet multo propenſiorem, in iisdemque finire vitam præoptaret ſerio. Damnavit & ipſum voti hujus fortuna; ſiquidem anno jam 1685 infimum, A. 1687 quartum, A. 1699 ſecundum, & poſt biennium primum tandem inter doctores locum, Rectoris appellant, apud Scholam Flensburgenſem obtinuit. Singulari in illa urbe exemplo, neque audito antehac, continuos quadraginta annos iſti inſerviit Lyceo, neque induci potuit unquam, uti lautiores alibi ſpartas, atque inter has *Bibliothecarii* apud *Academiam Oxonienſem*, ſub annuo 400 librarum Sterlingicarum ſtipendio oblatam, ſuſciperet; quemadmodum & locum inter *Societatis Imperialis hiſtoricæ Collegas* a *Jobo Ludolfo* & *Chriſtiano Franciſco Paulino*, ipſius Præſidibus, deſignatum patriæ amore recuſavit. Ceterum laborum concatenatorum tædia ac moleſtias matrimonio, quod nec infauſtum, nec infœcundum, habuit, conſulto mitigavit; vitamque tandem, poſt ſuperatas varias ex ægro ſupremis annis corpore oculisque cœcutientibus ærumnas pie concluſit die 20 Octobr. A. 1725. Mittimus, compendii gratia, quæ de Parentis inſuper moribus, ingenio, amicis, habituque corporis, non indigna lectu alias proferunt in medium doctiſſimi juvenes, &, quæ de ſcriptis Viri porro tradunt editis, ineditis, affectisve, paucis tantum adhuc delibamus. Inter edita *Mollori* habentur: 1) *Prodromus Cimbriæ literatæ*; Sleſuici, A. 1687, 4. 2) *Iſagoge ad Hiſtoriam Cherſoneſi Cimbricæ Geographicam, Naturalem, Antiquariam, Civilem, Genealogicam, Eccleſiaſticam, & Literariam; Pars prima*, Hamburgi, A. 1691, *Pars ſecunda & tertia* A. 1692, 8, (vid. hæc *Acta A. 1692 pag. 94 ſeq.*) 3) *Homonymoſcopia Hiſtorico-Philologico-Critica, ſive Schediaſma παρεργικὸν de Scriptoribus Homonymis*, Hamburgi, A. 1697, 8,

(vid.

(vid. hæc *Acta A. 1698 pag. 120 ſeq.*) 4) *Bibliotheca Septentrionis eruditi*, Hamburgi, A. 1699, 8, (vid. hæc *Acta A. 1699 pag. 204.*) 5) *Diatribe de Helmoldo Presbytero*, Hiſtorico Seculi XII inedito, Lubecæ, A. 1702, 4, (vid. hæc *Acta A. 1703 pag. 137.*) 6) *D. G. Morhofii Polyhiſtor, cum Præfatione & Hypomnematis Molleri*, Lubecæ, A. 1702 & 1714, 4, (vid. hæc *Acta A. 1708 pag. 392 ſeq.*) 7) *Minutiora quædam, variis Diariis eruditorum inſerta*, quibus enumerandis nolumus detineri. Ex ineditis jam tum, ſed edendis cum tempore, primum locum meretur vaſtum & elaboratiſſimum *Cimbriæ literatæ* Opus, cujus rationes & pretium hic fuſe deſcribuntur, quibus cognitis haud facile fuerit aliquis, qui non ingenti illius videndi deſiderio teneatur, fauſtamque edituris filiis Lucinam comprecetur.

NOVA LITERARIA.

Venetiis *Franciſcus Piterus*, hujus loci Bibliopola non ignobilis, cujus curas noviſſimam Operum *Irenæi* editionem ferimus in acceptis, jam in eo eſt, ut ſimili typo & nitore omnia, quotquot ſuperſunt, *Photii* Scripta, aliquot Voluminibus collecta, quam proxime publico offerre poſſit. Præeſt huic editioni *Antonius Catiforus*, natione Græcus, Vir in linguis, humanioribus literis, & Theologia, bene verſatus, qui, jactis Romæ in Collegio Græcorum Philoſophiæ fundamentis, privata Patrum, Theologorum, optimorumque cujusvis generis Librorum, lectione eo usque eniſus eſt, ut aliquot annos Sazinthi, Cephaloniæ, & Corcyræ, Sacerdotii munere fungi; hinc, irruentibus Turcarum cohortibus, ad Venetum Gymnaſii Flaginiani Rectoratum confugere; Sazinthi iterum rebus compoſitis ex Moſcovitico itinere & Belgico naufragio per Galliam & Germaniam redux, quinquennalis autoritatis Archi-Presbyterum, & Archi-Epiſcopi Vicarium, agere; tandem Venetiis in vita privata & honeſta literis & libris operam navare, hactenus potuerit. Prodibunt hujus Viri ſtudio primum *Photii Myrobiblon, Epiſtolæ*, & *Nomocanon*, Opera jam translata & edita, ſed, quæ polirentur, dudum deſiderata. *Mirobibli* verſionem novam quatuor & decem menſium

ſuum labore abſolvit laudatus *Catiforus*, priusquam ab *Andrea Schotto* vulgatam vidit. Contulit vero & hanc, miratus *Schotti* in mille locis ſeu incuriam, ſeu verſutiem. Jungetur Græco textui utraque interpretatio, ut attentionis integritatisque facilitetur judicium. Excipient & aliorum obſervata Editores gratiſſimi, ſi, qui hactenus in *Photio* emendando deſudarunt eruditi, ſua ſymbola cum ipſis benevole communicare non detrectaverint. Ex ineditis *Photii* laboribus comparebunt 1) *Amphilochia*, ſeu 313 Quæſtiones ſuper difficilia Scripturæ loca & Theologiæ & Philoſophiæ capita, quarum illæ, exegetica & morali methodo enodatæ, lectionis operam ſua utilitate compenſant. Citantur paſſim veterum Græcorum loca, tantum veritati conſona, quantum ſunt receptis opinionibus adverſa. In verſione horum Amphilochiorum, quam fere ad umbilicum perduxit *Catiforus*, loca Vulgatæ verſionis a LXX recedentia ſolicite annotat. Accedent 2) Sermones de proceſſione Spiritus Sancti contra Latinos; 3) quatuor Sermones de novo germine Manichæorum, ſive de Paulitianis; 4) alia minoris molis Opuſcula, quæ, cum prioribus ex Bibliotheca Vaticana ſolicite tranſſcripta, jam induſtriam exercent interpretis. Spes eſt, & Lexicon *Photii* ex Anglia iri ſuppeditatum. Quamprimum Opera ſingula prelo parata fuerint, publico Programmate inſtituti certiores faciet, & ad hujusce prænumerandæ pecuniæ conditiones invitabit eruditos Bibliopola *Piterus*. Edidit anno elapſo laudatus *Catiforus* hic Venetiis per Bibliopolam *Antonium Bartoli* Grammaticam Græcam unius Alphabeti, in octavo, cui titulus: ΑΝΤΩΝΙΟΥ ΚΑΤΗΦΟΡΟΥ *τȣ̃ χρηματίσαντος Ἀρχιπρεσβυτέρȣ Ζακύνθȣ, γραμματικὴ ἑλληνικὴ ἀναδοθεῖσα περιέχȣσα τῶν ὀκτὼ τȣ̃ λόγȣ μερῶν τὸν σχηματισμὸν καὶ τὴν σύνταξιν ἔτι δὲ καὶ τὴν ποιητικὴν μέθοδον*, quam tyronibus ſuæ nationis & informationis maxime propter Syntaxin judicavit fuiſſe neceſſariam. *Doſithei de Patriarchis Hieroſolymitanis*, quo Libro multa de Christianiſmo inter Arabes & Turcas tanguntur, *verſionem* accuratam daret, ſi quis exterorum Bibliopolarum operam compenſare, & typum quovis alio loco procurare vellet.

✱) o (✱

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCXXXV.

SCRIPTORES REI RUSTICÆ VETERES *Latini*, **CATO, VARRO, COLUMELLA, PALLADIUS**, *quibus nunc accedit* **GARGILII MARTIALIS** *Fragmentum, & VEGETIUS de Mulo-Medicina, cum Editionibus prope omnibus & MStis pluribus collati; adjectæ Notæ Virorum Clariſſimorum integræ, tum editæ, tum ineditæ, & Lexicon Rei Rusticæ, curante* **JOANNE MATTHIA GESNERO.**

Tomi II.

Lipſiæ, ſumtibus Caſpari Fritſch, 1735, 4 maj.
Alph. 8 pl. 10, cum Tabb. æn. 5.

Quod diu multorum votis expetitum fuerat, quod expectabatur a Viris Clariſſimis, *Joſ. Wiſſe*, *Petro Needhamo*, *Jo. Conr. Schwartzio*, & *Chriſtiano Schœttgenio*, illud tandem aliquando factum læti nuntiamus, & ita factum, ut mora iſta non incommoda hiſce libris fuiſſe videatur. Dantur hic Scriptores, quorum modo laudavimus nomina, eo cultu, quo Latinum veterem in Germania Scriptorem nullum adhuc editum vidimus, qui par & ſimilis eſt illi, quo in *Delphini* uſum exornati ſunt plerique, præter noſtros, libri Latinorum hominum

num antiqui. Textus, quem vocant, in capita illa antiqua, hæc autem minoribus ſectionibus diviſus, ut verba & ſententiæ tum in Indice, tum alias, longe laudari commodius potuerint, & in poſterum poſſint. Varietas lectionis ex MStis pariter atque editis prope omnibus ſtudioſe collecta, quæ a reliquo Annotationum aliarum corpore (præterquam in *Vegetio*) ſeparata eſt, facile conſpectui ſtudioſorum ſubjicitur, omitti facile poteſt ab his, qui eo genere non delectantur. Annotationes Virorum doctorum hic habentur, non eæ modo omnes, quæ in vulgus editæ unquam ſunt, de quibus e *Fabriciana* Bibliotheca ſatis conſtat, & quæ ex Face Gruteriana ſimilibusque Scriptoribus, Cl. *Schœttgenii* præſertim induſtria, huc collectæ, ſed longe plures, planè antehac ineditæ, adeo, ut nunc perpetuis prope Commentariis illuſtrati ſint Scriptores, qui vel propter raritatem, cum Seculo integro & quadraginta inſuper annis editi non ſint, vel propter difficultatem, paucos ſatis Lectores invenerant, qui tamen merentur ab omnibus cognoſci, qui vel rerum antiquarum, vel verborum Latinorum, quin prudentiæ etiam adminiſtrandæ rei familiaris, ſtudioſi ſunt. Sed juvat propius paulo accedere ad memorabile Opus, & partes etiam ſingulas paulo accuratius inſpicere. Præfatio bene longa, & juſtæ Diſſertationis modum implens, quæ ſingulorum Rei Ruſticæ Scriptorum fata fuerint, exponit, tum, quam juncti quatuor priores experti ſint fortunam, declarat. De *Catone* iſta juvat excerpere. *Catoniana* eſſe, quæ ſub hoc nomine leguntur, putat pleraque omnia. Sed libellum talem, qualis nunc eſt, a *Catone* perfectum negat, his uſus argumentis. Autore *Servio* ad *Ge. II,* [illegible] *Cato ſcripſit libros de agricultura ad filium.* At hic vix liber eſt, &, quod fortius, nullum ſupereſt veſtigium, ad filium eſſe ſcriptum, qualia in *Ciceronis* v. g. Officiis plura exſtant. Si *Cato* fuit talis, qualem pingit *Cicero* de *Sen. Cap.* [illegible], diſertius oportet illum uberiusque longe, quam hic ſcriptum eſt, de vitis & agrorum cultura egiſſe, atque librum ſuum non minus, quam a *Varrone* & *Columella* factitatum eſt, digreſſionibus quibusdam atque deſcriptionibus reddidiſſe uberiorem. *Plinius XIX, 8, 42*, noviſſimum libri *Catonis* eſſe ait de aſparagis,

Digitized by Google

ragis; at in noſtris libris ſequitur adhuc de pernis ſaliendis, &, quod ex veteri ſchemmate colligitur, ſequebatur de offis Puteolanis. Firmiſſimum eſt illud, quod ſunt apud *Columellam II, 2, 20*, (coll. *Plin. XVIII, 6, 8*) *II, 17, 2*, *III, 2, 31* & *XII, 50, 19*, e *Catone* laudata, quæ in noſtro *Catone* fruſtra requiras. Ecquis vero putet, ſanum fuiſſe ſapienti viro, ſi ipſe piſtoriis operibus immiſcuit *Cap. 89* votum pro bubus, aut inter vini conditurus poſuit *Cap. 124* præceptum de canibus interdiu clauſis. Suſpicatur etiam Cl. *Geſnerus*, eſſe hic, quæ non ſint *Catonis*, inprimis ex *Plin. XVII, 14, 24*, coll. *Cato. Cap. 41*. Deinde obſervat, *Auſonium Popmam* multas *Turnebi* explicationes in ſuas Notas tacito Autoris nomine tranſtuliſſe, qua illiberali conſuetudine in *Varrone* multo ſæpius uſum, poſtea commemorat. In *Varrone* notat methodum exquiſitiorem, diviſionibus variis mentem, eruditum atque abſtruſius dicendi genus, & polymathiam Autoris, Græcam præſertim literaturam, ubique reſpiciens, itemque Etymologiæ ſtudium, e quo Autorem Librorum de lingua Latina facile agnoſcas: proverbiis, antiquitatis, legum, hiſtoriarum, fabularum, commemoratione, metaphoris denique, omnia, quaſi gemmis quibusdam, diſtincta, quarum rerum exempla dives manu Index ſuppeditat. Etiam hunc non uſquequaque integrum ad nos perveniſſe, ex *Plin. XVIII, 29, 30*, & *Nonio VII, 82*, ut a *Lipſio Merceroque* emendatum eſt, ſuſpicatur, prædicat deinde illius felicitatem, quod *Scaligerum*, *Poſſidorum*, & *Victorianarum* lectionum explicatorem, nactus eſt. Hujus viri Notæ pleniores hic, collatis diverſis earum editionibus, exhibentur, reſtitutis etiam iis verbis ad *I, 2, 10*, ex prima editione, quibus *Mureti* verſiculos *Trabeæ* ſuppoſitos atque *Accio* laudaverat imprudentius. De *Columella* inprimis accurate agit Cl. Autor, quod ille, quantus quantus eſt, ruſticus eſt, cum ſuperiores duo, propter aliorum Operum, quæ ſuperſunt, fragmenta, ad aliorum etiam curam pertineant. Loquaciorem huic videri *Plinium*, obſervat, & male eum pungi a *Palladio*; copiam illius & admirabilem orationis ubertatem laudat, qui, ut uno maximo exemplo utamur, (ſunt autem a Cl. *Geſnero* prolata plura,) rem unam eandemque, ger-

 mina-

minationem nempe plantarum, e ſtirpe ſua vel ſemine prodeuntium, quadraginta fere diverſis formulis, elegantibus univerſis, & rem commode admodum ſignantibus, explicaverit, ipſamque naturæ matris varietatem æmulatus ſit. Juvat breviter hic illud commemorare, de quo & hic, & in principio Libri de arboribus, accurate actum eſt. Primo quatuor Libris totam rei ruſticæ diſciplinam complexus videtur *Columella*: quorum deinde uberem ſequacemque materiam ita amplificavit atque diduxit, ut decem exiſterent repetitæ prælectionis Libri. Cumque non referret, forte nec fieri facile poſſet, ut priores illi abolerentur; hinc factum, ut non tantum decem Libros laudaverit *Caſſiodorus Div. Lect. Cap. 28.* ſed plane effugerit interitum laudatus nobis Liber de arboribus: quem in reliquo corpore, in quo tertium aliquamdiu locum occupaverat, non annumerandum, primus *Aldo* indicaverat *Jucundus Veronenſis*: quidam plane *Columellæ* abjudicaverunt: quomodo partes ſingulæ tum primæ editionis, tum alterius, & ſententiis & verbis conveniant, ſigillatim Cl. *Geſnerus* oſtendit, qui hoc etiam obſervat, delituiſſe videri aliquamdiu *Columellam*, *Palladio*, qui & commodior ob diviſiones, & labenti in barbariem ſermonis uſu facilior videretur, luminibus illius officiente. Certe Petr. *Creſcentius*, qui reliquis frequenter utitur, nullam hujus mentionem injicit. Qui Codices MSti exſtent, qui illis uſi, quid Viri docti de *Columella* promiſerint, quid eorum ſperari adhuc poſſit, ita deinde exponitur, ut Cel. *Fabricii* obſervationes paſſim vel augeantur, vel emendentur. *Æquum eſt enim, ut* ipſis Cl. *Geſneri* verbis utamur, *omnes, qui magna ſua commoditate utuntur quotidie* Fabricianis *Theſauris, non tantum æquo animo ferre, ſi is non viderit omnia, ſed etiam pro virili unumquemque nummos aliquot in divitem gazam conferre. Nos quidem,* pergit, *hac Præfatione tale quid conamur, non autem, quod emendari poſſunt quædam in libris præſtantiſſimis, Viro multis nominibus amabili exprobrare.* Per occaſionem Hortuli, ſive Libri X. *Columellæ*, de *Julio Pomponio Fortunato*, qui idem *Sabinus* alias vocatur, quædam non injucunda cognitu referuntur. *Palladium* eundem eſſe, qui a *Rutilio* altero

altero *Itiner. I, 208*, commemoratur, *Barthii* non improbabilis conjectura Cl. *Geſnero* videtur. Neapolitanum Territorium, cujus mentionem ipſe facit *Martio X, 16*, a Sardiniæ Neapoli dictum ita, certum illi videtur, ut erroris convinci queant ſecus ſentientes. *P. Vegetii* artis veterinariæ, ſive mulo-medicinæ, Libri IV nunc primum Ruſticæ Rei Scriptoribus adjecti ſunt, tum quod ſatis multa in his ſunt ad verbum ſumta e *Columella*, ut adeo mutuam ſibi interdum opem præſtent, tum quod dimittere noluit Cl. *Geſnerus* occaſionem juvandi hujus Scriptoris, ab Amicis duobus ſibi oblatam. Nimirum miſerat ad ipſum Cel. *Fabricius* non *Geoponica* modo, cum Codicibus MStis collata olim a *Marqu. Gudio*, (quibus illum uſum ſemel iterumque in Notis apparet,) ſed etiam *Vegetii* primam editionem, cum Corbejenſi libro accurate compoſitam: Cl. *Kramayerus* autem, in Jenenſi Academia bonarum literarum Profeſſor, nuper fato functus, ejusdem editionis exemplum, quod cum altera Sambuci editione ſcrupuloſa diligentia contenderat, Cl. *Geſnero* donaverat. Voluit ille communem eſſe Mercurium, & lectionibus præſertim Corbejenſibus, accedente ἀγχινοίᾳ quadam, cum ipſius, tum etiam Celeberrimi, quem laudat, *Plathneri* noſtri, ita uſus eſt, ut in corruptiſſimo ad hunc diem Opere, & monſtris lectionum abſurdarum ſcatente, pauciſſima ſuperſint, quæ emendatione vel explicatione indigeant. Ceterum, male cohærere hujus Operis compagem, & non ſola *Vegetii*, ſed aliorum etiam, præcepta negligenter interdum confuſa hic dari, ſatis probabili argumentatione oſtenditur. *Gargilii Martialis* breve Fragmentum, quod e Corbejenſi Codice hic datur, de cura boum, nec ipſum ab Autore ſuo his verbis, quibus nunc conſtat, conſcriptum eſſe, judicat Cl. *Geſnerus*, cum illud ne *Caſſiodoro* quidem, qui elegantiam *Gargilii* laudat, pulchrum videri potuerit. Ceterum inter Præfationes, quæ hic exhibentur, editionum loco XVI collocatur Cl. *Schœttgenii* de *Gargilio Martiale* Diſſertatiuncula. Poſt hoſce Rei Ruſticæ Scriptores antiquos, agit Cl. *Geſnerus* etiam de medii ævi homine *Petro Creſcentio* hac de cauſa, quod ille multa, *Varronis* præſertim & *Palladii*, in ſuum Opus commodorum ruralium,

circa confinia Seculi XIII & XIV editum, tranſtulit, iisque ipſis locis emendandis occaſionem præbuit, cum uſus ſit libris multum ſane antiquioribus, quam qui hodie ſuperſunt. Uſus eſt ad eam collationem Cl. *Geſnerus* editione antiquiſſima Lovanienſi tanto lubentius, quod ea nondum criticam manum paſſa, hoc eſt, ad Rerum Ruſticarum Scriptores exacta, videatur. *Catonem, Varronem, Columellam, Palladium*, conjunctos primum edidit *Nic. Jenſonius* A.1472. Quid in hac editione, quid in his, quæ eam ſecutæ ſunt, præſtitum ſit, Autor enarrat; pluſcula præſertim de *Victorio*, quibusque ille tum MStis, tum impreſſis libris, uſus ſit. Gaudebunt ſtudioſi, copiam ſibi in hac editione fieri non *Victorianarum* modo Caſtigationum explicationis, bis tantum, quod ſciatur, Seculo XVI editæ, & vix centeſimo cuique oculis uſurpatæ, ſed Notarum etiam *Fulvii Urſini* atque *Petri Ciacconi*, ex libro in ipſa quoque Italia ita raro, ut tum *J. B. Morgagnus*, tum *Julius Pontedera*, gratiſſimi licet per totam patriam ſuam Viri, diu illo atque invito caruerint. Quin illud inprimis gaudebunt, eorum ipſorum, quos honoris cauſa iterum nominamus, doctiſſimorum hominum curis tantum decoris huic editioni acceſſiſſe, ut vel eo nomine, ſi nihil aliud haberet, gratiſſimo ſe munere affectos eruditi homines judicaturi eſſe videantur. *Julii Pontederæ* Animadverſiones copioſæ in omnes præter *Vegetium* Scriptores hic dantur, non priores modo, quos ante hos aliquot annos jam miſerat, ſed his quaſi ſuccenturiatæ poſteriores, quarum bona pars, quod profligato jam opere veniſſet, in Appendicem conjicienda fuit. *J. B. Morgagni* autem Epiſtolæ quatuor, iis ſimillimæ, quibus *Celſum* illuſtravit, minime pœnitenda ſunt editionis hujus acceſſio. Acceperat præterea ab Illuſtri, dum viveret, *Cupero* Obſervationes in *Varronem* aliquammultas Cl. *Schurtzgenius*, invenit in Vinarienſi Bibliotheca Cl. *Geſnerus* *Buchneri* haud paucas in *Columellæ* Hortulum præſertim; & *Schurzfleiſchii* aliquot Annotationes, aliquot item *Almeloveenianas* ab Ill. *Uffenbachio* accepit: ipſe vero, quicquid difficultatis aliquid habere videretur, a ſuperioribus nondum explicatum, in quibus etiam ingenioſa Cl. *Schættgenii* diligentia

com-

commemoranda eſt, illud vel declaravit, vel certe, ubi aqua ſibi hæreret, ingenue indicavit, perfecitque, ut jam pro perpetuis Commentariis eſſe poſſint junctæ omnium Annotationes. Denique Index adjectus eſt Cl. *Geſneri* opera, qui Lexici Ruſtici nomen tueri ſuo jure poſſe videtur, ita copioſus eſt, (plaguli quippe conſtat 50.) & ita diſtinguit ſignificationes vocum, multasque copioſe vel ſuis, vel aliorum verbis explicat, ita tamen, ut, quæ ad *Fabrianum* Theſaurum vel ab ipſo, vel ab aliis, dicta ſunt, non temere repetat. Vel ſolus hic Index Commentarii vicem præſtare poteſt, & hoc præſertim, ne ob vocem aliquam parum, quod ruſticorum propria eſt, intellectam ad emendandum aliquis, hoc eſt, corrumpenda, quæ ſana ſunt, feſtinet. In hunc Indicem conjectæ etiam ſunt aliquammultæ *Beroaldi*, *Popmæ*, *Meurſii*, Explicationes, in Notis alias collocatæ, quod non tam ad unius certi alicujus loci explicationem, quam ad intellectum vocis, ſæpius occurrentis, pertinerent. Eſt hic ſatis longa diſputatio ſub *ſolea* de eo, an veteres ſoleas ferreas clavis ſuppingere, & affigere equorum pedibus, ſoliti ſint. Negat Cl. *Geſnerus*, & plura veterum loca aliter, atque factum erat ab ipſo *Salmaſio*, interpretatur. *Carnarium* non cellam fuiſſe aut conclavis genus, ſed inſtrumentum mobile, quod in alto ipſum ſuſpendi poſſet, & ex eo deinde carnes aliaque, ex *Plauti*, *Petronii*que locis oſtenditur. Præter hunc eſt etiam Autorum Index, quibus utuntur ruſtici, & alius brevis quorundam locorum, quæ obiter in Notis vel emendata ſunt, vel explicata. Sed retro quaſi eundum eſt, & ſpecimina quædam Annotationum Emendationumque afferenda. Ad *Catonem* non ita multa notaverat Cl. *Pontedera*, ſed poſterioribus Notis tanto plura habet, de orthographia præſertim vetere, de corruptis per lemmata ſive ſummaria Autoris verbis, qua de re etiam eſt bene longa Cl. *Geſneri* diſputatio Præfationi intexta. Idem Cl. Vir ad *Cato. XX, 1, ſpicas ulpici* recte tuetur autoritatibus aliis adverſus *Salmaſium*, qui *ſticas* ſubſtitui volebat. *Cato XI, 2, cola* poſtulat, *qui flocem demant*: hic *flocem* reſtitui volebat *Meurſius*. Sed Cl. *Geſnerus*, qui ad *Fabrum* jam obſervabat, *florem vini* etiam eſſe ſpumam vino innatantem, ſervat *Catoni* ſuam

Digitized by Google

ſuam vocem, & pluribus ex *Plinio* confirmat: ibidem *urnas Sparteas* ita declarat, ut ſimul *corbes*, per quos menſuram ſuadet certo caſu faciendam *Ulpianus*, tum *naves vimineas* Cæſaris pice omnes firmatas doceat, ut futiles eſſe deſinerent, & humorem fideliter vel continerent, prout opus eſſet, vel arcerent. Ad *Cap. 141. ſolitaurilium* vel *ſollitaurilium* vocem ex corrupta vel obſcura certe vocis *ſuovetaurilium* ſcriptura excogitatam eſſe putat Cl. *Schœttgenius*. Eodem Capite vulgo legitur *nominare vetat Martem, neque agnum, vitulumque.* Hic primo pro *vetat vetant* legi vult Cl. *Geſnerus*: deinde, cum *Mars* diſerte appelletur, in formula, quæ ſtatim ſequitur, pro *Martem* ſuſpicatur legi debere *partem*, intellige ſacrificii, porcum, vitulum, agnum. In ipſo ſacrificio fas non eſt nominare *partem* aliquam, ſed ſemper totius nomine, nempe *ſuovitaurilium*, inſignitur *porcus, agnus, vitulus.* Poſſe etiam *porcum* legi adjicit pro *partem*; ſed hoc præfert, cum facilius in *Martem* ab excipiente mutari potuerit. Sed quid ſi ab initio *porcum* ſcribentis vitio in *partem* tranſiit: *partem* deinde in *Martem* aliquis mutavit? Certe melius convenit cum *agno & vitulo* etiam *porcum* nominari. Ad *Varr. II, 1, 24, epulæ oves* docentur dici epulis deſtinatæ. Fuit adjectivum nomen, ut *epulum convivium, epulæ dapes.* Difficillima adhuc fuit deſcriptio ornithonis *Varroniani III, 5, 9 ſeq.* & varie a variis tentata. Præſtitit hic Cl. Autor, quod in hiſce *Actis A. 1731 Menſ. Mart. pag. 111 ſeq.* promiſerat, & ita explicavit omnia delineationibus etiam adjectis, ut nihil admodum deſideraturi videantur ſtudioſi. Similem operam viticulturæ, a *Columella* deſcriptæ, præſtitit Cl. *Pontedera*, qui partes omnes atque poſitiones vitium ex mente illius non deſcripſerit modo, ſed imaginibus etiam accuratius expreſſerit. *Falces verriculatas Col. II, 21, 3*, nemo, credimus, intellexit: oſtendit Cl. *Geſnerus*, eſſe *vericulatas*, hoc eſt, *vericula*, vel haſtili pro breviore manubrio munitas. De *veruacto* & *veruagendo* multa diſputantur in Indice. *Lib. XI, 1, 16*, ubi negari jubetur operario *meretricandi* poteſtas, a bono fratre id profectum narrat: qui melius intelligeret, quid eſſet *meretricari*, quam quid *tricari*, quod verbum ſervant quidam MSti.

Sunt

Sunt inprimis in *Columella* plurima ex libris & ex ingenio emendata. Sed non licet nobis longioribus eſſe. Itaque hoc modo monemus, non tantum hic operam datam, ut religioſe omnia ex veteribus libris emendata proponerentur: conjecturas etiam liquidiſſimas non temere in contextum receptas: & ſi qua id factum ſit, certe nunquam non admonitum ea de re Lectorem. Ad loca autem obſcuriora explicanda parallelismum, quem vocant, fidiſſimum interpretationis omnis adjumentum, rerum ipſarum & naturæ adeo cognitionem, pulveremque illum eruditum eſſe adhibitum, quæ res in menſuris agrorum, in machinis quibusdam deſcribendis, opportune admodum his libris cecidit. Unum ex Phyſicis ſpeciminis cauſa afferemus. *Cuneum* ſæpe jubet *Palladius* adigi arboribus ſterilibus. Hac de re *Januar. XV, 3*, *Si hoc totum*, inquit, *non ſit ſuperſtitioſum, & ad commentitium aliquem initum pertineat, quo fœcundetur tanquam a mari arbores: videtur rationem non habere, ut, effectis in fibrarum & canaliculorum faſce per cuneum adactum anguſtiis, tanto concitatiore motu feratur commeans per omnia cum humore ſpiritus, eumque deinde motum, poſt eluctatas anguſtias in liberiora ſpatia delatus, aliquantum continuet, ea fere ratione, qua fumum felicius educunt camini in medio anguſtiores, & conis aut pyramidibus truncatis, atque illa ipſa parte, qua truncati ſunt, ſibi impoſitis, ſimiles. Sed plura hujus generis ipſa natura in ipſis quoque plantarum animantiumque corporibus machinata eſt, quæ perſequi nobis jucundum, ſed, haud ſcio, an huic noſtro labori ſatis accommodatum, fuerit.* Simile quid nobis in recenſendo hoc Opere uſu venit. Nondum diximus de *Morgagni* Epiſtolis, nondum de aliis ornamentis. Scilicet præſtat ad ipſum Opus ablegare Lectores, quorum φιλοκαλία etiam delectabitur in typorum chartæque nitore, in diſpoſitionis & proportionis elegantia, in qua *Caſparis Fritſchii* ingenio ſubſervivit commodiſſime Typographi artis ſuæ peritiſſimi, *Breitkopfii*, diligentia; in elegantiſſima Tabula, quæ frontem libri ornat, & ultimum fuit *Piccarto* mortalium, quin immortalium, operum, cujus importuna mors interceſſit, quo minus reliqua ornamen-

ta, quorum ſpes in Programmate, his ipſis *Actis Menſ. Jul. A. 1732 pag. 295* inſerto, facta fuerat, perficerentur. Sed æqui emtores eo tolerabiliorem illam jacturam putabunt, cum hic præſtentur pluſcula, de quibus nulla in eo Programmate mentio facta eſt: curæ præſertim ſecundæ Cl. *Pontedera*, quas multis nummorum, alias exſtantium, iconibus facile, qui guſtum habent talium rerum, præferent. Unum adjicimus. Cum major ſit hæc editio, quam ut commode circumferri poſſit, & carior, quam ferant ſtudioſorum quorundam anguſtiæ, in eo eſſe Cl. *Geſnerum*, ut minorem quoque editionem paret, in qua pura atque omni alio choragio nuda Scriptorum verba dabuntur, emendatiſſima, quantum poteſt, adjuncta illa tantum lectionis varietate, quæ momentum aliquod ad ipſam ſententiam habere poteſt, & Indice paulum contractiore. Magis feſtinaſſet, niſi ſperaret, fieri poſſe, ut per hujus ipſius editionis occaſionem loca quædam a ſuis Amicis atque aliis Viris doctis emendentur atque illuſtrentur; quorum ingeniis atque induſtriæ nil decrevit. Interim omnia ita parata atque inſtructa noviſſe, ut, nulla deinde intercedente mora, ſatisfieri utriusque generis ſtudioſis poſſit.

SAPPHUS, POETRIÆ LESBIÆ, FRAGMENTA & Elogia, quotquot in Autoribus antiquis Græcis & Latinis reperiuntur, cum Virorum doctorum Notis integris; cura & ſtudio JO. CHRISTIANI WOLFII, in Gymnaſio Hamburgenſi Profeſſoris Publici, qui Vitam SAPPHONIS & Indices adjecit.

Hamburgi, apud Abrahamum van den Hœck, 1733. 4 maj.

Alph. 1 pl. 16.

Utilem non minus, quam gratam Græcarum Veterum cultoribus, operam ſuſcepiſſe cenſendus eſt Vir Cl. *Jo. Chriſtianus Wolfius*, quod inſtituit Carmina novem illuſtrium Fœmina-

minarum & Lyricorum, quæ ex Bibliotheca *Fulvii Urſini*, Antwerpienſis, & ex officina *Chriſtoph. Plantini*, A. 1568 ordinis octavi forma prodierunt, non ſolum typis iterum ſubjicere, ſed & multo auctiora, & variis eruditorum Virorum Annotationibus ornatiora, denuo evulgare. Nam, quam rara inventu & difficilis comparatu adhuc fuerit laudata *Urſini* editio horum Carminum, cum multa alia, tum inprimis immenſum illud pretium ſatis ſuperque demonſtravit hactenus, quo hunc Librum Philologiæ ſtudioſiores, vel in auctionibus publicis, vel in tabernis forte obvium, emere non dubitarunt. Itaque, licet vel ſola *Urſiniana* editionis raritas ad gratias maximas Cl. Editori pro nova hac Editione habendas poſſit obſtringere Græcarum literarum ſtudioſos, tamen cauſæ aliæ accedunt multo graviores, quamobrem longe plurimum ſe debere Doctiſſ. *Wolfio* orbis eruditus neceſſe habeat profiteri. Nam, ſi ex hac *Parte prima*, tanquam ex unguibus leonem, judicare licet, typis quidem iterum exſcripta comparebit Carminum horum Editio ab *Urſino* procurata, ſed vel Fragmentis Græcis, vel Interpretum Obſervationibus, ita adaucta, ita ornata, ut palmam illi præripiat longiſſime. Quamobrem, ſicut id ſibi inprimis negotii datum credidit Cl. Editor, ut *Fulvii Urſini* Sapphica emendatius excuſa ſequeretur potiſſimum, (nam, nonnunquam quoque hac in Parte diſceſſiſſe, vel *pag. 68.* argumento eſſe poteſt,) ſic ea, quæ in *Urſiniana* Collectione tantum reperiuntur, ſtellula notavit, ut ab iis, quæ in hac *Sapphus* editione acceſſerunt, diſtinguerentur. Ipſis Græcis verbis, præter Latinam interpretationem, e regione ſingulis paginis poſitam, ſubjiciuntur Virorum doctiſſimorum Annotationes ex variis Scriptorum editionibus, quibus vel Fragmenta *Sapphus*, vel Elogia, continentur, ſummo ſtudio ac diligentia collecta. Itaque hic inveniuntur præter *Urſini*, *Voſſii*, *Caſauboni*, *Porti*que, Obſervationes, recentiorum his quoque, *Hudſoni*, *Baxteri*, *Schurzfleiſchii*, *Pearcii*, *Boivini*, *Tollii*, *Pauw*, aliorumque, Interpretationes integræ, quibus verba *Sapphus* emendantur non magis, quam exponuntur. Ipſe Cl. Editor ad ſingula Fragmenta accurate indicavit ſub initium ſtatim Annotationum, ubi illa tam in Autoribus an-

tiquis, quam recentioribus, occurrant ſimiliter. Inprimis autem ſplendorem novæ huic Carminum *Sapphus* Editioni conciliant Emendationes & Illuſtrationes vocum *Sapphicarum* obſcuriorum, a Viro Per-Ill. *Georgio Alberto a Steinheilio* concinnatæ. Cum enim Doctiſſ. Editor ad *Jo. Fridericum ab Uffenbach* Indicem Autorum veterum, qui vel Fragmenta vel Elogia *Sapphus* haberent, miſiſſet, & ab eo petiiſſet, ut Per-Ill. *Steinheilium* de hoc Indice ſupplendo obteſtaretur, hic quidem petitis ita ſatisfecit, ut voces *Sapphicas* obſcuriores innumeris pæne aliorum Autorum locis, atque Epigrammatibus adhuc ineditis, ex Codice *Uffenbachiano* olim deſcriptis, illuſtraret, corruptasque conjecturis emendaret. Atque hæ quidem Viri Generoſiſſimi Obſervationes, lectionis & eruditionis pleniſſimæ, maximam partem Annotationum Fragmentis ſubjectarum conſtituunt. Præterea Cl. *Wolfio* ad manus fuit exemplum editionis *Urſinianæ* a Cel. *Maturino Veyſſiere la Croze* transmiſſum, in quo non ſolum Notæ & Acceſſiones *Andr. Schotti* & *Pauli Colomeſii* ad iſta Carmina, ſed etiam Excerpta ex Grammatica MSta *Apollonii Dyſcoli*, a laudato Viro ex apographo *Spanhemiano* minus accurato olim deſcripta, nec non varia Epigrammata Poetriarum, quæ in *Urſini* editione deſiderantur, exſtant. Denique eidem Cl. *Phil. Jac. Dorvillius* accuratas Emendationes duorum Epigrammatum *Sapphus*, & Epigramma adhuc ineditum, ad res hujus Poetriæ pertinens, ſua cura correctum, miſit, quæ omnia huic Editioni nunc primum acceſſere. Ipſe vero Cl. Editor non ſolum Vitam *Sapphonis*, quæ potiſſimum ex Annotationibus doctiſſimorum Virorum in hanc Poetriam, in hac ipſa Editione obviis, elegantiſſime & copioſiſſime confecta eſt, præmiſit, verum etiam tres Indices ſubjecit, quorum primus Autorum locos continet, in hac Editione adductos, alter complectitur voces cum ipſius *Sapphonis*, tum in Annotationibus expoſitas, *tertius* denique res exhibet & locutiones Latinas notabiliores. Ceterum tanta accuratione tantoque ſtudio hæc prima Pars *Urſinianæ* editionis in lucem publicam emiſſa eſt a Cl. Editore, ut omnes, qui literaturæ Græcæ

Digitized by Google

ex bene cupiunt, eidem & vires & otium nobiſcum ſint apprecaturi ad reliquas, quas jam inſtitutas habet, Partes eodem apparatu primo quoque tempore publicandas.

SYNOPSIS TOMI SECUNDI DE ACTIS Sanctorum Menſis Auguſti, collectis, digeſtis ac illuſtratis, a JOANNE BAPTISTA SOLLERIO, JOANNE PINIO, GUILIELMO CUPERO, PETRO BOSCHIO, Societatis Jeſu Presbyteris.

P*rodit modo in lucem Auguſti Menſis* Tomus ſecundus, *ordine quartus & trigeſimus, complectens dies omnino octo, Sanctos vero nominibus ſuis expreſſos viginti duos ſupra ducentos, præter plurimas Anonymorum claſſes, in variis orbis partibus & ſub diverſis tyrannis martyrio coronatas. Porro tot inter glorioſos pugiles præcipue elucet longe illuſtriſſimus Martyr,* Laurentius, *gloria Hiſpanorum, qui de ejus natali loco quantumvis diu certaverint, non eſt, qui pias eorum contentiones facile componat. De Sancti reliquiis par ferme æmulatio eſt, verum ea facilius ſopita. Nec prætermiſſa ſunt ſtupenda ejus miracula, de quorum Scriptore etiam inquiritur, uti & de variis Eccleſiis, ejus nomini conſecratis. Ceterum ſervatur hic a Patribus Soc. Jeſu ſolita rerum diſpoſitio, ſeu variorum ſtatuum ordo, in Eccleſiaſticum nimirum, Monaſticum, & Secularem, quarto ſeu poſtremo loco ſanctis Fœminis, ſeu Virginibus, ſeu Viduis, ſeu Martyribus, relicto. Nec minus ſervatus eſt ſolitus regionum ordo. Inprimis hic nominandi ſunt tres præcipui Græci Antiſtites, hoc eodem* Tomo *illuſtrati, celeberrimus nempe* Alexander Carbonarius, *Comanæ in Ponto Martyr,* Miro Thaumaturgus *in Inſula Cretenſi, nec non* Æmilianus, *Cyzici in Helleſponto.*

EX STATU ECCLESIASTICO.

Ordinem hic ducunt Sixtus II, *Papa, rebus geſtis non minus, quam martyrio, illuſtris, de cujus ſociis nonnulla diſquiruntur;*

Digitized by Google

item Hormiſda, *& ipſe Romanus Pontifex, a vafro & impio Imperatore,* Anaſtaſio, *variis modis exagitatus, qui tamen ſub* Juſtino *rem Catholicam in Oriente reſtituit, aliisque præclare geſtis Eccleſiam illuſtravit. Sequuntur illuſtres tres Epiſcopi & Martyres,* Emygdius, *Aſculanus in Piceno,* Donatus, *Aretinus in Tuſcia,* Rufinus *autem, Marſorum etiam in Italia, ab altero Synonymo diſtinguendus. Adde quatuor alios præclaros Epiſcopos confeſſores,* Euſebium, *Mediolanenſem,* Herculanum, *Brixienſem,* Caſſianum, *Beneventanum, ac* Paridem, *Theanenſem.*

Memmius, *Catalaunenſis in Gallia Epiſcopus & Apoſtolus, primum hic inter Gallos locum mereri videtur tum antiquitate, tum geſtis plane mirandis in iſtius Eccleſiæ fundatione & adminiſtratione, quem bini diſcipuli,* Donatianus *&* Domitianus, *in eadem ſede ſubſecuti ſunt, quorum ætatem & gubernationis tempora definire non ſatis obvium fuit.* Victricius, *Rothomagenſis, ex milite eo evectus, non pauca innocenter paſſus eſt, a S. Paulino vindicatus; in hoc certe a nobis laudandus, quod etiam Belgis fidem Chriſtianam annuntiarit. Sunt & alii celebres in Gallia Epiſcopi, ut* Arigius, *ſeu* Aredius, *Lugdunenſis, qui, a Synonymo aliquo diſtinctus, ab accuſationibus vindicatus eſt. Item* Caſſianus, *Auguſtodunenſis, cum alio non confundendus,* Venantius, *Vivarienſis in Occitania,* Donatus, *Veſontionenſis,* Hugo, *Autiſſiodorenſis, ab illuſtribus natalibus, vita monaſtica, & eximiis Præſule dignis virtutibus, laudatus. De* Taurini, *Ebroicenſis, geſtis operoſius actum eſt.* Autoris *Metenſis ætas definienda fuit, in quam non unus error irrepſerat. His vero accedere poteſt Cameracenſium decus & gloria,* Gaugericus, *multis præclariſſime geſtis & ſanctitate plane eximius. De* Stapino *inquiritur, fueritne Epiſcopus Carcaſſonenſis. Nec ſilendum de* Ionio, *Presbytero & Martyre Caſtrenſi, neque de* Severo, *Presbytero, Confeſſore apud Viennenſes.*

Germaniæ debentur Altmannus, *celebris Patavienſis Epiſcopus, ſatis operoſe illuſtratus; atque item* Hathumarus, *primus Paderbornenſis in Weſtphalia Epiſcopus, cujus memoria glorio-*

ſe

ſa renovata eſt, & geſtorum ſeries ad rectam Chronologiam reducta. Adde Rathardum, *Presbyterum, Confeſſorem in Bavaria, Dieſſenſis Cœnobii conditorem. Hibernia* Malchum, *Lismorenſem Epiſcopum, ſuggerit, undè* Abel *ortus creditur, apud Monachos Lobienſes depoſitus & cultus.* Blanus *vero, ſeu* Blaanus, *ad Scotos pertinet,* Samuel, *Presbyter Edeſſenus, ad Græcos.*

EX STATU MONASTICO.

Inter præcip[illegible] bujus ſtatus, non ut Monachus ſolum aut Abbas Lerinenſis, ſed & ut Martyr collocandus eſt fortiſſimus Porcarius, *cum quingentis Monachis dire laniatus a barbaris Saracenis, de cujus martyrii tempore, aliisque ad Lerinenſes ſpectantibus, accurate diſputatur.* Mummoli, *Abbatis & Confeſſoris non minus celebris, memoria apud Burdigalenſes.* Albertus, *Carmelita, Meſſanæ in Sicilia & alibi de Ordine ſuo præclare meritus eſt, quemadmodum & de Benedictino* Jordanus Forzate *Patavii, ubi diu moratus eſt, æſtimatiſſimus. Laborioſior fuit illuſtranda ac celebranda vita* Cajetani Thienæi, *a mirabilibus geſtis, a præclaris virtutibus, a multis miraculis, atque a novi in Eccleſia Ordinis religioſi inſtitutione.* Famianus, *ex Ordine Ciſtercienſi, mirus locorum ſacrorum viſitator, multarum ſuarum peregrinationum finem invenit Galleſii in agro Romano, ubi corpus ejus adhuc incorruptum ſervari dicitur. Tres Viros præclariſſimos ex Ordine Franciſcano producit hic Tomus,* Vincentium, *Aquilæ,* Joannem Firmanum, *a commoratione dictum* Alvernicolam, & Amadeum, *Hiſpanum, geſtis & ſcriptis prorſus mirandum.* Jacobus, *Eremita,* & Theodorus, *Hegumenus, a Græcis laudantur potiſſimum.* Chremes, *Abbas in Sicilia notiſſimus,* Falcus & Nicolaus, *Eremitæ [illegible] Apulia. Tales etiam fuere* Gerardus *in Caſtro Gallinario diœceſis Soranæ,* Getzelinus *prope Coloniam Agrippinam,* & Schetzelo *in agro Luxemburgenſi.*

EX STATU SECULARI.

Multiplices Martyrum Claſſes non parum exornant Cyriacus, Largus, & Smaragdus, *Romæ,* Afer, Quiriacus, & *multi alii,*

alii, *Auguſtæ Vindelicorum*, Fauſtinus, *Mediolani*, Juſtus & Paſtor, *Compluti*, Firmus & Ruſticus, *Veronæ*, Gregorius *autem & Socii nominati duodecim, ab Iconoclaſtis dire trucidati.* *Angliam decorat* Oſwaldus, *Rex & Martyr*, *Catanam Siciliæ glorioſus in paucis Martyr*, Euplus. *Inter Græcos eminent* Euſignius, Marinus Senex, Anicetus & Photinus, Tiburtius, *cum tot aliis Sociis ſuis*, & Hormiſda *in Perſia*. *His junguntur Confeſſores*, Deuſdedit, *Romæ*, Donatus, *Foro Cornelii*, Viator, *apud Aurelianenſes in Gallia*, Celſus, *apud Lemovices*, Conradus *vero* Nartuinus *in Bavaria.*

EX SEXU FOEMINEO.

Et hic ſexus in hoc Tomo multis illuſtribus Martyribus excellit. Baſſa, Paula, & Agathonica, *Carthagine in Africa triumpharunt*; Juliana, Agape, & Metrodora, *Nicomediæ*; Maria Patricia, *ab impiis Iconomachis coronata*; Aſteria, *virgo, Martyr Bergomi*, Digna, *Tuderti in Italia*: *præcipue autem* Suſanna, *V. M. Romana*; *de cujus Actorum ſinceritate vetus diſceptatio, quoad fieri potuit, explicatur. Nil prætermiſſum eſt, quo* Clara, *virgo Aſſiſienſis*, *S. Franciſci æmula*, *condigne exornaretur*, *uti &* Hugolina, *virgo Vercellenſis.* Agilberta, *virgo, Abbatiſſa Iotrenſis, cultu magis, quam rebus, innotuit, uti &* Cæcilia, *alias* Clara, *Romarici montis in Lotharingia*; *at* Ruſticula, *Arelatenſis*, *Florentium nacta eſt præclarum ſuæ Vitæ Scriptorem.* Nonna, *mater S. Greg. Nazianzeni, neglecta non eſt, neque etiam* Margarita, *vidua apud Septempedanos Piceni Italiæ.*

Atque hi ſunt præcipui Sancti, quorum Acta, aut breviora etiam elogia, hoc Tomo *illuſtrantur: quo autem die quibusve paginis quærenda ſint ſingula, docet Index Alphabeticus eorundem, toti Volumini præfixus; ætatem porro Chronologicus. Cetera in ſubjunctis aliis Indicibus quærenda ſunt.*

HISTOIRE ANCIENNE DES EGYPTIENS, &c.

h. e.

HISTORIA ANTIQUA ÆGYPTIORUM, CARthagi-

thaginenſium, Aſſyriorum, Babyloniorum, Medorum, Perſarum, Macedonum, & Græcorum; Autore ROLLINO, Rectore Academiæ Pariſienſis, &c.

Tomus V.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1735, 12.

Alph. 1.

Quam ſuperioribus Tomis laudem jure merito tribuimus, eam, tantum abeſt, ut edito nunc in lucem *quinto Tomo* retractare neceſſe habeamus, ut omni potius modo ampliſſimisque encomiis extollendam eſſe exiſtimemus. Supererat *Libri decimi Caput tertium*, quod ea, quæ tum ad rem religionis, tum ad ludos, & certamina Græcorum pertinent, pertractaret. Idque initio hujus *Tomi* exſtat. Agitur in eo de feſtis Græcorum diebus generatim, & de Panathenæis, ſacris Bacchi, atque Eleuſiniis nominatim, neque minus de Auguribus & Oraculis; tum etiam de ludis & certaminibus, athletis, lucta, pugilatu, pancratio, jactu diſci, pentathlo, curſu pedibus, equis, curribusque, inſtituto, honoribus & præmiis victorum ſpei propoſitis, diverſitate etiam guſtus, ut vocant, inter Græcos Romanosque, ratione ſpectaculorum. Neque certamina ingenii, ſpectacula & repræſentationes theatri, prætermittuntur, ubi guſtus extraordinarius Athenienſium in ejusmodi repræſentationibus, æmulatio Poetarum, quorum alii aliis palmam prærepturi erant, brevis poematis dramatici idea, & origo progreſſusque Tragœdiarum, enarratur, & memoria illuſtriorum ex Athenienſibus Poetarum, *Æſchyli*, *Sophoclis*, *Euripidis*, renovata, de Comœdia antiqua, media, & nova, diſſeritur, Theatrum antiquorum deſcribitur, atque nimius ejusmodi ſpectaculorum amor inter cauſas præcipuas inclinationis, relaxationis, & corruptionis Athenarum refertur. *Liber undecimus*, de Syracuſanorum Tyrannis, in *duo* abit *Capita*, quorum *primum Dionyſio* Seniori deſtinatur, & media, quæ ille, Syracuſanorum tyrannide potiturus, in uſum vocavit, motus ejus cauſa Syracu-

Digitized by Google

ſis & in tota Sicilia coortos, bella contra Carthaginenſes geſta, adventum *Platonis* in Syracuſanorum urbem, ejusque intimiorem cum *Dione* amicitiam, & ſummum *Dionyſii* in Poeſin amorem, cum obſervationibus & judicio eam in rem expoſuit. *Secundum Caput* ad *Dionyſium* Juniorem pertinet, & de duplici *Platonis* itinere Syracuſas ſuſcepto, ejusque commoratione in aula *Dionyſii*, fructuque ejus conſuetudinis, deinceps quæ cum *Dione* acta fuerunt, de hujus exilio belloque adverſus *Dionyſium*, Syracuſanorum in ipſum animo ingratiſſimo, hujus vero in Syracuſanos bonitate inaudita, commemorat. *Libri duodecimi Capite* unico ſtatus Græciæ poſt pacem, quam *Antalcidas* iniit, ſiſtitur, bellumque Lacedæmoniorum adverſus *Olynthum*, variaque bella Rerumpublicarum Græcarum cum inter ſe, tum vero etiam cum exteris, hacque occaſione res ab *Epaminonda*, *Pelopida*, *Iphicrate*, *Ageſilao*, & aliis, geſtæ, mors quoque *Evagoræ*, Regis Salaminiorum, & ſucceſſio *Nicoclis*, varia ſimul, quæ ad *Artaxerxem Mnemonem* pertinent, enarrantur. *Liber decimus tertius* res *Ochi*, ſucceſſionemque *Arſis* & *Darii Codomanni*, attingit, *Dionyſium* Juniorem, denuo imperio potitum, Syracuſanos Corinthiorum auxilium implorantes, *Timoleonem* ſuppetias iis ferentes, & *Dionyſii* victorem, libertatis Syracuſanæ vindicem, & ſaluberrimarum legum autorem, refert, atque data occaſione ſimul memoriam *Mauſoli* morientis, *Artemiſiæ*que lugentis, item *Demoſthenis*, cujus vitæ hiſtoriam ad initium uſque Orationum Philippicarum perſequitur, diligenter conſervat.

REFUTATION DES CRITIQUES DE BAYLE ſur Saint AUGUSTIN, &c.

h. e.

REFUTATIO CENSORIARUM ANIMADverſionum Cl. BAYLII in S. AUGUSTINUM, qua tres continentur Tractatus: I) Vera clavis ad Opera S. AUGUSTINI, contra Pelagianos ſcripta, reſeranda; II) Examen Cenſurarum, in Dictionario

BAY-

BAYLIANO paſſim diſperſarum, ſuper varia ſcriptorum ejusdem S. Doctoris loca; III) Diſſertatio de natura Legis Moſeæ.

Pariſiis, apud Rollinum, Fil. 1732, 4.
Alph. 1 pl. 2.

Ingenioſiſſimus *Baylius*, ut in cenſoriis ſuis Animadverſionibus
nullius temere, magni licet hominis, pepercit autoritati, ſic
venerandos etiam civitatis Chriſtianæ Antiſtites acriter identidem
caſtigare non formidavit. In his *S. Auguſtinus* præcipue nu-
merandus, cui, in certaminibus *Pelagianis* verſanti, rationis ac
veritatis violatæ, nullo rubore ſuffuſus, diem dixit. In eo im-
primis multus erat ille, ut in multis Dictionarii ſui locis aſſe-
veraret, *Auguſtini*, *Cornelii*, & *Janſenii*, Iprenſis Epiſcopi, do-
ctrinam unam eandemque fuiſſe. Hinc graviter idem mole-
ſteque tulit, quod Curia Romana *Janſenii* dogmata damnan-
da judicaverit, neque putaverit melius, eadem ſe opera ipſius
Divi *Auguſtini* autoritatis nervos inciſiſſe. Bene igitur de hoc
Reverendo Patre meriturus Autor indicatæ ſcriptionis, in eo to-
tus eſt, ut incurſionibus *Baylianis*, in *primo* præſertim *Tra-
ctatu*, maſcule ſe objiciat. Abſolvitur vero ille, præmiſſa Pag. 4.
brevi Præfatione, in qua loca *Baylii* recenſentur, *tribus Par-
tibus*: quarum *prima* fidem *Janſenii* in citandis *Auguſtini* lo- 10.
cis in dubium vocat, ipſum generale hæreſeos *Janſenianæ*
principium huic Patri falſo tributum eſſe, oſtendit, & adulte- 31.
ram clavem ad reſeranda *S. Auguſtini* Opera a *Janſenio* datam 52.
proſcribit. *Pars altera* declarat, doctrinam de perfectione 75.
juſtitiæ veram & genuinam clavem eſſe ad recludenda *S. Au-
guſtini* Opera, quæ *Pelagianis* oppoſuit. In *tertia Parte* Exa- 155.
men clavis cujusdam, qua Opera *S. Auguſtini* contra *Pelagia-
nos* edito aliquis aperire voluit, non ita pridem Patavii inven-
tæ, inſtituitur. Indicatur hac clave *Diſſertatio* quædam *Theo-
logico-Analytica de vero intellectu trium celeberrimorum Ca-
pitum, X, XI & XII, Libri S. Aug.* de *correptione & gratia*. Au-
tor hujus eſt *Steph. Lorenzoni*, Sacerdos ex Congregatione Ora-

torii Patavini, quippe quam ille Patavii A. 1729, 4, paginis 144
conſtantem, in lucem emiſit. *Secundus*, qui conſequitur, *Tra-*
Pag. 1. *ctatus quatuor* continet *Partes*. In *prima* examinatur, quo-
nam jure *Baylius S. Auguſtino* remiſſionem aliquam ſeve-
10. ritatis in morum doctrina adhibendæ objectaverit. In *altera*
Parte inquiritur, quidnam de illa ambitioſa prædicatione Cl.
Baylii: J'ai relançé S. Auguſtin, depexum & exornatum red-
didi S. Auguſtinum, quæ in Commentario Philoſophico, *Con-*
trains-les d'entrer inſcripto, leguntur, ſtatuendum eſſe vide-
104. tur. *Tertia Pars* examen eorum exhibet conatuum, quos
Baylius in ſe ſuſcepit ad objectionem funditus evertendam,
quam *Auguſtinus* Deorum oppoſuit cultoribus, occaſione mor-
111. tis *Lucretiæ*, ſummis in cœlum laudibus ab ipſis elatæ. Sum-
ma *Partis quartæ* Examen illius eſt loci, qui anſam præbuit
Cl. *Baylio* dicendi, *S. Auguſtinum* ſecundiori uſum eſſe fortu-
1. na, quam ſapientia. *Tertius*, qui ſupereſt, *Tractatus*, quique
Diſſertationem de Natura Legis Moſeæ conſcriptam ſuo com-
2. plectitur ambitu, *quatuor* habet *Partes*: quarum *prima* ſta-
tum quæſtionis, ſicut inter Apoſtolos atque Judæos agitabatur,
14. nobis ob oculos ponit. *Secunda Pars* explanat ſtatum quæ-
34. ſtionis, qualis inter Patres ac Manichæos erat. *Tertia Pars* ſta-
tum evolvit quæſtionis, ut erat inter *S. Auguſtinum* & *Pelagia-*
50. *nos*. *Quarta*, & ea ultima, *Pars* ſtatum declarat quæſtionis,
ut illa inter Defenſores fidei Concilii Tridentini, atque noſtro-
rum temporum Hæreticos, comparata eſſe ſolet. Qua ulte-
ra appellatione *Janſenii* amici cumprimis intelliguntur. Hoc
loco *quinque* potiſſimum *Argumenta* pertractari reperimus:
52. 1) de fine, quem Deus propoſitum habuit ſibi, cum Legem in-
62. ſtitueret antiquam; 2) de fine, quem Deus propoſuit Iſraëli-
71. tis, Legem conſtituens; 3) de auxiliis gratiæ, quæ conceſſit
91. Deus, durante *Moſea* Lege; 4) de ſtatu Synagogæ, in ſe con-
103. ſideratæ; 5) Paralleliſmus & comparatio *Manichaiſmi* &
Janſeniſmi, ratione veteris Legis, inſtituitur.

Accedunt, his omnibus erudite pertractatis, *tres Indices*. *Pri-
mus* loca Sacræ Scripturæ, *ſecundus* loca *S. Auguſtini*, ac *ter-
tius* denique ipſa rerum argumenta, commemorat. Non eſt
hoc

hoc diſſimulandum, quod obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum, plurima hic, quæ haud ſane levia eſſe videntur, litteratiſſimum, quisque ſit ille, Cl. *Baylio* oppoſuiſſe Autorem. Nos autem iidem certiſſimi etiam ſumus, Cl. *Baylium*, ſi in vivis adhuc eſſet, multa, quæ, ſi operæ duceret pretium, reſponſurus eſſet, in promtu habiturum.

CHRIST. GODOFR. HOFFMANNI, S. R.
Boruſſ. Maj. Conſil. Intimi, & Fac. Jurid. in Academia Viadrina Præſidis, Hiſtoriæ Juris Romano-Juſtinianei Volumen primum.

Lipſiæ, in officina Groſſiana, 1734. 4.

Alph. 5 pl. 10½.

Quod jam dudum communibus omnium votis expetitum erat Opus, cujus prior editio mirifico excepta fuerat plauſu, nunc tandem, ſalutari omine denuo prodit in conſpectum eruditorum. Ergo nunc habent Juris Romani ſtudioſi, quo præſtantius, quo præclarius, quo magis fructuoſum Opus vix poſſint deſiderare. Cum enim ceteri, qui ad condendam Jurisprudentiæ Hiſtoriam animum appulerunt, vel compendiaria tractatione perfuncti ſint, vel nimis duram importunamque criſin exercuerint, vel ſola hominum facta literis conſignaverint, id, quod jam antea *Menſe Septembri A. 1719 pag. 382* ingenue faſſi ſumus, habet ſingulare hic Liber, ut naturam, ortum, incrementa, viciſſitudinesque Legum Romanarum accurate, & ex ipſis Reipublicæ rationibus domeſticis tradat, Magiſtratuum ſeriem deſcribat, Patriciorum artes, fraudes, malitiam, commemoret, Jurisprudentiæ Romanæ nævos atque errores detegat, denique omnia ad prudentiæ legislatoriæ regulam exigat. Quo ipſo magnam gratiam iniit ab illis, qui non fabellis, ſuaviſſimis illis puerorum deliciis, paſcuntur, ſed qui omnem

Hiſtoriam ſterilem, infoecundam, & ab omni uſu plane remotam, ex vero judicant, quæ recreandis hominum animis ſolum inſervit, neque eos probiores melioresque reddit. Ipſa Librorum & titulorum, qui in hoc Volumine continentur, ſeries, quam ampliſſimum campum emetiendum habuerit Ill. Autor, unumquemque luculenter docere poterit. *Liber I de Jure, quod Romæ ante Juſtiniani tempora viguit,* agit. *Caput I originem & progreſſum Juris Romani* enarrat, & in *quinque Periodos* hujus temporis ambitum includit. Deſcribit itaque *Periodus prima Hiſtoriam Juris Romani ab urbe condita uſque ad Regum ejectionem; Periodus ſecunda eandem poſt expulſos Reges uſque ad XII Tabb. promulgationem; Periodus tertia Hiſtoriam Juris ſub Decemviris; Periodus quarta Hiſtoriam Legum poſt Decemviros uſque ad Imperatores; Periodus quinta Hiſtoriam Juris & Legum ſub Imperatoribus. Caput II Collectiones Juris ante Juſtinianum factas, Edictum perpetuum, Codicem Gregorianum & Hermogenianum, Codicem Theodoſianum, Novellas Theodoſii et ſubſequentium Imperatorum, tribus Sectionibus* perluſtrat. *Liber II Jus Romanum, ab Imperatore Juſtiniano in Corpus redactum, aliaque Imperatorum in Romanam Jurisprudentiam merita,* conſiderat. Et *Caput* quidem *primum* in *Juſtiniani & Theodoræ originem, vitam, & mores,* inquirit; *Caput ſecundum de Collectione Juris Romani a Juſtiniano in certa Volumina inſtituta* diſſerit. *Liber III Jurisprudentiæ Romanæ poſt Juſtinianum in Orientali Imperio fata* perſequitur. Occurrunt *Capite I Verſiones Juris Juſtinianei in linguam Græcam; Capite II Conſtitutiones Imperatorum, qui Juſtiniano ſucceſſerunt, uſque ad Leonem Philoſophum.* Sequitur *Capite III Hiſtoria Baſilicorum.* Excipiunt hanc *Capite IV & V Novellæ Leonis & veterum Imperatorum, qui poſt Leonem imperii tenuerunt clavum, Conſtitutiones.* Denique *Capite VI* comparent *Scripta JCtorum Græcorum, quæ vel Baſilicis recentiora, vel incertæ ætatis ſunt.* Age nunc, veniamus in rem præſentem, & ſpecimi-

[illegible]bus quibusdam allatis ea, quæ ſcripſimus, comprobemus. Egregium artificem ſe geſſit in exprimendo *Servii Tullii* ingenio Ill. Autor. *Superavit*, inquit, *certe omnes Anteceſſores Servius aſtutia, atque Senatui & Plebi, quicquid relictum erat poteſtatis, e manibus ſenſim eripere tentavit. Hinc etiam fovit diſſidia inter plebem & Patricios, favens plurimum multitudini. Plebi enim firme perſuaſerat, ſe popularem reginimis formam introducere velle.* Pag. 21. Jure Romano antiquo pœnam capitalem in debitores ſtatutam fuiſſe contra *Byncker*ſ*hœckium* defendit, neque eapropter crudelitatis cujusdam accuſandas eſſe Leges Romanas, ſed, neceſſitate permotos fuiſſe Quirites, ut jus necis permitterent creditoribus in importunos debitores ſuos, vel exinde contendit, quia tot ac tam graves turbas excitarunt plebeji, ut debitorum remiſſionem Patriciis quaſi extorquerent. 36, 36. Jucundum eſt legere operoſam rerum Romanarum recenſionem Chronologicam ab A.U.C. 307 ad annum 708, & quæ, paucis plagulis interjectis, eandem excipit, ab A. U. C. 708 uſque ad annum æræ Chriſt. 527. 49-80. 258-280. Neque minorem utilitatem præſtabit Index Legum præcipuarum Romanarum, ordine Alphabetico diſpoſitus. 88-199. Actionum Legis autores non quidem inſidias ſtruxiſſe plebi, vix tamen ab omni ſuſpicione fraudis abſolvi poſſe eosdem, cenſet, quod eas tanquam ſanctiſſima myſteria occultaverint, ad univerſa propemodum negotia extenderint, atque iisdem tam inſignes effectus aſſignaverint. 202. Quibus callidis ſubdolisque artibus nihil aliud quæſiverunt Actionum Legis autores cuſtodesque, quam ut ſub publicæ utilitatis prætextu privatis commodis ſuis ſtuderent, & ſenſim ſenſimque plebem Romanam ſub jugum ſuum mitterent. Strenuum agit formulariæ Jurisprudentiæ oſorem. 203. Etenim vix poſſibile eſſe omnibus actionibus perpetuas & adæquatas præſcribere formulas, præterea ſervile eſſe & humano ingenio indignum, ad certum verborum poſitum & uniformem ſonum omnes actiones componere, denique formulas Jurisprudentiam in rem memoriæ commutare, cum tamen illius maxima vis in judicandi arte ſita ſit. Fictiones juris inſignem nævum Jurisprudentiæ Romanæ indicare, nosque his leges ad 235.

æquita-

æquitatem reducendi mediis commode carere poſſe, & inanem eſſe eorum laborem, qui fictiones ad naturalia & ſimplicia
Pag. 241. principia referre conantur, decernit. Prætorum Edicta valde conturbaſſe Jurisprudentiæ Romanæ ordinem, æquitatis ſpecie incautis atque credulis impoſuiſſe, incertam, prolixam, & con-
258. fuſam reddidiſſe totam Jurisprudentiam, ex vero ſentit. Bella Romanorum optimo jure latrocinia appellari poſſe exiſtimat. Ad tam frequentia bella occaſionem dediſſe res anguſtas & ſuperbiam Romanorum, privatorum, qui per bella ſervos, divitias, prædia, augebant, utilitatem, Conſulum & Ducum ambitionem, Senatus malitiam, qui eapropter contra alias gentes arma ſtringebat, ne plebs ſceleſtas & nefarias ejus machinationes, quibus ipſi libertatem eripere volebat, ſenti-
318-346. ret, neque illi ſeſe opponere poſſet. Laudem meretur recenſio JCtorum, quorum *Pomponius* & Pandectæ mentionem injiciunt, ordine Alphabetico inſtituta, in qua ætas, ſcripta, & ſecta, cui JCtus fuit deditus, breviter, ſed accurate, traduntur.
383-393. Gratum quoque fuerit, pervolvere JCtorum, qui in Jure commemorantur, Catalogum ſingulari induſtria ab Ill. Autore con-
410. ctum. Nec minus placebunt elegantioris Jurisprudentiæ cultoribus generales illæ de Reſcriptis principalibus Obſervationes. San-
415. ctionibus Pragmaticis, quæ in *l. 7 Cod. de div. Reſcript.* definiuntur, tractatu & conſilio adhibito Princeps diligentius diffuſiusque reſpondit ad preces, vel relationes, vel ſuggeſtiones judicis & aliorum. Differunt a Reſcriptis, quia in his inſeruntur preces, & ſubjicitur ſubſcriptio brevis. In Pragmaticis vero Sanctionibus non ſolebant inſeri preces, ſed ſolebat precum vel relationum mentio fieri. Nam plerumque Pragmaticæ juſſiones dabantur ad ſuggeſtionem & ſu[illegible]nem Magiſtratuum, vel etiam corporis alicujus. Conſtitutum etiam erat, ne in privatorum cauſis fierent, quamvis, eas aliquando privatis conceſſas fuiſſe, ex ipſis legibus appareat.
432. *Adrianum* magis ex innata ſuperbia, quam bono conſilio, emendationem Juris ſuſcepiſſe, judicat, & in cauſas, cur *Adrianus* Prætorum Edicta Anteceſſorum ſuorum Reſcriptis prætulerit,
436. ſolicite inquirit. Refert ad has commune Principum vitium, quibus

quibus Anteceſſorum inſtituta plerumque diſplicent. Accede-
bat principalium Reſcriptorum paucitas. Conſiſtebat maxima
juris privati vis in Prætorum Edictis. Denique evertebatur
hac ratione conſcripto Edicto perpetuo forenſe Prætorum re-
gnum, & eorum penitus obmuteſcebant oracula. *Theodoram*, Pag. 511.
Juſtiniani, Imperatoris, conjugem, vix ab omni inhoneſtæ vi-
tæ præſumtione immunem habendam eſſe, arbitratur Ill. Au-
tor, licet, *Procopium* in ea deſcribenda odio & affectibus
multum dediſſe, veroſimile eſſe, largiatur. Falli eos do- 514.
cet, qui *Theodoram* doctarum mulierum numero claſſique
adſcribunt, quia alioquin facile augeri poſſet eruditarum
Reginarum Auguſtarumque catalogus. Non pigebitquem- 544-551.
quam ea legere, quæ de *Procopii* fatis, de adverſariis ejus,
& inprimis de barbaro illo *Eichelio* copioſe diſerit Ill. Autor.
Certe ipſi cum Ill. *Hoffmanno* fatemur, parum roboris ineſſe ar-
gumentis Virorum doctorum, quibus *Procopium* impetunt, &
ſumma injuria accuſari *Alemannum*, quem plerique, inſana er-
ga *Juſtinianum*, *Theodoram*, & *Tribonianum*, veneratione per-
moti, injuriarum & criminum ſocium faciunt. Sed hiſce im-
portunis, quibus cæci *Juſtiniani* & ejusdem aſſeclarum amato-
res *Procopium* & *Alemannum* proſcindunt, calumniis ſingulari
Libro propediem reſpondebit Conſultiſſ. *Gottlob Auguſtus Jeni-
chen*, Collega noſter, Adverſariorum argumenta confutabit, &
horum Martyrum juridicorum defenſionem in ſe ſuſcipiet. Ea,
quæ de Verſionibus Pandectarum Græcis *Thalelæi*, *Cyrilli*, & 628-630.
Doſithei, dicuntur, aut incerta eſſe, aut plane falſa arbitra-
tur Ill. Autor. Illos ſe & alios egregie decipere conjicit, qui, 655.
Baſilicorum compilatores Codicis & Pandectarum textum Lati-
num in Græcam linguam tranſtuliſſe, confidenter affirmant.
Eam dicam eis quoque ſcribit, qui, *Leonis* Novellas ab Impe-
ratore, uti nos habemus, fuiſſe editas, exiſtimant, & ſententiam
ſuam ex Proœmio, illis præfixo, muniunt. Hoc enim nihil
aliud eſt, quam Conſtitutio de Legibus, quæ minime ſe refert ad
ſubjectas Novellas, ſed potius, ſi recte illud inſpiciamus, de Ba-
ſilicis agit. Atque probabile eſſe, hoc ab eo, qui Novellas *Leo-
nis* ordinavit, primo loco collocatum fuiſſe, & erroneæ huic

Digitized by Google

opinioni præbuiſſe occaſionem. In *Parte ſecunda* Operis hujus reperitur *Chriſtiani Thomaſii Delineatio Hiſtoriæ Juris Civilis*, *Fr. Hottomanni Anti-Tribonianus*, *Jo. Seldeni Diſſertatio ad Fletam*, & *Virginii Valſechii Epiſtola de veteribus Piſanæ civitatis Conſtitutis*, quos Libros, cum alio tempore prolixo celebraverimus elogio, nunc prudenti prætermus ſilentio.

SYSTEMA NOVUM MECHANICO-HIPPOcraticum de Morbis fluidarum & ſolidarum, ac de ſingulis ipſarum curationibus, Opus Theorico-Practicum JOSEPHI THOMÆ ROSETTI, Phyſicæ & Medicinæ Profeſſoris, D. O. M. ut donum ſuum redditum atque dicatum.

Venetiis, apud Antonium Bartoli, 1734. fol.
Alph. 5 pl. 7.

Poſt tot tantasque principiorum in re medica mutationes nondum deeſt rerum novitas, &, quandoquidem nihil est, quod cogitari poteſt, quod non dictum ſit cogitatumve prius, connubia inſtituuntur recentiorum veterumque Scholarum, ut antiquis non prorſus incognita fuiſſe neotericorum placita aſſerantur, aut, poſſe primam noſtramque, qua vivit Medicina, ætates inter ſe conciliari, affirmetur. Inde eſt, quod optimus ille *Hippocrates*, qui Chymicus eſſe incepit, ex quo ſic visus eſt *Tachenio*, jam novam induat faciem, Mechanicumque profiteatur magno eorum tædio, qui ſingularem a ſe excogitatam hypotheſin arbitrantur, magnosque exinde ſpiritus alunt, ex quo omnia ſecundum leges motuum mechanicaque neceſſitate fieri demonſtrant, quaſi hæc omnia ignorata fuerint primis Medicinæ ſtatoribus. Inde maximum eſt Doctiſſ. Autoris in venerabilem antiquitatis canitiem meritum, quod unica ex *Hippocratis* theſauro deſumta locutione τῶν ἐνορμώντων, *impetum facientium*, novum Syſtema condere annifus ſit. Rx

ex animi ſententia ſucceſſit, & qui acidum & alcali ignoraſſe negari poterat *Hippocrates*, quandoquidem diſertis verbis *amarum & acidum ſanguini ineſſe*, in Libro de antiqua Medicina allegat, quomodo Mechanicus eſſe deſineret, qui *impetum facere*, cui termino ſimilis nullibi ob ſignificandi Græcum valorem invenitur, principia corporis profeſſus eſt. Ita ſane ſe res habet, ſermonis brevitate uſi veteres, multa ignoraſſe dicuntur, quod loquaces minus fuerint, & menti Lectorum divinandum aliquid reliquerint. Concedimus nos quidem Seculo noſtro inventionum gloriam in plurimis, verum negari infimul non poteſt, plurima a noſtris non apponi, ſed recoqui, noviſque ſaporibus imbutas veterum veritates menſis noſtris admoveri. Ergo & *Hippocrates* virium motricium efficaciam probe calluit, poſſuntque ejus opiniones in noſtras commode permutari, ſed mutandi ſunt termini, qui ſpiritus hactenus dicti ſunt, *enormontica pars audiet*, non morbi ſpirituum appellabuntur, ſed *morbi enormontici* non ſpiritibus medebimur, ſed *enormonticis* & *enormontica* exagitanda erunt remedia. Sic rerum, morum, vocabulorumque, tyrannus eſt uſus, qui principium vitæ noſtræ modo animam, modo ſpiritum, modo Archæum, & ſecundum diverſas, quibus ineſt, corporis partes, modo Gaſteranacta, modo Rachamelcam, ſtilo Dolæi, & noſtra hac ætate fluidum nervorum, vocitari juſſit, qui effecit, ut ſpiritus ex foro Medicorum, modo relegati, modo civitate denuo donati & vindicati fuerint. Jam enormontica pars dicentur ſpiritus, cetera omnia convenient, ficut τῶν ὁρμώντων ex *Hippocrate* jam mentionem fecit, & de ſpiritibus interpretandos eſſe edocuit *Helmontius*. Inde ſuæ famæ inſigniter conſuluit Autor, quod, novam eſſe hanc ſuam de enormonticis ſententiam, negat, ſed renovatam, & ex cineribus, quibus poſt *Hippocratis* tempora ſepelita fuit, denuo extructam, quo ipſo non minus in Rempublicam literariam beneficium contuliſſe cenſendus eſt omnium bonorum ſuffragio. Sunt adeoque enormontica pars ſpiritus aliquis, medius inter animam & corpus, cujus miniſterio utatur anima, ne ſcilicet, ſicut conſcia actionum ejuſmodi non eſt, neceſſe habeat, ſordiſſimas,

Digitized by Google

diſſimas quasque functiones obire. Competit autem ejusmodi principio enormontico triplex officiorum genus, enitendi, aut vitalem niſum exercendi, elaſticum concipiendi robur, & quandam arbitrii ſimilitudinem exprimendi, quo ipſo efficitur, ut ratiocinium inſtituere videantur animantia bruta, cum non niſi ſenſu communi objectorum impreſſiones diſcernant. Quod ſi cum ulla re ſimilitudo intercedit hiſce enormontis corporis partibus, intercedet cum igne, cujus eſt, nullo carcere contineri poſſe & ad omnia latera impetum facere & erumpere velle, quo ipſo variorum motuum mechanicorum cauſa & autor eſt. Interim ita legibus, quas natura tulit, non obtemperant enormonticæ partes, eo petulantiores, quo magis impatientes quietis, ut non laſcivire frenumque excutere de die in diem tentent, quo ipſo morborum ingruit neceſſitas, quorum nullus omnino eſt, qui non enormuntam partem, (adſueſcendum eſt termino, cetera omnia bene ſeſe habent,) ſuo modo involvat. Aut enim fervidiſſimo conflictu *Enorman* cauſam morbificam evincere conatur, unde morbi acuti, aut velificando leviorem pugnam inſtituit, quod impar ſe tantæ tamque gravi cauſæ futurum ſentiat, ut ſic paulatim & per inſidias, qui aperta fronte non poterat, ſede turbetur humanæ ſalutis hoſtis, prout in morbis chronicis. In genere autem conſideratus morbus nihil aliud eſt, quam conatus naturæ, id eſt, impetum faciens principii enormuntis virtus, qua materiæ morbificæ exterminationem in ægri ſalutem molitur. Quo ipſo clarum, obſcuram ſatis naturæ notionem non melius, quam enormontico niſu explicari poſſe, quod cauſa morbifica nihil aliud ſit, quam ens legem vitæ turbans, & rectorem vitæ ad conflictum provocans, quo conflictu durante ægrotare dicatur corpus. Atqui hæc ſpirituum ſeu enormunton iracundia neceſſaria eſt, utpote a variis accidentibus emota. Datur autem & ſpontanea ſpirituum ataxia, & propria thymoſi facta commotio, quo tempore ferocire ſpiritus abſque alieno ſtimulo dicendus eſt, qui haud raro, etiamſi legitime compoſitus ſit ad motus ſanguis, & vaſa bene ſe habeant, efferveſcens, ruptis extremitatibus, hæmorrhagiisque excitatis, aut in dolentes per ſe partes ſæviens, triſtes &

exitia-

[illegible] corpori, cui præeſt, tragœdias ludit. Atque ſic ſuo laſciviente impetu *Enormon* proprii defectus cauſa eſt; deficiens enim, ubi deferbuit, vappeſcentem relinquit ſanguinem ſuum, imo jam in chylo rite præparando peccat, quod *Enormonticus* ejusmodi languor non tantum propriæ rei privatæ male proſpiciat, ſed & invadentibus hoſtibus, cauſis ſcilicet morbificis, debita ratione per motus criticos ac coctiones debellandis par eſſe non poſſit. Neque autem per ſe vitioſus eſt enormonticus ille impetus, ſed mali radices a ſanguine, qui ejus origo eſt, agit. Talis enim eſt ſpiritus, qualis maſſa ſanguinis; imo vero in ipſo ſanguine ſpiritus, ſeu enormuntes ſedem domiciliumque figunt, de quo dubium nullum eſſe poteſt conſideranti, cum ſanguinis jactura ipſum vitale principium excedere, ut animi deliquium patiantur, quibus ſanguis ex vena ad decem uncias educitur, cum alii plurium librarum ſanguinis pondus impune dimittant, manifeſto indicio, majoribus ſanguinis fluminibus plus ſpiritus, quam parvulis capillaribusque rivulis, ineſſe. Quodſi quis ſanguinis utriusque, arterioſi ac venoſi, differentiam, quod ille floridus ſit, hic vero obſcurus, & ad quietem properans, explicare ſuſcipiat, dici aliter non poterit, quam enormonticis partibus divitiorem eſſe arterioſum, pauperiorem venoſum ſanguinem. Proinde vel in muſculorum ſubſtantiam mutantur arteriæ, vel in cerebro hanc, quæ abundant enormonticarum particularum quantitatem deponunt. Dolendum ſaltem, ſuo, quod hactenus legitime perfecit, officio deponi cerebrum ab Autore, ut nulla omnino eidem concedatur ex ſanguine ſpiritum eliciendi libertas. Sententia, quam *pag. 26* proponit Autor: *Spirituum geneſis ex pulmone*, & paulo poſt: *in cerebro ſpirituaſcentia eſſe non poteſt*, ſic nova eſt, ut omnem Anatomicam de nervorum propagine veritatem ſubruat & evertat, dubiumque relinquat, utrum embryo, cui nullus pulmonum uſus eſt, ſua vita vivere credi poſſit, aut utrum, quibus nulla eſt aut parcior reſpiratio, uti aquatilia animalia, impetum facientibus gaudeant; neque alia, quam poſſibilitatis argumenta, eademque ſatis pauca, adducuntur; niſi forte ab aere in pulmonibus partes enormuntas ſanguini

guini accedere contendat, in quo neminem diſſentientem habiturus eſt. Quocunque tamen & quo in loco facta enormonticarum partium ſit geneſis, rariores eosdemque nobiliſſimos, in corpore humano uſus præſtant, *ſanguinem depurant*, excitatisque ſanguinis deſpumationibus, exanthemata, variolas, morbillos, in peripheriam cutaneam eliminant, criſesque provocant ſalutiferas, niſi turbentur in negotio, id quod malo ægrotorum fato fieri ſolet, cui fini aſſequendo nullæ unquam fermentationes ſanguinis, ſecundum leges Chymicas factæ, inſerviunt. Demonſtrare enim annititur, Cl. Autor ſanguinem ſic comparatum non eſſe, ut ab inteſtina particularum, eundem conſtituentium, pugna, conflictus ſalium diverſæ indolis ſubſequi poſſit. Cum autem inter tres corporis humani partes ad mentem *Hippocratis*, *continentes contentas* & *impetum facientes* ultima nobilitate, & in reliquas imperio ſuperior ſit, dicendi initium ab eadem facit Cl. Autor, & primo loco de morbis communicis, ſeu ſpirituum propriis, melancholia, delirio, aliisque hujus generis morbis, diſſerit, quotquot ſine febre humorumve conſenſu adoleſcere deprehenduntur, ſervata reliquorum hiſtoria, qui humorum vitium pro cauſa agnoſcunt, quamvis ſpiritus primario afficiant. Claſſi, quæ de Febribus inſcribitur, ſeu de Morbis fluidorum, quo in negotio, fatendum, nihil deſiccatum magis, aut majori induſtria perpolitum, Autoris delubrium indole judicio dici vel excogitari poſſe, utpote qui, quo modeſtus magis eſt, ita, ut demuo profiteatur Libri ſecundi Præfatione, *ſibi non de novo, ſed de neglecto apud poſteros impetum faciente* ſermonem futurum, eo plus induſtriæ in perlegendis Autorum omnis fere ætatis placitis, collocaſſe deprehenditur, ita, ut, & judicii & laboris opus hoc ſuum eſſe merito fatendum ſit. Magnopere placuit placetque omnibus bonis ejus de naturæ curatione, ſeu de criſi, in quam febris terminatur, judicium. Medicum ſpectatorem ſaltem eſſe debere criſium, ſi natura demonſtret, ſe totum curationis negotium ſibi arrogaſſe, ſocium, eundem eſſe debere & coadjuvantem, ſi languidiorem eandem aut impetuoſiorem pro exſecutanda criſi deprehenderit. Primam adeoque debere eſſe naturæ,

turæ, ſecundam hinc artis curationem monet, quo in loco diætiticis curationibus & curatiſſimis victus cautelis plurimum attribuit, quo facto omnia omnium febrium, ſecundum ſingulæ indolem accurate deſcriptarum, remedia rationali bilance trutinat. Tertius Liber *de Morbis ſolidarum cum febre & ſine eadem* inſcribitur, quo loco denuo Enormon ſuum iracundiæ, excandeſcentiæ, & thymoſeos, ſtilo prorſus *Helmontiano* incuſat, ita, ut, ſi illius ataxia regionem capitis invadat, cephalalgia, delirium, aliaque hujus generis mala, oboriantur, ſi ad thoracem concitatius feratur, varii hujus regionis affectus ſubſequantur, in abdomine evigilent tormina, in peripheria corporis variolæ, morbilli, petechiæ. Verum non ſemper furit Enormon, magnoque impetu cauſam morbificam expellere tentat, ſed non ſufficientibus viribus, in capite lethargum, lipothymiam, aliaque hujus indolis morborum genera, in infimo ventre alvi inertiam, ſtypticitatem, & ita porro, producit. Inde hac methodo capitis, thoracis, infimique abdominis, morbis, cutaneos alioſque peripheriæ affectus ſubnectit, chirurgicorum vero morborum mentionem faciendi fortaſſe conſilium non ſuſcepit. Tantum autem abeſt, ut ſeveriores judices nos elegantis & apprime utilis Libri profiteamur, ut potius certo perſuaſum nobis habeamus, nec ſine ingenii cultura eundem legi, nec ſine inſigni humani generis ſalute ad uſum pertrahi, quæ eodem continentur, Theoremata poſſe.

MISCELLANEA BEROLINENSIA, AD INcrementum Scientiarum, ex Scriptis, Societati Regiæ Scientiarum exhibitis, edita. Continuatio tertia, ſive Tomus quartus, cum Figuris & Indice materiarum.

Berolini, ſumtibus Jo. Andr. Rüdigeri, 1734, 4.
Alph. 2 pl. 6, cum Tabb. æn. II.

Nonnihil temporis diuturnioris effluxit, ex quo *Continuatio* horum *Miſcellaneorum* amiſſu eorum, qui Reipublicæ literariæ

terariæ hujus ſeu Societatis ſummam tenuerant, fuit [illegible]
Præſes, Propræſes, ac Directores Regiæ Berolinenſis Scientia-
rum Societatis hoc ipſum, æque ac alia, exponunt in formu-
la Dedicationis, ad Illuſtriſſimum *Adamum Ottonem*, L. B.
de Viereck, Protectorem Societatis ſuæ, directa. *Pars* To-
mi hujus *prima* continet *Mathematica*, quibus, interpoſita
Parte ſecunda de *Literariis*, aggreganda ſunt *Mathemati-
ca pag. 230-245* exhibita. *Pars tertia* complectitur res *Phy-
ſicas* & *Medicas*. Delibabimus ſingula carptim. In limine
Operis repræſentatur Cel. *Alphonſi des-Vignoles* Tractatus de
Annis Ægyptiacis, Autoris multijugam lectionem, ſcientiam-
que, tum Aſtronomicam, tum Chronologicam, compro-
bans. Ægyptii annum primi invenerunt ex obſervatione [illegible]
meridiani, cancrum ingreſſi, auſtralium capiti imminentis.
Pag. 2. Cum menſes 30 dierum conſtituiſſent, eosque interval-
unius anni ſolaris duodecies replicari animadvertiſſent, annum
ſolarem ad dies 360 alligarunt. Cl. Autori videtur certum,
Seculo Noachico hanc fuiſſe anni formam. Zodiaci [illegible]
facile innotuit. At cardines ſolſtitiorum Ægyptii determina-
re haud auſi, ad Sothin ſeu Caniculam direxerunt, cujus or-
3. tum heliacum obſervare conſueverant. Æram Ægyptia-
deducit Autor ab anno Periodi Julianæ 2429, quam [illegible]
mus ab anno Periodi Julianæ 2371 exorſus fuit. Ortus he-
liacus Sirii locandus eſt vero in annum 2429, diem Julii [illegible]
horam 3, min. 57, ſole exiſtente in cancri gr. 6, min. 38 [illegible]
horizonte depreſſo ad gr. 2, min. 6. Hic calculus debetur di-
ligentiæ Aſtronomicæ Cel. *Chriſtfridi Kirchii*. Theon [illegible]
næus & *Porphyrius* dudum fundamenta huic ſupputationi [illegible]
5. miniſtrarunt. At, quia Sirius annum antevertit diebus cir-
quinque, revolutio ejus annotata fuit annis antiquis 69 ma-
jor, annis 70 minor. Præterlapſis 7 revolutionibus ejusmo-
6. di, Sirius oriri viſus eſt ipſo anni die primo. Unde [illegible]
annum circiter conſtare ſolarem quam proxime diebus [illegible]
8. *Ramſen*, de quo *Plinius Hiſt. Nat. XXXVI, 8, 9*, tradit, fuiſſe [illegible]
Regem *Exod. I, 8*, conditorem urbis cognominis, qui pyra-
des exſtruendas curaverit, obſervat Noſter. [illegible]

obſer-

Obſervationum Aſtronomicarum fieri potuiſſe, cum *Joanne Matthao de Chazelles* idem credit. Anni ſolares noſtri 1460 conſtituunt Ægyptios veteres 1461, dies vero 533265. Pe.io- Pag. 13.
dum hanc per Phœnicem hieroglyphice repræſentarunt Ægyptii, ut patet ex *Taciti Ann. VI, 28.* Quod ubi interpretes *Taciti* cognoviſſent, locum tantopere haud corrupiſſent. Res ipſa enim ex *Firmici*, Aſtronomi, Præfatione potuiſſet addiſci. Dies 20 Julii, quo *Cairi* ſub latit. 30° 2′ anno Periodi Julianæ 3389 Sirius ortus eſt Aſtronomice, mane, hora 4, ſole tunc exiſtente in Cancri 14° 3′, fuit dies Saturni, ei ſacer, qui dux 14.
temporis & hebdomadis habetur. Hæc ratio, cur a Saturno hebdomas ſit inchoata, huc uſque latuit. Ex hac fimbria facile de texto judicare licet. Poſt hanc Commentationem ejuſ- 24 ſeq.
dem Viri immortalis comparet Diſſertatio *de Cyclis Sinenſium ſexagenariis*, quam, invitatus a *Theophilo Sigfrido Bayero*, addidit admodum ſenex. Annales Sinenſium, in Bibliotheca Regia Berolinenſi obvios, de quibus idem *Bayerus* egit in Præfatione ad Muſeum Sinicum *pag. 51*, in uſus ſuos adhibuit. De hiſce notitia affertur luculenta hic *pag. 25 - 27. Mül-* 26.
leri & Bayeri unus & alter circa illos error detegitur. Deinde cyclus ipſe uberrime exponitur. Hinc comparet *J. H. Her-* 54 ſeq.
tenſteinii Explicatio Cycli, lapidi in Monaſterio Sturtzelbrunn, ad fines inferioris Alſatiæ ſito, inciſi. Oſtendit Autor, cyclum lunarem Paſchalem *Dionyſianum*, ſeu Aureum Numerum, in lapide exhiberi. Sequitur ejuſdem *Hertenſteinii* 60 ſeq.
Determinatio centrorum Volutæ Ionicæ interioris, qua methodus *Goldmanniana* emendatur. Quinto loco apparet *J. L.* 64.
Friſchii Iris circa ſolem d. 11 April. A. 1729 obſervata Berolini. Ejuſdem cogitata *de origine Characterum obſcuriorum, qui-* 65 ſeq.
bus in Calendariis ſigna Zodiaci indicantur, exhibentur loco ſexto. Signum cancri 69 ortum debet duabus chelis cancri ex adverſo appoſitis. Signum Scorpionis ex ejus cauda & annexo aculeo deductum. Signum Leonis eſt corruptum Græcum Lambda majuſculum, initium vocis Παρθένος. Signum 66.
Capricorni eſt Τρ contractum, ex voce Τράγος. Idem ad- 67 ſeq.
didit cogitata *de origine Characterum, qui apud Aſtronomos*

ſignificant Planetas. Apex in Martis vertice eſt conus, in
quo olim criſta galeæ. Pinnas petaſi Mercurii mutarunt in-
conſiderantes in tauri cornua. Signum Jovis fuit profectum
ex charactere aquilæ volantis. Saturni ſignum fuit falx, poſtea
Pag. 69 ſeq. paſſim depravata. Idem loco octavo exhibet *Deſcriptionem
ulteriorem, quam primum ſpecimen Atlantis Germaniæ ſa-
cræ Evangelicæ requirit,* in quo Diœceſis Neapolitana ad Aiſ-
ſam fluvium in inferiore Principatus Brandenburgici Bayreut
parte, cum omnibus Parochiis, earumque filiabus, & ad easdem
pertinentibus minoribus locis, villis, prædiis, molis, &c. in
charta Geographica depingitur. Vox & appellatio *Weiler* re-
petitur ex Latino-barbara *villari*, id eſt, loco, in quo tot in-
colæ non reperiuntur, quot conſtituendæ Parochiæ ſufficiunt.
Aliis fortaſſe arridebit originatio ex *Weile*, mora, commora-
74 ſeq. tione. Nono loco exhibentur *Obſervationes occultationum,
immerſionum, ac emerſionum ſatellitum Jovis, in Obſervato-
rio Kroſikiano Berolini facta a* Jo. Wilh. Wagnero, *præſente
interdum & obſervante* Jo. Henr. Hofmanno, *olim Aſtrono-
mo.* Obſervationes ſuſceptæ fuerunt annis 1706, 1707 & 1708.
Sequitur haſce *Chriſtfridi Kirchii*, Aſtronomi inclytiſſimi, *Ob-
ſervatio Eclipſeos ſolis prope Horizontem*, d. 25 Sept. A. 1706
79. poſt meridiem in Obſervatorio Regio Berolinenſi peracta. Suc-
cedit ejusdem *Eclipſis lunæ*, d. 11 Octobr. mane Berolini in Ob-
ſervatorio eodem obſervata, in tabulam redacta: nec non
Eclipſis ſolis, d. 15 Sept. A. 1727 ante meridiem ibidem animad-
81. verſa. Notatur, imaginem ſolis eo minus depingi accurate,
quo magis convexum ſit vitrum oculare, quod in cauſa eſt re-
82 ſeq. fractionis inæqualis. Excipit hanc Obſervationem ejusdem
ſeries *Elevationum Poli quarundam, Menſe Julio A. 1731 ob-
ſervatarum.* Elevatio Poli Francofurti ad Viadrum depre-
henſa eſt $51^{\circ}, 22'$: Gubenæ in Luſatia $51^{\circ}, 56'\frac{1}{2}$: Monaſte-
rii Cellæ $52^{\circ}, 5'\frac{1}{2}$: oppiduli Furſtenberg $52^{\circ}, 9\frac{1}{2}$: pagi Taſſ-
dorf $52^{\circ}, 28$ circiter. Hæc in gratiam eorum, qui mappas
chartasque adornant Geographicas exemplo Cel. *Doppelmaieri.*
84 ſeq. Sequitur loco XVI ejusdem *Commentatio de Portis Caſpiis,
earumque vero ſitu.* Autor præſtantiſſimus dudum illuſtrare
cona-

Digitized by Google

conatus eſt Imperii Perſici Geographiam antiquam, comparans ea, quæ adhuc durant immota, cum relationibus veterum haud infeliciter. Hyrcaniam ponit in Provinciis hodiernis *Jorgiane*, ſive *Schurſchan*,& *Aſterabad*: *Caſpios*, *Gelos*, & *Mardos*, in hodierna *Kilan* figit: *Atropatenen* perhibet eſſe nunc *Adirbeitzan*. Vindicatur locus *Taciti Ann. XV*, 31, contra *Cellarii* conjecturam de mendo, *Geogr. Antiqu. Lib. III Cap.18 pag.476*. *Ecbatana* vocatur nunc non *Tauri*, ſed *Hamadan*. Media magna in hodierno *Irac Agemi* ponenda eſt. Pag. 87.
Cellarius portas Caſpias juſto loco poſuit. Multa notatu digna cum mappa Geographica præſtabili hic afferuntur. Recentiores hic paſſim convincuntur errorum, nec minus antiqui.
Sequitur *Tranſitus Lunæ apud duas fixas obſervatus Berolini d. 11 Febr. A. 1718 a Jo. Wilh. Wagnero*. Idem A. 1720 108 ſeq.
Menſibus Majo & Junio ſexies Berolini obſervavit motum 106 ſeq.
Saturni retrogradum. Siſtitur hinc *Eclipſis Lunæ totalis cum mora*, d. 8 Aug. A. 1729 obſervata Norimbergæ a D. *Jo. Carolo Roſtio*. Ejusdem exhibetur *Immerſio Veneris ſub Luna, ejusque Emerſio*, d. 19 Sept. A. 1729 interdiu ibidem obſer- 107 ſeq.
vata. Quam excipit *Bernardi de Belidor Diſſertatio de Theoria pulveris tormentarii*, e ſermone Gallico translata. 116 ſeq.
Attendit Autor ad proprietates aeris, quem commovet pulvis pyrius, ad qualitatem corporum, e quibus pulvis pyrius componitur, & ad legem naturalem, quibus inflammatio perficitur. Subjiciuntur tria Problemata, Gallice ſcripta, *Jo. Bapt. Clairaut*; 1) docet inſcriptionem cubi, cujus latus eſt datum, 130 ſeq.
in octaedrum datum; 2) docet modum faciendi cubum in tetraedro regulari; 3) tradit rationem metiendi truncos conorum. Addita ſunt *Alexii Clairaut*, filii, *Problemata* 143 ſeq.
quatuor ſuper novis Curvis. In *Parte ſecunda* offeruntur varia, ad rem literariam ſpectantia. Agmen ducit *Juſti Chri-* 153 ſeq.
ſtophori Dithmari Obſervatio de Marchia Landsbergenſi, cujus titulo olim uſi fuerunt Marchiones & Electores Brandenburgenſes. Titulum jam adhibuerunt ex ſtirpe Aſcanienſi Mar- 156.
chiones Brandenburgenſes, *Otto* & *Conradus*, A. 1298, & quidem a Marchia Landsbergenſi in Marchionatu Miſniæ circa

fluvium Salam ſita, ſi Noſtro credimus. *Ludovicus* certe *Bavarus*
& *Carolus IV* in Diplomatibus hic prolatis Marchiam Landsberg
Pag. 159 ſeq. utrique parti fluvii Sale adjungunt. Sequitur *Diſſertatio hi-*
ſtorica de Advocatis Auguſtæ Vindelicorum, Supplementi lo-
co ad ea, quæ de Advocatis Auguſtanis in Hiſtoria regiminis
175. Auguſtani dixerat *Jacobus Bruckerus*. *J. L. Friſchii* conjectu-
ra, cur Menſis Februarius appellatus ſit *Hornung*, docet, vo-
cem *Cernunnos* eſſe legendam *Keraunios* in monumento Pari-
ſiis effoſſo, Februarium vero quaſi *cœnoſum* dictum eſſe, ex
voce teutonica, *Hor*, *Hore*, *Har*, hoc eſt, luto, cœno. Accu-
rate hoc eſt oſtenſum. Idem docet, *gardende Knechte* fuiſſe
noſtris olim milites, qui poſt exauctorationem oberrarunt ac
182. mendicarunt, ex *garden*, id eſt, mendicando. Idem tradit, vo-
ces *Elo* & *Schelo* in Diplomate *Ottonis Magni* idem eſſe ac
Edel & *Schalen*, ungulasque ferarum nobiliorum e genere
cervorum & aprorum adhuc a venatoribus vocari *Schalen*.
Malumus hic cohibere aſſenſum, ſiquidem Diplomate diſtincte
edocemur, beſtias quasdam Teutonica lingua appellari *Elo* aut
Schelo, quæ poſtponuntur cervis, urſis, capreis, apris. Æra-
rium Principum olim vocabatur *Treſekammer*, quaſi theſauri
camera, uti idem oſtendit, inquirens porro in etymologias &
185 ſeq. ſignificationes vocum, *Pietantz*, *Piment*, & *Picteren*, *cavilla*,
creopenſorium, *ſmurdus*, *biſigibilias*. Jus *ſmurdi* ex lingua
Sclavonica exponit de jure *mortuarii*, *Curmede*, *Hauptfall*,
193. *Bauleben*, Gallis *la main morte*. *Biſigibilias* eſt pars Albis
195. ſuperior penes Geographum veterem Ravennatem. Idem
exponit vocem *Iodute* ex *io*, interjectione geſtientis, & *dute*,
id eſt, homines, cives. Vox occurrit ipſa in Verſione Biblio-
rum inferioris Saxoniæ & Danica, *Jer. XII, 6.* Conf. *Tom. II*
Script. Brunſu. Leibn. pag. 204, 498, 896, *Tom. III pag. 334.*
198. Sequitur *Meletema Matth. Belii de Lingua Hungarica peregri-*
nitate, putantis, Hunnos, Abares, & Hungaros, exſtitiſſe eas-
227 ſeq. dem gentes. Adjecta eſt *Georg. Godofr. Küſteri* Commenta-
tiuncula *de Pago veteris Marchiæ Belkesheim*, ex fluvio *Bal-*
ſam, ad Arneburgum fluente, dicto. Inſertæ ſequuntur non-
nullæ *Eclipſis Solaris*, obſervatæ Berolini a Cl. *Kirchio* d. 13

Maji

Digitized by Google

Maji A. 1733, & *Andrea Celſio*, ac D. *Chriſtophoro Langhanſio* Regiomonti, nec non D. *Jo. Frid. Weidlero* Vitembergæ, die eodem, recenſiones. Subjuncta eſt differentia meridianorum inter Berolinum & Regiomontum, deducta a Cl. *Kirchio*, nempe 29′, 9″, ſuppoſita elevatione Poli Regiomontana 54°, 43′. *Alphonſi des-Vignoles Parergon Sinicum* exponit rem Calendarii Sinici haud unam. Promovemus gradum ad *Partem tertiam*, eique indita tum Phyſica, tum Medica, capita. Præcedit *Davidis Hermanni*, Paſtoris Maslenſis in Sileſia, *Idea Schediaſmatis de Conchitis Maslenſibus*. Compendium hic legitur decerptum ex Schediaſmate, quod Autor A. 1729, 4, Maslæ imprimi curaverat, inſcriptum D. *Franciſco Erneſto Bruckmanno*, ſub titulo: *Monumentum gratitudinis marmoreum, conchitibus Maslenſibus expreſſum*. Curioſæ & copioſæ utilitatis eſt, quæ ſequitur, Generoſiſſimi & Venerandi *Alphonſi des-Vignoles*, Claſſis Mathematicæ Directoris, Hiſtoria optica de variis oculorum ſuorum incommodis, Gallice & Latine explanata, ac Obſervationi *Mich. Matthiæ Ludolfi*, M. D. *de Viſu per ſpontaneum cataracta deſcenſum reſtituto*, hic adjectæ, præmiſſa. Deinde demonſtrat *Caſpar Neumannus*, *Sirupi violarum commixtionem ad probanda liquida non eſſe ſufficientem, ſed fallacem*, idque præſtat & fuſe & ſolide, experimentis ſufficientibus adductis. Idem *Correctionem olei ſeminis raparum* examinat, inſtitutam a D *Jo. Hartm. Degnero* in *Collect. Uratisl. A. 1725 pag. 208 ſeq.* Sequitur *Abrahami Vateri Diſſertatio Epiſtolica* de *Ductuum lacbrymalium ſubpalpebralium vera conſtitutione, ac viarum lacbrymas ad nares derivantium, diſpoſitione*. Oſcula ductuum ſubpalpebralium primus detexit *Meibomius*, Juliæ Profeſſor, in Epiſtola ad *Langelottum* de vaſis palpebrarum novis. Eam Exercitationem excipit *Jo. Jac Schillingii* ſeries *Obſervationum & Experimentorum de vi electrica vitri aliorumque corporum*. Statuit Vir Experientiſſimus, cuique corpori electrico circumdatam eſſe atmoſphæram materiæ viſcidæ, frigore condenſabilem, calore dilatabilem. Alii ſunt in ea hæreſi, frictu & motu aerem incluſum & permeantem fere eva-

Pag. 244. | 245 ſeq. | 249 ſeq. | 258 ſeq. | 310 ſeq. | 321 ſeq. | 327 ſeq. | 334 ſeq.

Digitized by Google

cuari ob rarefactionem; ceſſante vero rarefactione aerem ad poros relabi, ac æquilibrium aeris reſtituere. Sequitur *Ex-*
Pag. 343 ſeq. *cerptum ex literis Cel. de L'Iſle*, ex Gallico converſum, *continens novam ejusdem rationem conſtruendi thermometra menſuræ conſtantis & univerſalis*. Scriptæ ſunt literæ Petropoli d. 22 Mart. A. 1733 ſt. vet. Provehitur hic ad majorem perfectionem methodus *Fahrenheitiana*. Sequitur *Deſcriptio Hyetometri, in Societatis Regiæ uſum ab Auguſtino Griſchov adornati*, una cum Sexennio Obſervationum Hyetometricarum, Berolini ab
349 ſeq. eodem habitarum. Diligentia Collectorum tranſit deinceps
377 ſeq. ad *Jo. Theodori Elleri Obſervationem de Ingenti Mariſca, ſeu Sycoſi, intra ſinum pudoris enata*. Ejusdem induſtria exhibet porro *Calculi veſicæ membrana cincti vel incluſi generationem, theoretice illuſtratam, & practice comprobatam*.
381 ſeq. Utiliſſima hic ſane panduntur obſervata, ſed quæ citra figuras adjectas vix dextre comprehenderis. Ultimo pæne loco obvia eſt C. M. D. *Relatio de oſſibus Joſſenſibus*, ſic dictis a pago Joſſæ inferioris in finibus Occidentalibus Principatus Hersfeldenſis. Autor eo propendet, figuras piſcium & oſſiculorum in terræ cavernis hodieque generari. Agmen claudunt tres Obſervationes *Jo. Leonhardi Friſchii*, Viri ſane perquam
392. induſtrii, una *de muſtelæ fluviatilis rapacitate, & de tæniis in*
393 ſeq. *ſtomacho hujus piſcis deprehenſis*, altera *de lumbricis in locuſtis*, tertia *de tæniis in piſciculo aculeato*, vulgo *Steckerling* vocato. Optamus, ut Autoribus vita & valetudo ac conſimilia porro enitendi cupiditas abunde ſuppetat in orbis literariæ uſum propriamque gloriam.

A DISCOVERY OF THE TRUE CAUSE OF the wonderful multiplication of Corn, &c.

h. e.

VERA CAUSA ADMIRANDÆ MULTIPLICATIONIS FRUMENTI DETECTA, una cum Obſervationibus nonnullis generalibus de natura Arborum & Plantarum;

Digitized by Google

rum; Autore D. WOLFIO, Membro Societatis Regiæ Londinenſis & Berolinenſis, & Profeſſore Matheſeos in Academia Marburgenſi.

Londini, apud Jo. Roberts, 1734, 8 maj.

Plag. 4.

Tractatum hunc Cel. Autor conſcripſit idiomate Germanico, unde in Anglicum tranſtulit *Anonymus*. Prima ejus Editio prodiit A. 1718, quam recenſuimus in *Actis* ejusdem anni *pag.* 187 *ſeq*. Secunda vice Tractatus idem lucem adſpexit A. 1725 cum Appendice, ubi inprimis aliorum experimenta recenſentur, quibus inventum Autoris confirmatur. Interpres Appendicem non adjecit, forſan quod alteram editionem non vidit. Cum Anonymus quidam, inſtitutum Cel. Autoris non ſatis capiens, varias Objectiones propoſuiſſet, ipſe ad easdem in peculiari Schediaſmate reſponderat A. 1719: quæ Reſponſio recuſa A. 1730, propterea quod in eadem continentur non modo, quæ ad illuſtrandum Tractatum faciunt, verum etiam quæ theoriam vegetationis illuſtrant. Quamobrem non male conſuluiſſet Interpres Lectori ſuo, ſi per modum Notarum ſingulis Capitibus adjiciendarum notatu digna inde excerpſiſſet.

VIRI ILLUSTRIS, GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII, Epiſtolæ ad Diverſos, Theologici, Juridici, Medici, Philoſophici, Mathematici, Hiſtorici, & Philologici argumenti. E MStis Autoris cum Annotationibus ſuis primum divulgavit CHRISTIANUS KORTHOLTUS, A. M. Ordinis Philoſophici in Academia Lipſienſi Aſſeſſor, & Collegii Minoris Principum Collegiatus.

Lipſiæ, ſumtibus Bernh. Chriſtoph. Breitkopfii, 1734, 8.

Alph. 1 pl. 3.

Viros

Digitized by Google

Viros meritis graves, ideoque laude dignos, Muſa vetat mori. Meruit omnino ſumma, recondita, & multiplex Ill. *Leibnitii* dignitas, doctrina, & ſcientia, qua olim effulſit, ut immortalitas memoriæ ipſius continuis accendatur ſtudiis, & igne deſiderii haud unquam intermorientis alatur. Suppeditavit æquiſſimo illi deſiderio materiam novam Cl. Editor, qui, hoc Libro partem Epiſtolarum *Leibnitii* complexus, reliquias earundem in poſterum emittendarum liberaliſſime promiſit. Inſcripſit hunc Faſciculum, literis Londino datis, *Carolo Friderico*, Hæredi Norvagiæ, Sereniſſimo Sleſvici Holſatiæque Duci. Præfatio doctrinam ſpirat egregiam, & rationem inſtituti percenſet. Theſaurum hunc Epiſtolicum colligere cœpit Cl. Editoris parens, *Sebaſtianus Kortholtus*, Academiæ Holſaticæ Senior, atque Eloquentiæ & Poetices Profeſſor Ordinarius, elogio noſtro quantocunque ſuperior. At ipſe, quo minus editionem curaverit, impeditus fuit ſcriptorum propriorum elaboratione. Filius igitur lampada ſibi a patre traditam nitide ornavit, ornatamque publicæ utilitati expoſuit. Non omnes Literas *Leibnitianas* hic cum orbe erudito communicat Autor; primi duntaxat Voluminis, a ſeſe poſſeſſi, copiam hic facit. *Leibnitius*, etiam cum errat, docet. Nullam contemſit diſciplinam, ſingulas amavit, cultores omnium pro viribus erexit & provexit. Hoc vel ex hiſce perſpicitur literis, quarum [illegible] ad D. & Theol. Profeſſ. Helmſtadienſem, *Joannem Fabricium*, Abbatem Luteræ Regiæ, ab A. 1697 uſque ad A. 1716 fuerunt datæ, quæ tantum non omnes Theologici ſunt argumenti, & de conſenſione doctrinarum Lutheranos inter & Reformatos, quin imo inter Proteſtantes & Pontificios, concilianda fuſius agunt. Prenſabant doctiſſimi Pontificiorum *Leibnitium*, eique admodum blandiebantur. Ex hac aliiſque cauſis philoſophicis redditus fuit eorum ſtudioſior, eundemque animum Duci Sereniſſimo, *Antonio Ulrico*, inſpiravit, annuente *Calixto*, Juniore, qui promiſcue approbavit, quæ pater, momentis belli tricennalis obſeptus, liberalius ad ſervanda Academiæ ſua jura docuerat. Acceſſit Duumviris *Joannes Fabricius*, Vir multæ lectionis, apparatu Hiſtoriæ literariæ inſtructus, qui, ne ſibi deeſſet

eſſet, durum ſeſe iis præbere noluit, qui poterant obeſſe. Quam vellemus, Cl. Editori patuiſſe reliquas *Leibnitii* Epiſtolas, ad *Jo. Andr. Schmidium* & *Jo. Fabricium* conſcriptas! Quod ad irenica cum Pontificiis conſilia, reſpectu Auguſtiſſimæ Imperatricis, ad eos progreſſæ, attinet, occultiſſima momenta ex *Joannnis Nikampii* Hiſtoria ejus temporis MSta, ex conſiliis Theologicis, tum hinc inde communicatis, & ab Abbate Riddageshuſano, *Chriſtiano Specbtio*, collectis, ad alienas manus dilapſis, quorum partem clanculum edidit *Joannes Fabricius*, nec non ex literis Sereniſſimi *Antonii Ulrici* ipſis, ſunt addiſcenda. Verum hæc verſantur adhuc intra penetralia Veſtæ. Ægre ferent nonnulli, arcanas, easque irenicas, Epiſtolas hic evulgari. Sed ipſe *Leibnitius Epiſt.57 §. 2* ſub certa ſuaſit lege Epiſtolarum harum editionem, in uſum poſteritatis. Pag. 84. Ipſe ſibi non plane conſtitit ratione conſenſionis Eccleſiaſticorum dogmatum, cum Pontificiis inſtituendæ: nunc enim mitius de erroribus Pontificiorum judicat, & diſſenſum dari ſolidum exitioſumque negat; nunc, peccatum eſſe minime excuſandum, ſi quis, de veritate religionis Evangelicæ convictus, ad Pontificiam tranſeat, dictitavit. In Reſponſo A. 1706 Ducis Sereniſſimi nutibus attemperato ita tepuit, ut videatur uno ore flare & ſorbere ſimul voluiſſe. De Reformatis Doctoribus mitiſſime cenſuit, ac tantum non omnes eorum ſententias in optimam partem fuit interpretatus. Conſenſionem ejusmodi, generatim ſumtam, quis vituperet? Diſtinguendum inter conſilia ſincera & eventum. De negotio irenico tandem A. 1708 deſperare cœpit. Eo certe tempore *Fabricium* fortuna inclementior afflixerat, & Anglis ipſis conſilia *Leibnitii* videbantur incongrua & juſto manſuetiora. Vela tum vertebat *Leibnitius*, & vix ac ne vix quidem Abbatem *Joannem Andream Schmidium*, ingenii timidiſſimi Virum, tuebatur, quo minus & hic de ponte dejiceretur. Trepidas tum *Schmidius* elaboravit ad Virum Illuſtrem literas; & Ven. *Fabricius* totus in eo fuit, ut publice ea negaret, quæ privatim conſultaverat, & quæ, ſpe reſtitutionis decollante, denuo approbavit, & ad vitæ exi-

Digitized by Google

tum uſque confirmavit. Si quid judicando aſſequi poſſumus, credibile eſt, *Leibnitium* majoris fuiſſe habitum, ni voluiſſet videri Theologus. Quid enim de doctrina Chriſtiana ſtatuerit, haud occulte in Præfatione ad *Theodicaeam* præ ſe tulit. Sed hac quoque lege docuit ſuis exemplis Vir illuſtris, quid imitandum ſit, quidve fugiendum. Dabimus
Pag. 4. nonnulla, eaque potiora, ex Epiſtolis ipſis. Expetiit Vir tantus, ut exſtaret iter Gallicum, quale de Anglia & Belgio *Benthemius*, & de Italia *Joannes Mabillonius* & *Joannes Fabricius*, conſcripſerint. *Rudolphus Auguſtus* Sereniſſimus MStum Verſionis Biblicæ *Saubertinum* ægre cum quoquam
6. communicavit. Transſylvaniæ incolas nonnullos Saxonicos invitamentis Regum, commercia ſtabilientium, allectos eo
8. acceſſiſſe, veroſimillimum. Cingaros *Wagenſeilius* a Judæis, ubique Germania pulſis, ingenioſe derivavit. *Typeltinus* eos ita deſcripſit, ut nil reſtet, quod Judaiſmum
12. ſapiat. *Joannem Ludovicum Fabricium*, Heidelbergenſem, *Leibnitius* vocat Virum doctrina & judicio valentem, Electori ſuo carum, qui ſcripſerit de perſona Chriſti, & ſub nomine *Jani Alexandri Ferrarii Euclidem catholicum*, id eſt,
15. elegantem in Pontificios luſum. In priori Libro omnia ſe
16. *Gerhardi* fere ſententia explicaſſe dicitur. *Leibnitius* putat, in omni Republica, adeoque & in Eccleſia Chriſtiana, jure exiſtere ſupremum Magiſtratum, ſive is in una conſtat perſona, ſive in pluribus, quarum una ſit præſes. Eam prærogativam conceſſit Pontifici Romano in Libro de *Jure Suprematus ac Legationis Principum Germaniæ*, & in
20, 21. Præfatione *Codicis Juris Gentium* præfixa. Illud ipſum Jus Monarchicum in Eccleſiam Chriſtianam gubernandam appellat divinum, neſcimus, qua ſignificatione vocis & poteſtatis, certe non ea, quam reperis *Luc. XXII, 24 ſeq.* Veritatis enim nota non quærenda eſt in arbitrio hujus vel illius. Nec via ad cœlum tam occultis perſcripta eſt doctrinis, ut eam quivis, mentis compos, e ſacris literis depromere & tenere haud poſſit. Et cur ovium eſt, fugere paſtorem

ad

Digitized by Google

ad avia deducentem? Cur quemque oportet rationem pro ſe-
ſe reddere? Cur omnes fratres debebant doctrinas probare
& diſquirere, ac meliora retinere? Cur Corinthiorum erat,
ea, quæ *Paulus* docebat, dijudicare? ſi unus Epiſcopus fidem
omnium moderatur, & in arbitrio ſuo continet. Hæc probe
intelligens *Leibnitius*, ad cerimonias & ſacra externa Mo-
narchiam Eccleſiaſticam alligandam cenſuit, præterea præ-
rogativas Romanæ ſedis eſſe juris humani exiſtimavit. *Aug.*
Herm. Franckii conatus in rem augendam literariam, eamque Pag. 20 ſeq.
piam, laudantur, ſingularia Pietiſtarum dogmata haud æque.
Corpora vi actrice inſita non videntur ſpolianda, licet ea 25.
ad leges mechanicas exſeratur. *Chriſtophorus Sturmius* 27 ſeq.
verbis, non re, diſſenſit, a Metaphyſica ſublimiori haud pa-
ratus. De gratia Dei, per quam homo ad fidem move- 32 ſeq.
tur, tum externa, tum interna, varia afferuntur non con-
temnenda. Ubique intexuit Cl. Editor animadverſiones &
illuſtrationes ſuas, tum literarias, tum Philoſophicas, tum
Theologicas. Solida eſt tractatio ejus de conſolatione 35 ſeq.
animæ, ex abſoluto decreto profecta, vel proficiſci non va-
lente. *Guilielmi Forbeſii Conſiderationes Controverſiarum* 38.
primus *Joanni Fabricio* prædicavit *Leibnitius*. *Calvinus*
acriter urſit realem ac ſubſtantialem perceptionem corporis 41, 43.
& ſanguinis Chriſti in ſacra cœna, dimenſionalem nega-
vit, ut nuper fere Cl. *Cantzius* noſtras, dummodo *Leibni-*
tio credamus. *Cantzio* accedit Cl. Editor *pag.* 47. Quis ſit 52.
Hippolytus a Lapide, *Leibnitius* exquirere non potuit. *Pau-* 54.
li Sarpii Latinam Hiſtoriæ Concilii Tridentini tranſlationem
adornavit *Adamus Neutonus*, Scotus, Ephorus ſtudio-
rum Principis primum ex *Jacobo I* geniti. Ephemerides
menſtruæ, quæ ineunte hoc Seculo Hannoveræ formis pu-
blicis fuerunt deſcriptæ, nec penitus opera *Leibnitii*, nec ſine eo,
vulgatæ ſunt. Ipſe enim eas adjuvit, tum communicando ra- 74.
riora, tum revidendo, dum domi erat, impreſſa. Reſpon-
ſum Jenenſe contra eos, qui alios Pietiſtarum nomine diſ- 79.
famant, laudatur ad A. 1702. *Arcanum regium* cum Au- 87, 91.
tore ſuo *Winklero* improbatur. Cl. *Calværii* prædicatur do-

 ctri-

Digitized by Google

ctrina *pag. 96.* Optatur, ut *Sebaſtiani Edzardi,* conſilio irenico inſultantis, juvenis tum Hamburgenſis, coerceatur apud magiſtratum petulantia. Concionatores Aulicos, *Joannem Nikampium* & M. *Knopfium,* in publica correptione omnes
Pag. 99. prudentiæ non minus, quam æquitatis, exceſſiſſe limites Guelferbiti, judicat *Leibnitius.* Alii ſecus judicarunt. *Jacobus Fridericus Reimannus,* tum Paſtor Primarius Ermeslebienſis, laudatur, Abbati *Jo. Andreæ Schmidio* in deliciis.
110. Opus Apocataſtaſeos *Peterſenii* laudatur. Reſponſum, quod
113 ſeq. *Joannes Fabricius* cum uno & altero A. 1708 de promiſſo ad Pontificios tranſitu fabricaverat, Jeſuitæ ephemeridibus
116 ſeq. Trivultinis eodem anno *pag. 900 ſeq.* inſeruerunt. Proteſtationem edebat ordo Theologicus, labemque adſperſam abluere conabatur. Copioſus in hiſce *Leibnitius.* Cl. Editori
129 ſeq. conſilia Theologorum Helmſtadienſium fuerunt ignota, qualia A. 1706 de tranſitu ipſo ad Sereniſſimum *Antonium Ulricum* miſerunt. Pleraque edidit poſtea *Jo. Fabricius,* & *Chriſtianus Thomaſius* in *Gemiſchten Juriſtiſchen Handeln* de eis libere ſatis ſenſa animi aperuit. Pleraque tamen adhuc latent ob rationes notiſſimas, quæ tamen evulgabuntur tandem, ex quo ſemel e ſcriniis defuncti Abbatis *Speccii* avolarunt, & ad plurium manus pervenerunt. *Thomas des Jardins,* Dominicanus Lovanienſis, ſuæ religioni exi-
142. tioſum duxit Reſponſum, Helmſtadienſibus vulgo attributum, quod tamen Pontificiis maxime favet. *Leibnitium* doctrinæ de apocataſtaſi omnium faviſſe, patet tum ex elogiis, in *Peterſenium* congeſtis, tum ex argumentis, *Uraniadi* ſuppeditatis. Alibi tamen ſubdubitat, & apocataſtaſin recuſat facere ſuam. Ipſius *Commentatio de Anima brutorum*
149. hic apparet integra *pag. 189 ſeq.* & tot præterea hic occur-
156. runt Phyſica, Medica, Juridica, Hiſtorica, & Mathematica memoratu digna, ut fruſtra eſſemus, ſi ſingulorum potiſſima ſignificare luberet. Quare Cl. Editori ob Epiſtolas in lucem emiſſas, & exquiſitiſſimas adjectas illuſtrationes, merito agimus gratias, apprecantes ei Numen propitium, quo plura ejusmodi edere queat.

NOVA

Digitized by Google

NOVA LITERARIA.

Parat jam Pariſiis ſenex octogenarius, *Bernardus de Montfaucon*, Opus magnum & ad omnem poſteritatem illuſtre, brevi proditurum duobus Voluminibus formæ majoris, hoc cum rubro: *R. P. D. Bernardi de Montfaucon, Mon. Bened. e Cong. S. Mauri, Bibliotheca Bibliothecarum Manuſcriptorum nova, ubi, quæ innumeris pæne Manuſcriptorum Bibliothecis continentur, ad quodvis literaturæ genus ſpectantia & notatu digna, deſcribuntur & indicantur: cum Indicibus locupletiſſimis.* Pretioſiora & utiliora in quovis genere *μαθήσεως*, quæ in Europa Bibliothecis & in literatorum muſeis hactenus latuerunt, hoc Opus indicabit, & ad uſum orbis literarii nota faciet. Inter has autem Bibliothecas bene multæ ſunt, quæ nuſquam memoratas Hiſtorias, Codices ſingulares, Chartas & Chartularia, demumque Opera multa, quæ, licet occulta jam obſcuraque ſint, non minoris tamen pretii ſunt; quæque fortaſſe nunquam in lucem perventura erant. E re igitur fuit, illa omnibus patefacere, & loca, ubi latent, indicare, ut cuivis ea perquirendi facultas ſit. Ea mente Cel. Viri Manuſcriptorum Codicum, qui in Bibliothecis quibusdam exſtabant, Catalogos edidere, idque tam felici exitu & tanto fructu, ut hinc augurari liceat, quam utile futurum ſit Opus, ubi non modo ea, quæ in jam cuſis Bibliothecis, ſed etiam quæ in innumeris pæne aliis notatu digna ſunt, indicantur. In Præfatione ſua hujus Operis Autor enarrabit, quanto labore, quibus modis per annos plus ſeptem & quadraginta ſeſe ad tantum edendum Opus apparaverit. Noſtrum eſt, quæ in toto Opere continentur, declarare. *Primus Tomus* Bibliothecas Italiæ complectetur, initiumque ducetur a Vaticana celeberrima illa Bibliotheca, cujus Manuſcriptos Codices bene multos per biennium integrum evolvit, atque amicorum etiam ope, quæ in illa præcipua erant, poſtea recepit. Aliarum quoque pæne omnium Romanarum Bibliothecarum Catalogos huc retulit, quorum maximam partem ipſe manu ſua concinnaverat; item Bibliothecarum Montis-Caſſini & Neapolis civitatis, Bi-

bibliothecæ etiam Laurentianæ, Florentinæ, quæ inter celebriores ex Manuſcriptorum præſtantia numeratur, & ab Autore ipſo diu frequentata fuit, qui ex rarioribus Codibus multa excerpſit ſuo loco ponenda. Qui ſequitur autem ejusdem Bibliothecæ Catalogus peramplus, a duobus Viris doctis decennii ſpatio concinnatus fuit, quem Catalogum *Coſmus III*, Magnus Hetruriæ Dux, perhumaniter Autori miſit exſcribendum. His adduntur Bibliothecæ aliæ Florentinæ, quarum quædam Manuſcriptorum pretio inſignes ſunt. Has excipiunt nonnullæ Bononienſes, & Ceſenatenſis illa, quæ olim Malateſtarum fuerat; item Archivium Ravennatenſe, triplo auctius eo, quod in Hiſtoria Ravennatenſi cuſum fuit. Sub hac accedunt & Catalogus Codicum MStorum, quos Cardinalis *Beſſario* Senatui Veneto dedit; & ceteræ Venetæ Bibliothecæ, quarum Catalogos Autor ipſe adornavit. His adduntur Bibliothecæ Patavinæ, Veronenſes, Ducis Mutinenſis, *S. Benedicti de Padolirone*, celebriſque illa Bibliotheca *Ambroſiana* Mediolanenſis. Italicis Bibliothecis Germanicæ ſuccedunt, quarum prima eſt Cæſarea; exque *Lambecii* & *Neſſelii* Catalogis meliora quæque excerpta fuere, ſimiliterque ex Bibliotheca Auguſtana, ex Bavarica, & aliis Germanicis. His jungitur Catalogus Hiſpanæ Bibliothecæ Scorialenſis. Agmen claudent in hoc *primo Tomo* Bibliotheca Regis Angliæ, ceteræque Anglicanæ. *Tomus* vero *ſecundus* Gallicanas complectetur Bibliothecas. Præit autem Regia, omnium, quæ unquam fuere, ampliſſima præſtantiſſimaque. Hanc *Carolus V* Rex in Lupara prior exſtruxit. *Carolus VI* & *Carolus VII* auxere, *Franciſcus* vero primus, pater inſtauratorque literarum, Manuſcriptis Latinis, Græcis, aliiſque, locupletavit. Subſequentes Reges plurima addidere. *Ludovicus* vero *Magnus* tot incrementa adjecit, ut præſtantiſſimas Europæ Bibliothecas & pretio & numero ſuperaret. Verum nulla unquam tanta fuerat acceſſio, quantam nunc videmus breviſſimo tempore factam, curante Franciscæ rei adminiſtro, Eminentiſſ. Cardinale *de Fleury*, qui, jubente Rege, Viros duos eruditione præſtantes miſit in Orientem, qui Manuſcriptos Codices Græcos, & alios Orientalium linguarum, perquirerent & compararent. Illi autem cum ampliſ-

ampliſſima meſſe reverſi ſunt, Orientalium, ut ita dicamus, ſpoliis onuſti. His adjuncta eſt etiam Bibliotheca Manuſcriptorum Colbertina, inter ampliſſimas numeranda; nec non Bibliotheca *S. Martialis* Lemovicenſis, & aliæ; ita, ut triennii ſpatio fere decem millia Manuſcriptorum Codicum in Regiam Bibliothecam induxerit, qui cum aliis juncti ad triginta trium millium numerum pertingunt, inter quos quater mille Græci comparant. Nulla certe Bibliotheca tot inſtructa Codicibus viſa fuit, ne excepta quidem Ptolemaica. Regiam ſequetur Sangermanenſis Bibliotheca, quæ nunc inter præſtantiſſimas Europæ cenſetur. Harum Catalogos excipient Bibliothecarum Gallicanarum plus quam ſeptuaginta Catalogi. His tot tantisque Catalogis conſtabit Opus, nec ſine ſtupore lectorum tanta ſupellex diſpicietur, ubi non Manuſcriptorum modo numerus deſcribitur, ſed etiam multorum ætas & pretium plerumque indicatur. Qui emendandis Latinis, Græcis, & Hebraicis Scriptoribus dant operam, Indicum ope hic, quot Manuſcripti in ſingulos Scriptores, & in quibus exſtent Bibliothecis, ſtatim perſpicient. Hic innumeri Autores in omni genere *μαθήσεως* occurrunt, de Philoſophia nempe, Mathematicis, naturali Hiſtoria, Medicina, Chymia, Aſtronomia, Aſtrologia, &c. Hiſtoriæ Scriptores veteres, recentiores, anonymi, & alii, ſæpe ignoti; Hiſtoria generalis, Hiſtoria quoque Nationum, Regnorum, Rerumpublicarum, Regionum, Urbium, Eccleſiarum, &c. Chartæ veteres, Chartularia, Chartæ cenſuum & terrarum; quæ curias Senatuum ſpectant & Cameras computorum, &c. Uno verbo omnia, quæ ad rem literariam, ſacram, profanam, cujusvis generis, pertinent, hic enuntiata occurrent; multaque Opera, hactenus ignota & admodum utilia, hic haud dubie reperientur. Ut facilioris uſus eſſet hæc Bibliotheca, ampliſſimi duo Indices concinnati ſunt. Prior, in fronte *primi Tomi* poſitus, ſecundum materiam omnia & ſingula minutatim indicabit; alter in fine *ſecundi Tomi* ordine Alphabetico omnia proferet cum paginarum numeris. Sperandum autem eſt, plura in Opere repertum iri, quam nos hic breviter annuntiamus. Opus *duobus* in folio *Tomis* conſtabit, quorum ſinguli ducenta viginti

ginti

ginti quinque circiter folia complectentur. Character ille eſt, qui *Cicero* ſelectus appellatur. Charta nitidiſſima erit, & quæ oculos paſcat. Bibliopola jam magnam *primi Tomi* partem edidit; folia typis data apud illum diſpicere cuique licebit. Totum Opus cuſum emtoribus tradetur ineunte A. 1736. Pretium Operis erit quinquaginta librarum; ſed minuetur in gratiam illorum, qui, priusquam in lucem prodeat, exemplaria ſibi retinere voluerint. Comparaturi ſibi Opus egregium, ſolvent Typographo (ſed cujus nomen ignotum nobis,) libras 24 hoc ipſo tempore, addituri his alias 12, ubi liber fuerit vulgatus.

Poſteaquam *Tomus I Notitiæ Hungariæ Novæ Hiſtorico-Geographicæ* Cl. Viri, *Matthiæ Belii*, typis expreſſus eſt, certiores ea de re facere, admonereque decet hos, qui, prænumerato in eundem hunc *Tomum* ære, factos in impreſſionem ſumtus ſublevarunt, ut memoratum *Tomum* hoc ipſo tempore recipere, ſimulque in *ſecundum*, qui jam exprimi cœpit, florenos 8 prænumerare dignentur. Cum vero pauca adhuc ſuperſint exemplaria *Tomi* hujus *primi*, quæ iis, qui tempore & occaſione prænumerationis exciderunt, ea lege permittenda ſtatuit Editor, ut pro dicto quidem Volumine flor. 10 ſolvant, in futurum autem deſignatos flor. 8 eodem tempore prænumerent; id quoque eruditis & Hiſtoriæ amantibus ſignificandum ducimus. Qua quidem opportunitate eo promtius uſuros ſperamus Lectores, quod *Tomus* idem flor. 12 poſtea venundabitur. Fieri autem prænumeratio iisdem locis, & apud Fautores eosdem, poteſt, apud quos facta eſt antea. Moram, quam excuſioni *Tomi* hujus fere inexſuperabilia impedimenta, nulla tamen Cl. Autoris culpa, injecerunt, eo prænumerantes ferent æquius, quod duobus Alphabetis, quam erat promiſſum, auctius Opus ſint accepturi, cum ſpe haud dubia, *Tomum ſecundum* circa feſtum Michaelis diem, ſeu ipſis nundinis Lipſienſibus autumnalibus, proditurum omnino.

Tomi primi Supplementorum ad Nova Acta Eruditorum haud ita pridem publicatæ ſunt *Sectiones VII, VIII, IX, X & XI.*

*)o(*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCXXXV.

NOTITIA HUNGARIÆ NOVÆ HISTORICO-Geographica, diviſa in Partes quatuor, quarum prima Hungariam Cis-Danubianam, altera Trans-Danubianam, tertia Cis-Tibiſcanam, quarta Trans-Tibiſcanam, univerſim XLVIII Comitatibus deſignatam, expromit; Regionis ſitus, terminos, montes, campos, fluvios, lacus, thermas, cæli ſolique ingenium; naturæ munera & prodigia, incolas variarum gentium, atque harum mores, Provinciarum Magiſtratus, illuſtres Familias, urbes, arces, oppida & vicos, propemodum omnes, ſingularum præterea ortus & incrementa, belli paciſque converſiones, & præſentem habitum, fide optima, accuratione ſummâ, explicat. Opus, huc uſque deſideratum, & in commune utile, Sacratiſſimis auſpiciis CAROLI VI, Cæſaris & Regis indulgentiſſimi, elaboravit MATTHIAS BEL. Accedunt SAMUELIS MIKOVINII Mappæ ſingulorum Comitatuum, methodo Aſtronomico-Geometrica concinnatæ.

Tomus I.

Viennæ Auſtriæ, impenſis Pauli Straubii, 1735, fol. Alph. 7 pl. 19, cum Tab. æn. 1, & Mappis Geograph. 2.

Tandem, quod literato orbi, & Hungariæ inprimis, florentiſſimæ regioni, bene vertat, eluctata innumerabiles difficultates *Beliana* Muſa, quam ante hos duodecim annos cœperat feliciſſimis auſpiciis, telam pulcherrime pertexuit, Operisque præſtantiſſimi, cujus Prodromum jam A. 1723 publicatum, laudatumque in his *Actis A.* 1724 *Menſ. Mart. pag.* 99 *ſeq.* recordamur, applaudentibus bonis omnibus foras prodire *Partem primam* juſſit. Quæ cum externo partim ornatu oculos omnium alliciat, partim rerum bonarum apparatu inſtructiſſimo ingenia animosque paſcat; eorum fore haud paucos prævidemus, qui Operis tam elucubrati *Partes* reliquas impatienter expectent, & moram quantulamcunque moleſtiſſime ferant. In tanto Scriptorum numero, qui veteris Hungariæ Hiſtoriam Commentariis ampliſſimis complexi ſunt, ipſamque gentis originem, viciſſitudines inſignes, bella cum finitimis populis geſta, denique conſuetudines ritusque varios, literarum monumentis commendarunt, deſideratiſſima fuit induſtria Scriptoris ejusmodi, qui illas veteris ævi reliquias adhuc exſtantes in unam ullam colligeret, hodiernam regionis faciem in quadam velut tabula delinearet, ſingularum ditionum ſitum accurate definiret, harumque terminos diſtingueret, recentioris ætatis res geſtas explicaret, cumulatiſſima naturæ munera, vix ulli alii genti tam liberaliter conceſſa, abditiſſimis terræ venis excuteret, &, quod maximum putari poteſt, imperantium potentiam, civium felicitatem, extolleret. In quibus omnibus ſi, poſt alias aliorum curas, aut primum, aut certe reliquis omnibus longe felicius, verſatum *Belium* dicamus, minime nos fallat amor Viri, nec niſi meritis ſuis debitam is a nobis laudem ferat. Sed, ut, talia perficere, magni utique laboris, ſumtibusque hominis privati major, res fuit; ita ſplendidiſſimis & immortalibus præconiis celebranda utique videtur Auguſtiſſimi Imperatoris, *Caroli VI*, clementia, cujus quippe nutu benigniſſimo aditus Autori patuit ad illuſtriſſima Hungarorum tabularia, & ipſa Operis jam publicati venditio adverſus ſordida hominum iniquiorum conſilia lege ſeveriſſima munita eſt. Cujus beneficii, vere Imperatorii, magnitudinem condignis laudibus

bus proſequitur politiſſima & prorſus magnifica Autoris ad Imperatorem Epiſtola, collocata in limine Operis, & quam jure ſuo pulcherrimi palatii regale propylæum dicas. Univerſi Operis qualem ſibi Cl. Autor formam ſcripſerit, vel ex his, quæ ipſi ejus fronti inſcripta ſunt, abunde intelligis. Geographis ea eſt Hungariæ in ſuas partes dividendæ ratio, ut aliam Cis-Danubianam, aliam Trans-Danubianam, Cis-Tibiſcanam aliam, aliam denique Trans-Tibiſcanam, nuncupent. Eundem in dicendo ordinem ſecuturus Cl. Autor, dabit in manus noſtras Hiſtoriæ Hungaricæ *Partes quatuor*, ſed quæ *Tomos ſex* implebunt. Itaque *Tomo* hoc *primo* exhibet Hungariam Cis-Danubianam, hujusque eam tantum partem, quæ Comitatum Poſonienſem abſolvit. Ea vero cum largam inprimis dicendi materiam præberet Autori doctiſſimo, quippe regionis hujus res civiles & naturales præ ceteris cognitas habenti; factum hinc eſt, ut magnam eorum, quæ huc ſpectabant, portionem, inprimis quæ de ſitu regionis dicenda videbantur, reſervanda duxerit in *Tomum* proxime ſecuturum. Qua in re ſi qua eſt culpa Cl. Autoris, redit ea omnis ad incredibilem ejus induſtriam, ſtudiumque inveſtigandi minutiſſima quæque, & fabulas omnes ex Hungariæ Hiſtoria penitus eradicandi. Poſuit enim haud vulgarem in eo curam Noſter, ne quid temere prætermitteret, quod eſſet cum gentis potentiſſimæ gloria aliqua conjunctum, nec ea tantum, in quibus ſitum eſſet momentum præcipuum, ſed leviſſima etiam, teſtimoniis Scriptorum partim, partim, ſi id fieri poſſet, Diplomatum, corroboraret. Quæ, ita diligenter nec ſine multis vigiliis contexta, hoc majorem Lectorum fidem merentur, quod ab ipſo Comitatus Poſonienſis & ditionum ei ſubjectarum Magiſtratu ſupremo, priusquam ederentur, ad veritatis obruſſam, ne quid falſi ſubreperet, diligentiſſime ſunt exacta. Accedit præterea *Beliano* huic Operi decus inſigne & prorſus ſingulare a Mappis Geographicis, aut univerſæ regionis, aut ſingulorum Comitatuum, faciem accurate eleganterque exprimentibus, nec pro ingenio, ut ſolent plerumque vulgares illi Tabularum ejusmodi conditores, ſed ad Geometricas & Aſtronomicas, quin & Magneticas, Hydrographicasque leges

non ſine labore multo deſcriptis. Delineavit has dexterrima manus *Samuelis Mikovinii*, Nobilis Hungari, & Regiæ Societatis Scientiarum Boruſſicæ Sodalis, qui, privato primum inſtituto, poſtea publica Imperatoris Auguſtiſſimi conceſſione, totius regni Hungarici dimenſionem ſuſcepit, & hoc ipſo adhuc tempore laborem hunc impigre proſequitur. Cujus ut aliquis ſive ad noſtri temporis eruditos, ſive ad omnem poſteritatem, fructus redundaret, quicquid dimenſionum ſuarum in Tabulas redegit, commode cum immortali hoc *Hungariæ nova* Opere conjunxit, ita, ut *Tomo* hoc *primo* ante oculos tuos poſitam habeas Comitatus Poſonienſis faciem, reliquorum omnium habiturus ſis *Tomis*, qui ſuperſunt, ſuo ordine ſecuturis. Hujus conſilii ſui rationem redditurus Doctiſſ. *Mikovinius*, Mappis ſuis pereruditam ad Lectorem Epiſtolam præmiſit, & de Mappis univerſim, & de his ipſis *Mikovinianis*, minime ad ingenium vulgi comparatis, copioſe ſubtiliterque diſſerentem.


Satis diu hæſimus in *Beliani* Operis veſtibulo; jam intromitti cupimus, & artificioſiſſimam ædificii ſtructuram curioſo oculo luſtrare. Exhibet igitur, quem in manibus habemus, *Tomus* iſte *primus* ampliſſimam tam Comitatus Poſonienſis, quam urbis cognominis, hiſtoriam, quam *Partibus duabus*, altera generali, quæ phyſicam politicamque univerſi Comitatus notitiam ſuppeditat, altera ſpeciali, quæ urbium ſingularum, arcium, oppidorum, caſtellorum, vicorumque, res memorabiles perſequitur, Præclariſſimo Autori viſum eſt abſolvere. Eundem ordinem ſervabit in reliquorum Comitatuum deſcriptionibus, quibus accommodatiſſima utique hæc ediſſerendi ratio videtur. *Partem generalem* in *duo Membra* dividit, quorum *primo* de ſitu, natura, & opportunitatibus Comitatus Poſonienſis agit. In tanta narrationum copia annotaſſe nobis vel ſumma capita ſufficiat.

§. 1. In limine tractationis de nomine Poſonienſis, ſeu, quod antiqui dixere, Piſonienſis, Comitatus, ab urbe cognomine accito, diſſerit, ampliſſimosque ejus limites, univerſum ambitum, longitudinem ac latitudinem immenſam, ipſamque ſitus amœnitatem, deſcribit.

2. Cingit regionem mons altiſſimus Carpathus, & poſitu ſuo jucundum oculis ſpectaculum præbens, & fertilitate

ſoli

TAB. IV ad Nov. Act. Erud. A. 1735. Menſ. Jul. pag. 299 et 302.



Digitized by Google

Digitized by Google

ſoli fontiumque perennitate cultiſſimus. Sylvis omnia per § 3.
Poſonienſem terram obſita; ſed eminet in his præ ceteris Lintava, vaſtiſſimum nemus, & amœnioribus lucis conterminum.
Per univerſum Comitatum ſolum pingue & fœcundum, fœ- 4.
cundius tamen Tyrnavienſe illo, quod eſt ultra Dudvagum & infra Szemptzum, multo magis illo, quod eſt inſularum.
Frumenti tam ferax terra, ut poſſit liberalis eſſe in vicinas.
Hujus in granariis condendi & triturandi haud ita pridem nova ratio inventa. Prata etiam largiſſimam graminis & fœni ſegetem 10.
præbent. Flumina Poſonienſis ditionis alia ſunt majora, mino- 5.
ra alia. In illis Danubius, Moravus, atque Vagus, numerantur; 6.
horum alii citeriorem Hungariæ partem permeant, ut Dudvag, Blawa, Tyrna, Padla-Woda, Parna, Gidra, Viſztukenſis rivus, Siſciæ fontes, Bazingenſium fluviolus, Grünavienſis & Szent- 7.
Gyœrgyenſis rivi, alii ad ulteriorem regionis oram pertinent; ut Rudawa, Detrekœienſis rivus, Szolocsnicenſis rivulus, Papy- 3
raceus, Rarbachienſis, Konyhenſis, Pernekenſis, Almaſienſis, Zohorienſis, & Stomphenſis fluvii, piſcium vivariis maximam partem inſtructiſſimi. In ſingulorum origine inveſtiganda, obſervando curſu, & notanda aquarum indole, copioſus eſt, ut in aliis omnibus, Autor. Acidularum & thermarum non ea 8.
eſt per Poſonienſem ditionem, quæ per ceteram Hungariam, copia, habent tamen virtutem ſuam aquarum Danubialium balnea, nec non Szent-Gyœrgyenſis & Stomphenſis fontes.
Aer regionis purgatiſſimus plerumque, ea maxime in parte, 9.
quæ montibus obſepta eſt. Ut univerſæ Hungariæ, ita Poſonienſibus inprimis, larga manu ſua munera Bacchus diſpenſavit. In nobiliſſimis habentur Szent-Gyœrgienſe, Retſenſe, 11.
Pratſenſe, Bazingenſia, Poſonienſia, Modrenſia, & alia, vinorum genera. Ornant præterea regionem horti, tam olitorii, quam arborei, fructuum omne genus ferentes, caſtaneta 12.
etiam, & viridaria, quorum præcipua habentur Kiralyfalvenſe, & Cſeklesienſe. Phaſianorum, avis Hungaricæ, curam geri, & in 13.
vivariis hos educari, lege publica ſancitum eſt. Et ipſa venatio, nec non piſcatio, & aucupium, civibus afferunt commo- 14.
ditatis plurimum. Res pecuaria non ad quæſtum, ſed ad

§. 15. victum, ſufficit. Exiles ſtatura boves ſunt, quos intra montes alunt, proceriores, qui pabula ex campis petunt. Nuper vaccæ Helveticæ inferri regioni cœperunt. Oves Hungaricæ mole quidem, ſed nec lacte, nec lana, ſuperant extraneas. Sues parcius educantur, ob glandis penuriam. Major equorum copia, quos nobilis quisque, inter Palffios inprimis, curat & alit
16. diligenter. Aviaria etiam & apiaria in uſus domeſticos in-
17. ſtructiſſima. Ultimum hujus *Membri* locum occupant prodigia Poſonienſia; quo pertinent antra Stomphenſia, ſpecus Szomolganenſis, & Bazingenſes, quorum ultimos receſſus perſcrutatus Autor, varia refert non jucunda minus, quam memorabilia. Jam ad *Partis generalis Membrum poſterius* converſus, Poſonienſis Comitatus rem politicam perſequitur. Itaque de Incolis, Magiſtratibus, & Familiis hujus Comitatus copioſe diſſerentem legimus. Antiquiſſimi regionem po-
1. puli inhabitarunt Quadi & Marcomanni, quibus poſt longum temporis intervallum penitus deletis, magno numero Rugii,
2. Heruli, Longobardi, Sarmatæ, Slavi, Avares, & tandem Hungari, ſucceſſerunt, qui ipſi, ab *Arnulpho*, Imperatore, invitati, devictis Slavis Maharenſibus, imperii nunquam interituri fir-
3. miſſima fundamenta jecerunt. Qui noſtra ætate regnum inhabitant, ſunt veterum Hungarorum, Germanorum, & Slavorum, reliquiæ. Hungarorum gens *habitu corporis* (ipſis Cl. Autoris verbis utimur) *eſt compacto, breviore eo, quam longiore; oculis plerique glaucis; facie, ex ſolis conſuetudine, fuſca, robore indomito, & facto ad laboris agreſtis patientiam.* Ingenio triſtes & moroſi ſunt, irritabiles facile, & ad rixandum proclives. Agriculturam ita exercent, ut prorſus ad eam nati videantur. Nobiles Viri moribus politiſſimi ſunt, & exterorum elegantiam imitantur. Literarum ſtudia impenſe amant, jamque a nonnullis Bibliothecæ colligi cœperunt, in quibus illam Comitis *Joſephi Eſzterhazy*, Croatiæ Bani, præcipue laudat Noſter. Armis olim valentiſſimos fuiſſe conſtat. Lingua utuntur prorſus Hungarica, eaque, quod mireris, puriore quodammodo homines agreſtes, quam in civitatibus degentes, qui, Latina ſermoni vocabula immiſcere, elegantiam putant.
4. Germanorum nonnulli olim, conniventibus, quod putat Autor

tor

Digitized by Google

ter, Hungaris, domicilium hic ſervarunt, unde propagata ad hunc diem natio, jam ipſas Hungarorum opes & potentiam æmulatur. Qui ſuperſunt hodie Slavi, Hungariæ utiliſſimi cenſentur, ſermone utentes ad Bohemicum quam proxime accedente, corpore robuſti & humeroſi, moribus jucundi, ſed irarum tenaciſſimi. §. 5.
Habet & Croatas regio, ſedibus olim ſuis Turcarum vi depulſos, & ab Hungaris ſponte receptos, ſed adhuc ſuis inſtitutis viventes, & ſermone loquentes patrio. 6.
Nec minor Judæorum inter Poſonienſes numerus; qui, ſæpe exturbati finibus Imperii, denuo tamen radices hic egere fraudibus ſuis, quas & hoc ipſo tempore licentioſius exercent, univerſæ genti moleſtiſſimi. 7.
Summa rerum Poſonienſium penes Comitem, qui *Perpetuus Supremus Comes* appellatur. Tenet hanc dignitatem inde ab antiquiſſimis temporibus, Imperatorum conceſſione, illuſtriſſima gens *Palffiorum*. 8.
Vicaria Comitis munia Vice-Comes obit, quem eſſe nobili ortum genere, Hungarumque, oportet. 9.
Habet & Comitatus iſte ſuos *Judices nobilium*, quos, literis contractis, *Judlium* vocare ſolent, porro *Fiſcum*, *Juratum Notarium*, & *Tabulæ Judiciariæ Aſſeſſores*; de cauſis Provincialibus jus dicentes. 10.
Res graviores ad Comitiorum judicium deferuntur, quorum alia *generalia* celebrantur, *particularia* alia. 11, 12,
In Optimatibus numerantur Comites *Palffii*, *Eſzterházii*, *Erdody*, & *Illyesházii*, de quorum origine & majoribus, horumque in Hungariam meritis, præclariſſima quæque commemorat Autor, addens Tabulas ſingulorum Genealogicas, ex probatiſſimis Hiſtoriarum monumentis concinnatas. 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19.
Nec ſilentio prætereundos putavit *Amadeos*, Liberos Barones *de Varkony*, *Mabolanios*, L. B. *de Pobrоncz*, *Peterffios*, L. B. *de Somoſkæ*, & *Sigrajos*, L. B. *de Felſæ-Surany*, ſingulos Optimatum ordini adſcriptos. 20.
De *Parte generali* ſatis dictum; jam recto itinere ad *ſpecialem* ducimur, ſed cujus non niſi ſumma argumenta indicabimus, his ipſis, ſatis habentes, perveſtigandi Operis univerſi in animis Lectorum cupiditatem accendiſſe. Agere hic Autor inſtituit *de quinque Proceſſibus, in quos diſpeſcitur Provincia.* Proceſſus nihil aliud eſt, quam pars regionis, unius *Judicis nobilium* juriſdictioni adſtrictus. Horum Proceſſuum primus *Extraneus*

Digitized by Google

neus ſuperior, alter *Extraneus inferior*, tertius *Superior Inſulanus*, quartus *Inferior Inſulanus*, quintus denique *Transmontanus*, dicitur. Accedit his *Sedes Vajkenſis*, Nobilium Prædialiſtarum Colonia, quæ & ipſa præcipuos ſuos Magiſtratus habet. Itaque *Partem hanc ſpecialem*, æque ut *generalem*, in ſua *Membra* dividit Cl. Autor, quorum primum *Proceſſui Superiori Extraneo* deſtinatum eſt. Eſt hujus Proceſſus pars alia ſuperior, quæ ab urbe Poſonienſi, prope montes, ad Blavam uſque extenditur, alia inferior, quæ per ſeſe patentem planitiem in meridiem ſinuatur. De ſuperiore primum commemorat Cl. Autor, cujus liberas regiasque urbes, arces, caſtella, oppida, & vicos, *Sectionibus quinque* in ſcenam producit. Urbes Poſonienſem Comitatum quinque nobilitant, Poſonium, Tyrnavia, Modra, Baziuga, & Szent-Gyœrginum. Poſonienſis urbis, tanquam in Comitatu principis, hiſtoriam Noſter *Capitibus ſex* abſolvit; quorum *primo* origines ſub Romanis, *altero* fata ſub Barbaris, *tertio* ſub Hungaris, *quarto* ſub Auſtriacis Regibus, *quinto* prærogativas & celebritatem, *ſexto* denique hodiernum urbis habitum, exponit. Amplum inprimis eſt *Caput quintum & ultimum*, quorum altero de Regum inauguratione, de Inſignibus, ſeu Clenodiis, Regni Hungariæ, in arce, & inaugurationis tempore in urbe Poſonienſi, hoſpitantibus, de Comitiis Poſonii celebratis, de regni Hungariæ adminiſtratione, Poſonii conſtituta, de Ærario regio, ſive Camera Hungarica, Poſonium translata, de Sede Archi-Epiſcopi Strigavienſis, Poſonii collocata, de præpoſitura & venerabili Capitulo Poſonienſi, *Articulis VII*, altero de urbis Poſonienſis ſitu, atque ædificiis ſacris, de ædificiis reliquis, de incolis, & Magiſtratibus, deque opportunitatibus urbis Poſonienſis, *Articulis IV*, tam docte copioſeque commentatur, ut nobis quidem, quos vehementer delectavit univerſi Operis lectio, omnibus diligentiſſimi Hiſtorici egregie defunctus partibus videatur. Abſoluta urbis Poſonienſis hiſtoria, progreſſurus erat Cl. Autor ad urbes reliquas, & alia, quæ ſuperſunt, hiſtoriæ Poſonienſis momenta; ſed jam in tantam excreviſſe molem vidit *Volumen* hoc *primum*, ut cogi vix poſſe in has anguſtias, quæ reſtant, omnia exiſtimarit. Itaque conſulto hæc reſervanda

Digitized by Google

vanda duxit *Tomo* proxime prodituro, quem cupidiſſime nos expectamus cum iis omnibus, qui de *Beliana* Muſæ elegantia vel ex primo hoc partu, faventiſſima Lucina excluſo, recte exiſtimare norunt. Etſi enim labori per ſe tam præſtabili minime opus eſt commendatione noſtra, aperte tamen & per fidem noſtram judicamus, ſive rerum hic commemoratarum copiam & delectum, diſpoſitionemque congruam, ſive Scriptorum ac monumentorum apparatum, ſive in fabulis confutandis acumen criticum, ſive rerum ſeriarum cum jucundis commixtionem, ſive denique ſermonis elegantiam & nitorem, ſpectemus, deſiderari hic ad immortalitatem *Beliani* nominis prorſus nihil poſſe. Ne in laudando verboſiores ſimus, facit terſiſſimum *Theophili Sigefridi Bayeri*, Academiæ Petropolitanæ Socii, & Antiquitatum Profeſſoris, ſcriptorum fama dudum clariſſimi, ad *Matthiam Belium* Carmen Jambicum, in fronte hujus Operis conſpicuum, quo cum vix ſcribi quidquam in laudes *Belianas* ornatius venuſtiusque poſſit, id unum agimus, ut in plauſus & acclamationis tam auſpicatæ ſocietatem veniamus, & fronti tam merenti pulcherrimam a manu Imperatoria lauream auguremur.

ALEXANDRI XAVERII PANELII, E Societate Jeſu Presbyteri, de Ciſtophoris.

Lugduni, ſumtibus Fratrum de Ville & Ludov. Chalmette, 1734, 4.

Plag. 15.

Vix ulli rituum priſcorum, quos Viri doctiſſimi certatim ſibi explicandos ſumſerunt, ea contigit felicitas, quæ Bacchanalibus, ut ex monumentis antiquiſſimis, quæ certamine jucundiſſimo arbitri quondam idonei, *Gudius* & *Spanhemius*, commiſerunt, hodienum reſiduis, uno fere eodemque tempore ab ingeniis clariſſimis & laudis hujus haud obſcure æmulis feliciter eruerentur. Eadem enim ſacra nefanda egregie illuſtrandi anſam ut Tabula ænea vetuſta, Muſeo Cæſareo Vindobonenſi illata, quæ Senatusconſultum de iis factum complectitur,

tur, ante ſexennium Viro Cl. *Matthæo Ægyptio* præbuit, ita ſuperiori anno Doctiſſ. *Alexandro Xaverio Panelio* veteres, quos indefeſſa induſtria tractat, nummi, & ex iis Ciſtophori inprimis, uberioris utique lucis, quam affuſa iis adhuc ab Antiquariis erat, indigi, ſubminiſtrarunt. Tractationi de iis animum Vir diligentiſſimus adjecit, exſtimulatus ab Illuſtriſſ. *Jo. Natali Alketio*, Raguſinorum Cancellario, qui, oblato ex gaza ſua Ciſtophori, ſub frontem hujus lucubrationis ære expreſſi, exemplo, ei negotium dedit, ut ſuam de eo ſententiam exponeret, id quod non ſine laude ingenii doctrinæque præſtitiſſe æquis judicibus facile cenſebitur.

Ciſtophori, non dicti a ciſtiferis, vel nunquam, vel rariſſime, in iis obviis, (ciſtiferam enim virginem in *Croicbetiano* nummo ipſe agnoſcit & *Panelius*,) neque ἀπὸ τῦ κισῦ, frutice *Dioſcoridis*, cujus florem, nominis hoc indicio permotus, in Ciſtophoris venatur *Eiſenſchmidius*, cui illi proinde non diverſi a Rhodiorum nummis, roſam, ut vulgo, balauſtium, ut alii arbitrantur, præferentibus, de quibus digna eruditione vaſta, qua veteres nummos dilucidavit *Spanhemius*, legas in Operis de uſu & præſtantia nummorum Tomo priori, ubi tamen in nummulis duobus explicandis ſibi fruſtra difficultates nectit Vir magnus, ΣΤΑΣΙΩΝ in altero, in altero ΖΕΙΝΕΙΩΝ legendo. In poſteriori ſaltem nihil aliud niſi nomen proprium ΖΕΙΝΩΝ reperiri docet exemplum ejus nummuli, in *Fridericiana*, quæ Gothæ aſſervatur, gaza obvium, in qua & ſimiles permulti occurrunt, cum aliis hujuſcemodi nominibus, unde, altera illa voce ΣΤΑΣΙΩΝ geminum viri nomen deliteſcere, non immerito colligas. Sed alii hi Rhodiorum nummi, alii Ciſtophori, qui ita, non κισηφόροι, quod fruſtra requirit *Eiſenſchmidius*, appellati, ut nummi ab ciſtiferis hominibus, ciſtam in Orgiis præferentibus, diſcerni poſſent. Dicti autem a ciſta, in iis expreſſa, quæ myſtica eſt Bacchi, cujus ad ſacra & hæc, & cetera, quæ complectuntur, ſymbola haud dubie pertinent.

Ex iis primo omnium ſeſe corona offert, hederæ foliis & corymbis conſtans, quæ nunc major in his Ciſtophoris, nunc minor,

Digitized by Google

minor, apparet, & cujus uſu, variis rationibus, iisque & phyſicis, ſubnixo, in Orgiis nihil frequentius. Ea ciſtam, unde Ciſtophoris nomen, ut vidimus, ambit, eamque ſemiapertam, quaſi quæ probroſa arcana ſua, Bacchi nempe obſcœnas partes, ibi reconditas, proferre in lucem vix audeat, prodeuntis inde ſerpentis, in plura volumina contorti, ſpectaculo inſignem, ceteroqui, ut *Iſidorus* & *Origenes* tradunt, non refragantibus his nummis, in quibus ſtrias obſerves, e cannis fiſſis aut ligno exili contextam, & a virginibus potiſſimum, qualis in nummo Trallianorum *Croichetiano*, ſupra jam laudato, inter tot alias, non æque venerabiles, nec tanti momenti arcana complexas, quæ in Dionyſiacorum pompa præferebantur, ciſtas portari ſolitam. In poſteriori Ciſtophororum parte obvia rurſus Bacchi ſymbola, ſerpentes duo, cernuntur, ſeſe erigentes in altum, ore diducto exſerentes linguam, aliquando ad ramuſculi figuram accedentem, unde in ſuo quodam ramuſculum plantæ balſami agnoſcit, qui ſuis id nos literis docuit, Cl. *Havercampius*, inferiori parte corporis, in ſpiras multiplices convoluti, mutuis ſibi invicem amplexibus conjuncti. Inter ſerpentes medium locum occupat non tam pharetra, quam corytus, una cum arcu & ſagittis inde prominentibus expeditionum Bacchi bellicarum index. Vannum hic myſticam agnoſcit & *Panelius*, ſed, niſi omnia nos fallunt, parum cum vanno convenit figura hic expreſſa, quæ tam manifeſte corytum prodit, ut in Cretenſium nummis vel invitus eum admittere cogatur. Nec patet, ad vannum myſticam quid faciat arcus ei junctus, quid ſagitta, quæ prominet, ſymbolum virtutis bellicæ, qua Bacchus floruit, tot inclytus triumphis, ut non tantum triumphantem ſæpiſſime vetera monumenta ſiſtant, ſed & ipſe Triumphi nomen tulerit. Huc & thyrſus pertinet, haſta cuſpide, quæ hedera lambente & quernea glande vel pineo pomo obtegitur, munita, & frequentiſſimi in ſacris Bacchicis uſus. Alio vero, quæ thyrſi aliquando locum occupat, tæda, ad ſacra Bacchica, quæ in lucis, ſpecubus, & ſubterraneis locis, peragi moris erat, perneceſſaria, alio, qui itidem occurrit, caduceus, ſpectat, Libero Patri, pacis & concordiæ, perinde ut bellorum & victoriæ, præ-

TAB. IV. Fig. 1.

Fig. 2.

 ſidi,

Digitized by Google

fidi, ac Mercurio, cum Libero pro eodem Numine habito, communis. In nonnullis hujusmodi Ciſtophoris, qualis ille *Appii Claudii Pulchri*, in Gotha nummaria editus, ferulæ occurrunt, mallei & formam & nomen ſortitæ, adhibitæque, ut cruentis ebrioſorum rixis obviam iretur, utpote gravioribus vulneribus infligendis minus accommodatæ.

His præmiſſis, Doctiſſ. *Panelio* jam pronum de ſacris Bacchicis, eorumque origine, quam ex Ægypto ab *Oſiride* & *Iſide*, & hujus potiſſimum, diſcerpti ab *Titanibus Oſiridis* εἴδωλον divinis honoribus afficientis, veſania, repetit, eorundemque propagatione apud Græcos aliasque gentes, Latinos inprimis & Hetruſcos, de variis itidem nominibus feſtorum, qui Baccho agebantur, dierum, pluribus diſſerere. Sed, aliis leviter perſtrictis, in Sabaziis Aſiaticorum deſcribendis longius immoratur. Ea dicta ἀπὸ τοῦ σαβάζειν, quod idem atque εὐάζειν. Bacchus ipſe inde Sabazius dictus, cujus pater Caprius, ſi *Tullio* fides, vel, ut alii tradunt, Jupiter. Sacra ipſa nocturna, in quibus moris erat, draconem circumferre, atque initiandorum in ſinum immittere, & acclamare Ὕης, quod nomen, Baccho, veluti naturæ humidæ domino, proprium, *Heſychius* & *Phavorinus* Sabazium interpretantur. Sabazius vero dictus non tantum Bacchus, ſed & Jupiter, itemque Sol, ſed is quidem, nomine paululum immutato, Sebeſius, cujus rei ratio petenda e ſententia ſapientiorum e gentilibus, in multis, quos colebant, Diis unum verum Numen agnoſcentium, quo pacto jam & Sol & Jupiter Sabazius non alius, quam ipſe Bacchus. Sabazia porro, Sabazio ſacra, Aſiaticis propria, teſte *Tullio*, & a Baccho Rege inſtituta, quippe qui imperavit Phrygibus, deque Aſia, & Lydia inprimis, triumphavit.

Inter hæc Sabaziorum ſolennia Ciſtophoros eſſe cuſos in Aſia, ſi tot indicia, quæ illi præferunt, non ſatis manifeſte prodant, ſaltem negare nemo poſſit, ad memoriam eorum poſteris prodendam eos utique pertinere. Ceteroqui enim civitatum Aſiæ, qui ſuperſunt, nummi, alia longe, quam quæ in illis ſpectanda ſeſe offerunt, ſymbola complectuntur. Editos non moratur Cl. *Panelius*, qui conferri a quovis nullo negotio poſſunt;

poſſunt; nondum vulgatos ille, ſed æneos pleroſque, (neque enim niſi quatuor in iis argentei reperiuntur, interque eos duo ad magnitudinem Ciſtophororum accedentes, ΚΕΛΕΝδεϱιτῶν nempe alter, alter ΣΕΛΓΕΩΝ) ex Muſeo *Guerinia-no, Lebretiano, Caryano, Mazzaguenſi*, aliiſque, appellat, quibus cum nihil commune ſit, quod ad plura pertineat oppida, & Ciſtophori contra omnes ejuſdem magnitudinis, iiſdem Bacchicorum ſacrorum ſymbolis inſignes, diverſarum civitatum, quæ eos cuderunt, literas initiales præferant, quid vero propius, quam ut ii ad ſolennia Sabaziorum, quæ a civitatibus Aſiaticis peragebantur, celebranda ſpectaverint?

Sabaziis his præfuerunt Prytanes, quorum indicium ex Monogrammate ΠΡΥ laudabili ſagacia eruit Cl. *Panelius*. Neque enim uni Veſtæ, quod *Spanhemio* & *Vandalio* viſum, litabant illi, ſed alia quoque ſacra, ut Dearum Nemeſium, Matris Deæ, Dianæ Epheſiæ, Æſculapii, & Bacchi, curabant, ea potiſſimum adminiſtrantes, quæ magni momenti viderentur, & publico nomine peragenda eſſent. Quod ut luculenter pateat, obſervat & *Panelius*, ad Πανιώνιον & cetera τὰ κοινὰ provinciarum Aſiæ, Lyciæ, & ſimilium, Prytanes videri miſſos, principemque ex iis Pontificis maximi, nonnunquam & Aſiarchæ, titulo, aliquando ſimul utroque, uſum, porro in illis conventibus Baccho ſacra fieri ſueviſſe, aut ad minimum fuiſſe eos ad Dionyſia majori cum apparatu celebranda inſtitutos, curamque eorum geſſiſſe Prytanes, & ſumtus aliquando in eos erogaſſe: ceteroqui *Archontis* & *Prytanis* appellationem unum idemque munus deſignaſſe, Senatum item Athenis ac Prytaneum, itemque Senatus & Reipublicæ Principem ac Prytanem, unum antiquitus idemque fuiſſe, tituloque eo poſtea & ad Senatores translato, illum tamen ἐπώνυμον aut πϱῶτον Πϱύτανιν dictum; Prytaneiam apud Athenienſes obtinuiſſe menſtruam, apud Rhodios ſemeſtrem, apud Corinthios annuam; annuos & Aſiaticos Prytanes fuiſſe, & dignitatem eos hanc, poſtea ſub Cæſaribus hæreditariam factam, plus ſemel obiiſſe, eamque in uſu fuiſſe cum in civitatibus, quarum ſeriem poſt *Caſaubonum*

 Spanhe-

Spanhemius contexuit, tum in aliis quoque, Pergamo, Laodicea, Trallibus, Apamea, Mileto, Anchiale, Nicodemia. Candida eos veſte & corona, pro Deorum, quibus ſacra faciebant, varia ratione varia, in Sabaziis certe, qualis in his nummis, hederacea, uſos. Literis ΠΡΥΤ, ut aliquando in *Gallieni* nummis diſtinctæ occurrunt, in compendium ΠΡΥ redactis, haud dubie dignitas eorum deſignatur, cui præmittuntur nomina eorundem propria, qualia in Ciſtophoris, quos hac occaſione delineatos damus, gazæ *Fridericianæ* ΚΤ*ησίυ*, ΑΡΙ*ςωνος* & ΠΤΟΛ*εμαίυ*, & *Havercampianis* ΑΡΤΕ*μιδώρυ*, ΤΕΥ*τάμυ*, ΙΦΙ*κλέως*, & ΠΑΛ*αμήδυ*.

TAB. IV Fig. 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9.

Poſtquam in Aſia rerum potiti ſunt Romani, non carent quidem Ciſtophori Prytanum, quanquam ſine dignitatis hujus mentione, nominibus Græce ſcriptis, ſed multo ibi luculentius tamen Proconſulum & Proprætorum, qui provinciis iis præerant, nomina, ut *P. Lentuli*, *Ap. Pulchri*, *M. Tullii*, *C. Pulchri*, *Q. Metelli*, Latinis expreſſa literis cernuntur. Editi ſunt hujuſcemodi a *Patino*, *Seguino*, *Harduino*, *Haymio*, *Libio*. *Haymius* in ſuo coryti, intra angues ſe mutuo amplexos expreſſi, loco aſpergillum una cum acroſtolio agnoſcit, ſed fruſtra, coryti ibi figura, perinde atque in aliis, qualis & *Stephanus* primus, non diverſa a reliquis, niſi quod paulo negligentius, quam ceteris, inſculpta eſt. Propter inſcripta iis Magiſtratuum Romanorum nomina magno Hiſtoriæ antiquæ inde uberius illuſtrandæ commodo ſuis Ciſtophori hi annis aſſignari certiſſime poſſunt, ceteri, qui antiquiores, non item, niſi forte Epheſinos inde tres, ex gaza *Surbeckiana* laudatos, exceperis, in quibus juxta literas ΕΦΕ. numeri Κ, ΜΔ, ΞΖ. h. e. XX, XLIV & LXVII. Quanquam, cum ad Epocham, de qua conſtet, revocari illi nullam poſſint, ſed forte ad ipſa hæc Sabazia ſpectent, eo tempore, quo adhiberi cœpit, vel inſtituta primum apud Epheſios, vel reſtaurata, nummi hi, ſi ſolidum, quod res eſt, ceteris, in quibus nihil ſimile, non magnopere præſtare utique videntur. Certe illis haud proponendi Ciſtophori Cretenſium, adhuc niſi ex *Goltzio* non ſatis noti, e

quorum

quorum numero is, qui juxta literas ΔΙ vocem ΤΡΥ præfert, quin literas uno nexu junctas ΠΡΥ habuerit, ΠΡΥ*τανιν* Δι*όδοτον* deſignantes, minus dubitari poteſt, quam quid Monogramma ΛΔΕ ſibi velit in eo, qui ΚΡΗΤΑΙΩΝ nomen, quod in ceteris ΚΡΗ eſt, totidem ſcriptum literis, ob oculos ponit. Nihil ſimilius vero, quam quod conjectat Cl. *Panelius*, Aſiaticæ Romanorum Provinciæ Cretam, ad exemplum Cypri, quæ ad Ciliciensem ſpectabat, fuiſſe attributam; ſed, cum Ciſtophori hi antiquiores longe Romanorum in iis partibus imperio cenſendi ſint, nihil id quidem lucis affert ad eos recte explicandos, quos ſymbola iis inſculpta Sabaziis, ab Aſiaticis ad eos derivatis, vindicant, non abludentibus minoribus illis ſignis, quæ iis impreſſa cernuntur, cujusmodi Solis ſidus, unde, & quod nullæ in iis faces comparent, ſacra illa apud Cretenſes non nocturna, ſed diurna, fuiſſe, conjectat Vir doctiſſimus, & tripos. Sed neque pharetra, vel potius corytus, quem inter geminos angues, ut alibi, expreſſum, miſſa vanno non agnoſcere, pro candore ſuo, non potuit Cl. *Panelius*, Bacchum, ejusve ſacra, excludit, adeo, ſi cetera conſpirent, non abjudicandus Baccho, ut injuriam feciſſe Cl. Autori Gothæ nummariæ Vir doctiſſimus videatur, contrariam ei ſententiam tribuendo, cum loco eo, qui tenebras offudit Cl. *Panelio*, nihil ille aliud velit, quam corytum, quem adjecta clava ad Herculem in nummis Erythrenſium revocat, male tanquam ſolenne & nulli homonymiæ obnoxium ſymbolum ſine manifeſta, quæ id ſuadeat, ratione ad Bacchum trahi ab *Harduino*.

Sed ad Ciſtophoros tempore poſteriores paulisper redeundum eſt, ut eos, qui *Antonio* IIIViro cuſi ſunt, præeunte Cl. *Panelio*, expendamus. Atque illorum quidem tres numerantur, haud una ratione a ſuperioribus diverſi. In tertio eorum, ex *Orleo* petito, ipſa etiam Bacchica ciſta, unde Ciſtophoris nomen, deſideratur. *Antonio*, iterum deſignato Conſuli, poſt res in Armenia feliciter geſtas, in Aſia eo tempore, quo Sabazia celebrabantur, ſtativa habenti, eos cuſos Cl. *Panelius* conjectat, teſtimonio nummorum nixus, perſuaſusque, *Antonium*, *Cleo-*

patram,

patram, Reginam Ægypti, *Octavianum*que *Cæſarem*, fœdus inter ſe adverſus Parthos iniiſſe, eosdem in finem tertii ab ſpacito eo anni rejicit. Annos illos tres fœderis deſignari patet literis A, B, Γ, quas nummi *Antoniani M. Oppii Capitonis, L. Sempronii Atratini*, & *M. Barbati*, præferunt. In iis omnibus *Antonius* COS. DES. IT. & TER. dicitur, qui cum apud *Vaillantium* ſub Familia *Sempronia* in nummo L. *Atratini*, litera B. notato, COS. DES. TER. appelletur, utque hac ratione anno jam ſecundo hujus fœderis Conſulatum iniiſſe videatur alterum, quem ne tertio quidem, ut cenſet Cl. *Panelius*, decurrente iniit, quippe tum adhuc COS. DES. IT. ET. TERT. ut in nummis his eſt, Cl. *Panelius* nummum eum vitioſe deſcriptum a *Vaillantio* conjectat. Sane apud *Morellium* is in gente *Sempronia* illa occurrit, qui tamen prolatum a *Patino* & *Vaillantio* ab *Antonia* Familia cum litera B exhibet, & inſcriptione: L. ATRATINVS AVGVR. COS. DES. [illegible] voce TER, quæ, fieri poteſt, ut exeſa diligentiam *Morellii* effugerit, quo pacto damnari vix poteſt, aut vitii [illegible], *Vaillantianus* in Familia *Sempronia* nummus, tametſi [illegible] ſententiæ Cl. *Panelii* minus favet. *M. Barbati* nummus [illegible]*tzianus* ob ſymbolum triremis & literam A ad eundem [illegible]ſum revocatur a Cl. *Panelio*, perinde atque Ægyptius illorum literis L. A. ΡΩΜΗΣ, quod ille nova ratione, nec facili ex indole vocis ΡΩΜΗΣ elicienda, interpretatur: *Anno primo fœderis initi cum Romanis*, quæ ſententia tamen admitti facilius poſſet fortaſſe, ſi loco *Antonii Cleopatræ* caput expreſſum cerneretur. Sed non his equidem nummis fœdus illud [illegible] Cl. *Panelii* potiſſimum nititur, ſed, ne jam de iis, qui adjectum *Antonii Cleopatræ*que capiti *Octaviani Cæſaris* vel potius [illegible]*tylli* & *Cæſarionis*, caput, aut nomen ſaltem *Cæſaris* [illegible]*næ*, junctum præferunt, dicamus, aliis anno ejus ſecundo & tertio ſignatis, in quibus mentio PRAEF. CL. F. C. Literæ F. C. in his nummis interpretantur vulgo: Fieri Curavit, *Harduinus*: Frumento Convehundo, Cl. *Panelius* Fœderatarum [illegible]piarum. Ratio interpretationis novæ, quæ PRAEFectum CLAſſis

ſis Fœderatarum Copiarum ex fœdere illo ſiſtit, petita eſt ex ſententiæ utriusque incommodis, quibus ſuam non æque premi ſibi perſuadet Cl. *Panelius*. Erunt tamen, qui *Harduiniana* eam non multo veriſimiliorem cenſebunt, exemplo quippe ſe, in quo ea neceſſario admittenda ſit, nullo prorſus tuentem, cujusmodi vulgari, qua F. C. Fieri Curavit, exponitur, non deeſt, utcunque *Eppianus* ille nummus alio trahatur, in quo tamen cur *Eppius* LEG. magis, quam Q. MEtellus Scipio IMPerator Fœderatis Copiis præfuiſſe dicatur, haud immerito quæras. Nam certe in C. VIBII MARSI apud *Vaillantium*, *Morellium*, & *Liebium*, nummis, in quibus inſcriptiones: C. VIB. MARSO PR. COS. NE. CAES. Q. PR. M. GEMELLVS F. C. & C. VIB. MARSO PROCOS. DR. CAE. Q. PR. T. G. RVFVS F. C. & C. VI. EXPR. T. G. RVFVS SOR. CAE. Q. PR. T. G. RVFVS F. C. literæ F. C. Fœderatas Copias deſignare nullo modo poſſunt, ſed haud dubie ſignificant Fieri Curavit. A qua interpretatione cur in ſuperiorum nummorum literis iisdem explicandis ſit diſcedendum, ſi quærentibus reſpondeat Cl. *Panelius*, non ſolos *M. Oppium*, *C. Fontejum*, *L. Atratinum*, *Eppiam*que, nummos fieri curaſſe, reponi jure meritoque poterit, nec ſolum M. GEMELLVM, qui in primo *Vibianorum* nummorum nominatur, ſtatuam *Liviæ*, quam nummi illi exhibent, fieri curaſſe, ſed &, qui in poſterioribus nomen adſcripſit L. G. RVFVM, ac nihilo minus ſeparatim alterutri ejus rei curam vindicari.

Porro, quod, inito jam Conſulatu ſecundo, *Antonium*, poſt celebrata paucis ante menſibus Sabazia, triumphum demum egiſſe marinum, exiſtimat Cl. *Panelius*, id nititur teſtimonio nummi L. *Atratini*, male adhuc deſcripti. Neque enim in eo M. ANT. IMP. TER. COS. DES. TER. legitur, ſed, ut in correctiori ejus nummi exemplo apud *Morellium* eſt, M. ANT. IMP. TER. COS. DES. ITER. ET TER. III. VIR R. P. C. cui gemina eſt inſcriptio in nummo *Oppiano* ſimillimo, in quo, M. ANT. IMP. TER. COS. DES. TER. ET TER. III. VIR R. P. C. Ubi præterea

Digitized by Google

terea notandum, *Semproniano* nummo literam Δ, *Oppiano* literas Δ I, juxta aram lucentem equis marinis ſubjectam eſſe, quæ ſi numerales ſint, ad fœdus illud *Antonii*, *Cæſaris Octaviani*, & *Cleopatræ*, ſi quod unquam interceſſit, trahi neutiquam poſſunt. Certe luculentius id evincendum videtur ante, quam Scriptoribus, qui impuros *Antonii* & *Cleopatræ* amores, quibus haud obſcure nummi conſentiunt, commemorantes id proceſſus ignorant, dica propterea ſcribi ſine injuria manifeſta poſſit.

Sed hactenus de Ciſtophoris ipſis; ad Ciſtophoros proxime accedit quinarius, qui *Octavii Cæſaris* caput nudum cum inſcriptione: CAESAR IMP. VII. ab altera parte Victoriam ciſtæ inter duos angues poſitæ inſiſtentem cum literis: ASIA RECEPTA, præfert. Hunc nummum, interpretationibus *Anton. Auguſtini*, *Æneæ Vici*, *Gevartii*, *Rubenii*, *Spanhemii*; *Morellii*, & *Harduini*, repudiatis, Cl. *Panelius* ad ea tempora refert, quibus *Cæſar Octavianus*, parta victoria Actiaca, *M. Antonium*, in Ægyptum ſe recipientem, ſecutus, Aſiaticos, qui adhuc a partibns ejus ſteterant, ad obſequium redegit, ab expeditione ea pariter & juncta illi Armeniaca Imperator VII dictus. Nam, cum Actiaca, qua debellatum eſt, pugna in Septembrem incidat, Aſia inde Sabaziis, menſe Octobri aut Novembri celebrari ſolitis, ab *Cæſare Octaviano*, qui iisdem præfuit fortaſſe, recepta in hoc quinario dicitur. Ingenioſe hæc omnia perſequitur Cl. *Panelius*, qui Ægyptum captam bellumque civile ante *Cæſaris Octaviani* ſextum Conſulatum confectum negat, nummorum alia omnia docentium teſtimonio confiſus. Eſt inter eos notatu digniſſimus, qui Conſulatui *Cæſaris Octaviani* jam ſexto titulum Auguſti vindicat, penus *Lebrætiana* utique ornamentum inſigne, ſed inde confici non poteſt, non reperiri ſimilem aureum, cujusmodi *Harduinus* laudavit, in quo COS. VII reperiatur. Exſtat enim omnino, non modo in gaza Verſalienſi, ſed & Gothana, hujus generis nummus, isque longe integerrimus, ac fidei minime ſubleſtæ. Et nihil impedit, quo minus idem typus diverſis potuerit, præſertim proxime ſibi ſuccedentibus, annis adhiberi. A quinario, de quo dictum eſt, non abludunt nummi

mi

mi *Veſpaſiani* patris, & filii *Titi*, victoriam ſimilem in ciſta anguibus ſtipata exhibentes, quos ad reportatam de Aſiaticis aut in Aſia ſaltem circa Sabaziorum tempora victoriam, utcunque Scriptoribus Romanis ignotam, Cl. *Panelius* refert. Præter vero Latinos hos nummos, Romæ haud dubie, non in Aſia, utcunque cum ſymbolis Aſiaticis ſignatos, haud pauci Græci ſe offerunt, ciſta Bacchica inſignes, quos perinde atque alios, qui, quantumvis ciſta illa carentes, ad Orgia revocari poſſe viderentur, uberiori luce perfundendos duxit, ſubjuncta de nummis ſerpentiferis, quos Baccho, uni veterum ſapientiorum Numini, cujus proprium ſymbolum ſerpentes, vindicat, tractatione ſingulari & obſervationum bonæ frugis plena.

Supereſt, ut de uſu & pretio Ciſtophororum, de quo Cl. *Panelius* ſub finem agit, videamus. Ac de uſu quidem eorum res ſatis manifeſta eſt. Nulli quondam frequentiores in Aſia, neque Romanis gratiores, mirumque, ex tanta eorum vi tam paucos hodie ſupereſſe, videri haud immerito poſſet, niſi ipſa eos magnitudo & argentum probæ notæ, quo conſtabant, periculo præſenti hominum lucri, quam artis & elegantiæ, ſtudioſiorum expoſuiſſet. Sed haud paulo difficilior quæſtio de pretio Ciſtophororum, præſertim apud eos, quibus videndi tractandique illos, utcunque in gazis beatiorum hominum recluſos, facultas haud obtigit. Negotium in ſolvenda illa faceſſit locus *Feſti*: *Euboicum talentum nummo Græco ſeptem millium Ciſtophorum eſt; noſtro quatuor millium denariorum*, quem ſanum non eſſe, cum facile pateat, ratio tamen, qua ſanari poſſit, nulla patet. Ciſtophori enim denariis, ut inſtituta eorum comparatio docet, quadruplo fere graviores, tetradrachmi quippe. At in eo *Feſti* loco denarii Ciſtophoros pondere antecedunt, unde niſi, præeunte *Panelio*, verba hæc ita conſtituantur; *Euboicum talentum nummo Aſiatico mille ſeptingentorum Ciſtophorum eſt; noſtro ſex millia ducentorum denariorum*, verum in iis pretium hujuſmodi nummorum, quod ii ipſi ſatis manifeſte declarant, nemo invenerit.

Paulo diutius erudita hæc lucubratio nos detinuit, quod ingratum non erit Lectoribus, ubi didicerint, proluſionem eam

Digitized by Google

eſſe magni Operis, cui aliorum ex *Alletiana* gaza nummorum explicationem reſervat Cl. *Panelius*, numiſmata quæcunque vetera, Græca, Ægyptiaca, Latina, cujuslibet moduli ac metalli, Regum, Virorum illuſtrium, populorum, urbium, Familiarum Romanarum, & Imperatorum, accurate & ſigillatim deſcripta, ac Notis, ad Hiſtoriam, Chronologiam, Geographiam ſpectantibus, illuſtrata, uno, ſed in plura haud dubie Volumina ſe diffuſuro, ambitu, ſi fortuna conatibus adſpiret, complexuri. Simile poſt alios *Morellius* quondam noſter moliebatur, ſed irrito ſucceſſu, ipſis quippe tanti laboris, qui conſociatas plurium in hac palæſtra exercitatorum vires requirit, *ἀποσπασματίοις*, ad quæ abſolvenda omne otium ſuum poſtremo contulerat, immortuus. Secundiora fata Cl. *Panelio* & promta ab iis, quos compellat, ſuppetias apprecamur, ut, ſi minus forte omne id curriculum emetiri induſtria ſua poſſit, de pluribus tamen utiliſſimi hujus ſtudii partibus bene merendi occaſionem nanciſcatur. Reipublicæ quidem literariæ hujusmodi pollicitationes, utcunque plus juſto liberaliores, ingratæ eſſe nullo modo poſſunt, quod, utcunque ceciderit res, alii, iis excitati, cœptam a ſe telam majori fere alacritate pertexunt. Certe Cl. *Havercampio*, certiori de hoc inſtituto & geminis aliorum conſiliis facto, ſi recte eum novimus, nihil jam prius erit, nihil antiquius, quam ut, editis *Morellianis* reliquiis, Regium Theſaurum ſuum, cui perpoliendo tot annos inſudavit, bonis avibus in lucem primo quoque tempore producat.

CORNELII VAN BYNCKERSHOECK, JCti & Præſidis, Obſervationum Juris Romani Libri IV, quatuor prioribus additi, nempe V, VI, VII & VIII, in quibus plurima Juris Civilis aliorumque Autorum loca explicantur & emendantur.

Lugduni Batavorum, apud Jo. van Kerchhem, 1733, 4.
Alph. 3 pl. 12½.

Jam

Jam dudum bene mereri cœpit de maſcula ſolidaque Jurisprudentia Ill. *Bynckershœckius*, qui ſub fauſto auſpicatoque ſidere ad id natus eſſe videtur, ut opportuna ſalutarique criſi laxatis & truncatis legum particulis medicinam afferret, imperitorum in corrigendis legibus inſcitiam detegeret, Jus denique Romanum antiquæ majeſtati ſuæ feliciſſime reſtitueret. Nunc pluribus exequitur præclaros conatus, & Obſervationum Juris Romani *Libris quatuor*, ante hos quatuor & viginti annos Lugduni Batavorum editis, & in *Actis* noſtris *A. 1710 Menſ. Januar. pag. 1* recenſitis, alios *quatuor* addit, eadem, qua priores, cura induſtriaque elaboratos. In quibus priſcum ordinem tenet, eademque veſtigia premit. Neque enim ex illorum numero eſt *Bynckershœckius*, qui, perverſo quorundam more, Anteceſſorum ſuorum ſcrinia bene gnaviterque expilant, & alienis plumis, corniculæ *Phædrianæ* inſtar, ſeſe belle ornant, ſed ſemper vel novum atque ſingulare argumentum profert, vel aliorum bene dicta amplius illuſtrat. Si quid vero ipſi ignaro exciderit, quod forte alius, neſcimus, quo angulo, recte jam monuit, tunc culpam ingenue fatetur, & ea, quæ ita ſcripta ſunt, confeſtim delet, & pro non ſcriptis haberi cupit. JCtorum ſententias ſæpe refellit, ſed ſine bile atque acrimonia, niſi incidat in portenta prodigioſaque commenta. Boni Interpretis partes cumulatiſſime explet, majeſtatem Codicis Tuſci comiter obſervat, raro, & non niſi extrema neceſſitate adductus, ad emendationem confugit, atque, ſi id aliter, ſalva lege, fieri nequit, modeſte & circumſpecte criſin exercet. Ceterum in amœnioribus & difficilioribus, quæ ceteri Interpretes vel prætermiſerunt, vel negligenter tractarunt, locis occupatur, controverſias Juris illuſtres ſcite componit, & ulcera ab aliis intacta præſentibus remediis ſanat. Præcipue manes *Triboniani* ab importunis Virorum doctorum injuriis fortiter defendit, illum omni culpa vacare, &, ſi quid adhuc labis humanæ remaneat, *Juſtinianum* in culpæ venire ſocietatem, & pleraque Emblemata fœdiſſima ſpurciſſimaque monſtra eſſe in infelici Interpretum cerebro enata, docet. Pluribus id confirmat Vir Illuſtris. Græci etenim Interpretes nullibi agnoſcunt

Digitized by Google

Triboniani interpolantem manum. Latini, quo vetuſtiores, eo modeſtiores in hac cauſa ſunt. Fateri tamen oportet, quod negari nequit, *Alciatum*, *Balduinum*, *Cujacium*, *Hottomannum*, *Petrum* & *Antonium Fabros*, quem ultimum hoc nomine maxime infamem eſſe decernit, *Pithœum*, *Giphanium*, *Merillium*, *Marcum Vertranium Maurum*, in hoc muſtaceo laureolam quærere, & bonam *Triboniani* famam horrendis proſcindere conviciis. Sed bene ſe res habet, quod graviſſimi Viri, literarum inſtructi præſidio, peſtiferas haſce, quas pleno ore in *Tribonianum* evomunt, calumnias retuderint, illiusque cauſam maſcule ſtrenueque tuendam ſuſceperint. Id igitur negotii ſibi datum eſſe exiſtimavit Noſter, ut caute verſaretur in Emblematibus agnoſcendis, nec ullum temere admitteret, niſi legi aliter conſtare non poſſet ratio. Laudat proinde *Jo. Wybonis* inſtitutum, qui in Diſſertatione inaugurali ſua *Wiſſenbachii*, quibus *Tribonianum* improbe & inverecunde impetiit, injurias feliciter abſterſit. Conſtituerat quidem olim *Byncker*ſ*hœckius* *Wiſſenbachii* Opuſculum ſingulari Libro refutare, quod non plane abjecit, ſed poſtea, nimia operis prolixitate deterritus, pauliſper mutavit conſilium. Dedit igitur ſaltem aliqua ſpecimina *Libro* inprimis *VII* & *VIII* operæ in Emblematibus *Triboniani* inveniendis fruſta collocatæ, & quicquid ipſi in poſterum ſupererit otii, Juri Publico vel patrio conſecrabit. Age, in rem præſentem veniamus, & excutiamus poſtiora hujus Libri Capita. In *l. 59 §. 2 de Manumiſſ. teſt.*

Pag. 14. verba: *libertatem adimi potius, quam dari*, legenda eſſe arbitratur: *libertatem dari potius, quam adimi*. Occaſione l.

52. *de Grad. & affin.* monet, gradum non ſemper eſſe agnatorum cognatorumve inter ſe diſtantiam, ſed & quorumcunque propinquorum ordinem, ſive lineam. Unam & ſolam luctus viduarum rationem eſſe metum incerti partus propter turbatio-

61. nem ſanguinis, exiſtimat. Nihilo minus, viduam intra annum luctus, quem decem menſes ex lege *Romuli* conſtituunt, nubere potuiſſe alii, ſi vel partum ediderit, vel vacua reperta fuerit, opinatur. Neque diſcrimen fuiſſe inter eam, quæ maritum luctu dignum amiſit, & eam, quæ amiſit luctu indignum, ſed

ſed utramque per annum elugere debuiſſe maritum, niſi prio-
res cauſæ eam defenderent. Denique Jus Pontificium ab in-
famia vindicat, quaſi mulieribus permiſiſſet a rogo mariti ad
novas provolare nuptias, ſine ulla nota infamiæ, nec exſpectato
partu, nec abſoluto anno luctus. Propinquorum luctum apud Pag. 67.
Romanos voluntarium fuiſſe, & propinquos ſe invicem luxiſſe
ſecundum animi ſui patientiam, quemadmodum *Ulpianus* in
l. 23 de his, qui nat. infam. loquitur, diſerte affirmat. Illa
enim verba, quibus *Paulus l. 1 Sent. Tit. ult.* cognatos pro-
ximioris gradus octo menſibus lugeri debere, eosque, qui ſe-
cus faciunt, infamia notandos eſſe, ſcribit, ab *Aniano* interpo-
lata eſſe, judicat. Siquidem ſtare pro *Ulpiano* Edictum Præ-
toris, quod de viduis, non de reliquis propinquis, præcipit,
Annales Romanorum, & alia Jurisprudentiæ capita. *Jus Com-* 84.
mentitium in *l. 20 de Pœn.* dici putat *pro eo jure, quod ex*
Prudentum autoritate obtinuit contra regulas Juris Civilis,
quod ſcilicet non eſt profectum ex Jure Civili & ſeveris
ejus regulis, ſed quod, æquitatis ergo, finxerunt & com-
menti ſunt ii, qui diſputationibus ſuis rigorem Juris plus
ſemel temperarunt, quin & ſubegerunt. Sub Anteceſſorum
nomine non ſolum illos, qui leges docent, verum etiam eos, 147.
qui Pragmatici dicebantur, & fere occupabantur componen-
dis inſtrumentis, quæ ad rem judiciariam pertinebant, com-
prehenſos fuiſſe, conjicit. Oratoris & JCti officium libera 303.
Republica diſtinctum, poſt, cum per unum Reipublicæ conſu-
leretur, conjunctum, & ex ea conjunctione JCtos dictos fuiſ-
ſe Oratores & Rhetores, arbitratur. Vocem *Munis*, quam 480.
Papinianus in *l. 8 §. 1 de Public. & Vect.* uſurpat, ſatis La-
tinam eſſe, & in uſu fuiſſe, atque rem ſignificaſſe, pro qua veſti-
gal ſolvitur, comprobat. Eleganter, peracute, erudite omnia.

HENRICI CHRISTIANI SENCKENBERGII, JCti, & Conſiliarii Rhingravici, Selecta Juris & Hiſtoriarum, tum anecdota, tum jam edita, ſed rariora.

Tomus

Tomus II.

Francofurti ad Mœnum, ſumtibus Jo. Frid. Fleiſcher, 1734, 8.

Alph. 2 plag. 7.

Bonum factum! Servat Conſultiſſ. Editor, quam dederat, fidem, pergit præclare de bonis literis mereri, & hoc etiam *Tomo* talia offert, quæ nec ingrata ſunt publice, & in Jure Germanico Hiſtoriisque utiliſſima. Exhibet I *Petri Herpii* Annales Dominicanorum Francofurtenſium ab A. 1306 uſque ad A. 1500 ex *Bibl. Uffenb.* In quibus quidem nihil fere, quod ad ordinem, vel ad inquiſitores hæreticorum pertineat, ſed alia cognitione digniſſima. Sequuntur II Diplomata XXXVI de Vaſallis nobilibus Francofurtenſium, extra urbem olim habitantibus. Nempe neceſſitas temporum Seculo XIV & XV civitates, præcipue imperiales, coegit, quoniam tarda erant Cæſarum auxilia, vicinos Equites ſibi adjungere. Hi civibus ad tutelam & obſequia fuerunt obligati, &, præter pactitium pretium, quotannis plerumque veſtimenta, colore civitatis tincta, quo arctior nexus appareret, acceperunt. Erant & alii Vaſalli, qui mutuæ defenſionis cauſa civitatibus bona ſua feudi lege offerebant, quorum hic exempla habentur. Habes III Diplomata XXII Moguntina, ex quibus inter alia intelligitur, Præſuli Moguntino pro opera coronandi Regem Bohemicum, olim mille marcas argenti ſolutas fuiſſe, & qualis nexus fuerit olim inter Moguntiam & Præſulem ſuum. Affertur etiam fœdus antiquiſſimum inter Moguntiam, Wormatiam, & Spiram, de A. 1293, a *Lehmanno* prætermiſſum. Locum IV tenent *Anonymi* Collectanea Hiſtorico-Diplomatica, magni pretii, variique uſus, de Ducatu Wurtembergico, ex *Bibl. Uffenb.* Notantur plane eximia Tubingenſium olim privilegia de recipiendis proſcriptis, de aſylo homicidarum, &c. (*) Jungit

Pag. 61 ſeq. & 7 in Præf.

238 ſeq.

(*) Frequentiſſima eſt in antiquis Documentis *renuntiatio auxilii Juris Canonici & Civilis*, in quibus verbis quidam vigorem Juris Romani jam tum Seculo XIII & XIV deprehendiſſe

Digitized by Google

Jungit his Editor V Chartas Naſſovicas, numero XXI, Seculi XIV, XV & XVI. Vetuſtiora Cl. Editor ſervat Genealogiæ Naſſovicæ, inde a primis originibus deducendæ, quam his *Tomis* proxime inſerere conſtituit, demonſtraturus, gentem Naſſovicam ſurculum eſſe Familiæ *Auguſtæ Francicæ* & ejusdem originis, cujus Merembergios Dynaſtas. In Præfatione ſuppeditat interim quasdam inſcriptiones lapidum ſepulchralium, qui in Valle *S. Arnoaldi* prope Saræpontem habentur. Leguntur hinc ſexto loco Diplomata Megapolitana, quibus Cl. Editor notulas quasdam inter legendum natas adjecit, ut notatu digniora mox appareant. Quod conſilium *Pag. 24 ſeq.*

hendiſſe ſibi videntur. Cl. Editor repugnat, in Præfatione *pag. 17*, & monet, ejusmodi formulam ſignare ſolum *Judicia Eccleſiaſtica & Secularia.* Quodſi vero Diplomata perluſtramus, hanc interpretationem nonnunquam quidem valere, ſæpiſſime autem locum non habere, conſtat. Nam 1) in plurimis Diplomatibus Seculi XIII & XIV renuntiatur beneficiis & exceptionibus Juris Romani, adjecta generali clauſula: *& omni auxilio Juris Can. & Civ.* ita, ut interdum etiam auxilium *Juris municipalis* commemoretur. Vid. *Ludewigii Rel. MSS. T. V. pag. 523;* 2) ſæpe Juris Romani exceptiones vocantur *neue Fünde*, manifeſto argumento, jam tum cavillari cœpiſſe in Germania cauſidicos, quibus boni majores obviam ire conſultum putabant. Etſi autem non ubique nec tanta, quantam ſibi quidam fingunt, Juris Romani erat autoritas; tamen fuit aliqua alicubi, præcipue in Judicio Aulico Imperatorum; item per exceptiones Juris Civilis facile infringi poterant contractus, bona fide Germanorum initi. Nam, ſi judices & Scabini ſeculares (ut ſolebant,) non admitterent allegatas exceptiones, querela denegatæ juſtitiæ dabatur apud judices Eccleſiaſticos, vel etiam Weſtphalicos. Hæc nunc ſtrictim a nobis; alibi copioſius a quodam Collegarum noſtrorum. *Pag. 262 lin. 10* compendia literarum, quæ in Codice erant, ſic legenda putamus: *pro bono pacis & honore civitatis noſtræ.*

ſilium pridem placuit eruditis. Memorabile pactum eſt Depu-
torum Regni Sueciæ cum civitate Wiſmarienſi ratione privile-
orum. Claudunt hunc *Tomum* Miſcella Diplomata XLVI,& Ch-
tæ Seculi XIII,XIV & XV,ad illuſtrationem Juris Publici, Feu-
lis,& Hiſtoriæ Germanicæ,maxime pertinentes,cum notuli-
Pag. 399. Autor vocat,) *plus quam ſubitariis*. Egregium omnino-
rarum Diploma eſt, in quo Dominus *de Munzenberg* A.
allodia ſua a feudis diſtinguit. Sicut Cl. Editor indefeſſa
induſtria, ita porro prodeſſe conſtituit ſeculo, Hiſtoriar-
476. Jurium & Antiquitatum bonæ frugis, cupidiſſimo. Promi-
642. *Syſtema rei nummariæ Germanorum medii ævi*, prelo p-
paratum, item Tractatum *de Monetariis Germanorum*. *To-*
III,quem proxime videbimus,complectetur utplurimum Ha-
ca, item forte aliqua Francofurtenſia,&, quæ *Tomo I* debentur,
Commentationes varii argumenti.

CONSULTI MEDICI DEL SIGNOR DOTTO- GIUSEPPE DEL PAPA, &c.

h. e.

CONSILIA MEDICA DOCTORIS JO-PHI DEL PAPA, Aulæ Toſcanæ Archiatri, Medicinæ Lectoris Publici in Academia Piſana.

Tomus II.

Venetiis, ex officina Sebaſtiani Coleti, 1734, 4.

Alph. 1.

Quas *priori* Conſiliorum Medicorum *Tomo* non dene-
mus, *alteri*, poſtquam ille ex voto omnium comp-
decernimus laudes. Neque enim vel ſermonis elegantia, ve-
ſuum recenſitorum pondere, vel ingenio Autoris,& in ſo-
vendis Quæſtionum propoſitarum nodis dexteritate, diſcr-
Utrinque inventurus eſt, in quo cum jucunditate verſari p-
Lector,utrinque haud mediocris emanat utilitas vel in ipſo-
Medicinam jam profitentur, artis magiſtros, vel in illos,
tyrocinium facturi bene gerendarum rerum exempla
oculos habere cupiunt. Quamvis enim non bene loquent-
ſed bene facientem, Medicum exoptandum ægro pronunt-

Lucia-

Lucianus; ſuavius tamen convaleſcere afflictos eloquenti conſi-
lio, dubium non eſt. Hæc eſt illa ægrotantium felicitas, quam, quotcunque Conſiliarii hujus ſalutiferi opera uti exoptaverunt, experti ſunt, ut morborum ſuorum cauſas pulchro ſermone detectas haberent, nec ſalutis magis recuperatæ, quam modi, quo recuperata ſit, nomine gauderent. Optatiſſimum quidem fuiſſet, Quæſtiones Medicorum doctiſſimorum, Autori noſtro tranſcriptas, inſimul obtinuiſſe, maxime illas, quarum cum laude in Reſponſionibus facta fuit mentio. Nemo enim dubitat, exercitatiſſimos oportuiſſe eſſe illos, quos a Principibus ægris advocatos legimus, quique non tam ſuæ arti diffidentes, quam ſententiæ ſuæ novum robur habituri, peregrina petierunt conſilia. Interim, uti minimorum etiam ponderum ſtudioſus fuit Autor, qualia fuerint interrogata, ex Reſponſi tenore judicare quis facile poteſt. Conſiliorum iſtorum duplex ſemper eſt facies, altera practica, quandoquidem dubium eſſe poteſt lecturis, magisne ſolicita ſit partium, quales in ſtatu naturali eſſe debeant, actionumque inde dependentium, declaratio, an ſtudioſa magis cauſarum ſignorumque morboſæ earundem affectionis evolutio, & prudentius Indicationes eliciendi artificium. Maxime placuit moderatum illud ſanandi ægri ſtudium, quo, expectato potius, quam extorto, morbi eventu, abſtinendum in pertinaci morbo a remediis fortibus parum effecturis ſuadet. Perutilis illa eſt, quam junioribus Medicis, laudis & rerum bene gerendarum ſtudioſioribus, tulit, lex de non turbando naturæ opere, quæ caſu ſtrumarum evoluto extant: *Fundamento iſtius ſolatii, tempus morbo chronico levamen allaturum, parciore etiam medicamentorum uſu exiſtente, innititur plurium diuturnorum morborum cura. Cum enim quandoque mala ſint difficillimæ curationis, nullis nec externis, nec internis, remediis expugnanda, quæ etiam, ſi perſiſterent, parum periculi allatura ſint, ratione & prudentiæ intereſt, ne, nimio ægrum morbo levandi deſiderio, potentiora adhibeantur remedia, quibus, metus eſt, ne in univerſæ ſanitatis amittendæ diſcrimen adducat ægrum finem ſuum nihilo plus conſecutus Medicus.* Nihil dignitati Autoris derogat, Pag. 24.

Rr 2

gat, quod *Tachenianæ* ſcholæ additus videatur, quandoquidem acidi alcalinique, & quod amara acidis opponenda ſint, plurimis in locis mentionem facit. Magna debet eſſe illius Sectæ autoritas, quandoquidem *Hippocratis* veſtigia in eadem agnoſcuntur, brevisque ſit, nec intellectu adeo difficilis, ſermo. Maculæ cutaneæ, Herpes, & ulcera, oriuntur ab acido, quamvis de cetero, quomodo humor ille eſuriens inibi generetur, vel ſine coagulo humorum illuc deferatur, nondum bene perſpectum ſit, multo minus, cum acida emulſiones turbent, quomodo illæ præſente acido præſcribi debeant, id quod factum deprehendimus. Pag. 33. Diſſentiant Medici circa rerum & cognitionis cauſarum principia, ratiocinentur, diſputent, altercentur, dummodo amica ſit ad lectum ægri conſpiratio, nec antiquum illud Methodicorum obtineat: *Citius prodendam urbem, quam ab aliquo Sectæ placito diſcedendum.*

JACOBI THEODORI KLEIN, SECRETArii Reipublicæ Gedanenſis, & Societatis Regiæ Londinenſis Sodalis, Naturalis Diſpoſitio Echinodermatum. Acceſſit Lucubratiuncula de aculeis Echinorum marinorum, cum Spicilegio de Belemnitis.

Gedani, typis Thom. Jo. Schreiberi, 1734, 4.

Plag. 9, cum Tabb. æn. 36.

Aſſueti jam longo abhinc tempore elimatis Cl. *Kleinii* Opuſculis rei naturalis cultores, habituri ſunt hoc novæ famæ ejus ſcientiarumque incremento, de quo ipſi, ſibi, omnibusque, impenſe gratulari poſſint. Noſtra cumprimis intereſt, qui aliquando nominis ejus & partæ in rebus Botanicis gloriæ vindices exſtitimus, non obmuteſcere laudibus, jam nova luce fulgentibus, Viri, hanc unicam, ſi quæ eſt, culpam ferentis, quod meritorum ſuorum minus conſcius, modeſtiam ultra terminos extulerit, quo ſcilicet effectum fuit haud ſemel, ut ejus alii ſuperbi-

perbirent coloribus. Quod niſi faceremus, periculum eſſet, ne, quod jam accidit, peregrini accederent rerum *Kleinianarum* Commentatores. *Tithymaloides* ſane *Nerii Folio*, nec cacalia, nec cacaliaſtrum, antequam a celebratiſſimis Galliæ Academiis Pariſienſi & Burdegalenſi, cumprimis a magnis *Juſſaviis* Fratribus Lutetiæ *Kleinia* appellaretur, haud obſcure, nobis primum in rei indignitatem, quod aliquis alius ſpurio nomine indicaſſet, animadvertentibus in *Actis A.* 1730 *Menſ. April. p.* 172, eidem haud obſcure inſcripta fuit. Nolumus, hoc nobis in opprobrium verti, quod rerum indigenarum, quandoquidem idem Majeſtatis Sacratiſſimæ cultus nos *Kleinio* conjunctiſſimos efficit, frigidi perhibeamur admiratores. Res ipſa loquetur. Hiſtoria animalium, ſi in ſingulis ſui partibus eruditos inventura eſt, qui ſimilem illi, qua Opus hocce conſcriptum eſt, induſtriam collocabunt, parum ſuo tempore habitura eſt poſteritas, in quo, vel addendo, vel in meliorem ordinem redigendo, ingenia exercere poſſit. Dubii ſane hæſimus, majoremne in conquirendo apparatu, prout Tabulæ ab Amicis Autori oblatæ, & in ſui memoriam ſculptæ, loquuntur, induſtriam, an in diſponendo dexteritatem, adhibuerit Noſter, cujus in invenienda methodo etiam paulo poſt addendis apta, &, quantum fieri potuit, pauciſſimas anomalias admittente, felicitatem haud ſemel admirati ſumus. Deprehenſus ſane eſt, quæ duo omnis methodi anima eſſe debent, perſpicuitatem & conſtantiam undique pro baſi agnoviſſe; Character talis eſt, qui non a figura tantum, aliisve, ſuperficiei echinorum aut echinodermatum adhærentibus, utpote lubricam plerumque ſignificandi virtutem habentibus, deſumtus ſit, quamvis & hanc viam cum aliqua difficultate ingreſſus ſit Noſter, ſed qui id, quod omnium maxime conſtans eſt, organicas animalis partes, *os* atque *anum*, pro ordinandis claſſibus indigitet. Equidem echinodermatum ſeu cruſtæ echinorum ratio potiſſimum habenda fuit, partim quod animalculum ipſum *Echinus*, eundem vivendi Mechaniſmum ſervans, cute tamen vel cruſta ſua diverſiſſimum eſſe deprehendatur, partim quod, ſi ad animalculum reſpiciendum eſſet, de illis echinodermatibus nihil pronuntiari poſſet, quo-

rum deperditæ & in nullo marium reperiundæ figuræ lapide ſaltem exprimuntur, quæ imperfectos alioquin ordines feliciter ſupplent. Interim non obſcure apparet, quandoquidem ab organis nutritioni inſervientibus ſumma genera petuntur, utrinque ſatisfactum fuiſſe. Quotusquisque enim eſt, qui non facile perſpiciat, vitæ genus animalculi locorumque & ſcopulorum, quibus adhærent, diverſitatem ſic imperaſſe, ut non uno eodemque modo os vel anus collocaretur, ſicut inter rhomboideos piſces ſunt, quamvis ſub eodem genere collocatos, quibus pro diverſo adhærendi modo oculi vel ſiniſtram, vel dextram, partem reſpiciunt. Curioſiſſimum ſane eſt, non eodem modo vel os, vel anum, in omnibus echinis aut echinometris, ſpatagis aut briſſis, collocari; interim, quacunque methodo ingredi velis, ſive ea, quæ a ſtomate, ſeu ore, ſive ea, quæ a cyſto, ſeu ano, claſſificandi artificium ſuſcipit, certum eſt utrinque, quicquid eſt echinodermatum, eleganter in ordines redigi poſſe. Parem utrinque operam præſtitit Autor. Juxta primam enim diſpoſitionem, quæ a ſitu ani claſſium ſeriem accipit. Echinodermata quædam ſunt Anocyſta, ano in ſummitate conſtituto, id quod in vulgatioribus echinometris maris mediterranei aliorumque ſic [illegible] ſolet, quandoquidem os baſin ſemper occupat, quinque den[illegible]bus pro appetenda & comminuenda eſca eleganter munit[illegible] Diverſiſſimus omnino ſitus eſt eorum, quibus anus cum [illegible] inſimul in baſi collocatur. Nam os, præter quod a centro [illegible]ſeos quandoque declinet, parum mutatur. Addit Autor [illegible]thodicam, nullibi obſervatam, & a ſolerti induſtria perſpic[illegible] ingenii ortam, regulam; quoties anus cum ore in baſi, [illegible] pars teſtæ plana eſt vertici oppoſita, concurrit, toties os [illegible] foramen medio baſeos proximum. Datur tertia cruſtar[illegible] echini diverſitas, qua anus nec in vertice omnino, nec in [illegible]ſi, ſed ad latus, hiare obſervatur, id quod efficit, ut tertium [illegible]nus Pleurocyſton appellari poſſit. Duo vero ſaltem ſunt ſu[illegible]ma echinodermatum genera, ſi ab oris in baſi conſtituti [illegible] eadem definire ſuſcipias, ea ſcilicet, quibus os baſeos centr[illegible] occupat, & quibus extra medium os eſt, ſub primo enim [illegible]ſtomi, ſub ſecundo apomeſoſtomi, collocantur. Prioris di[illegible]

ſionis Claſſes, Sectiones, & genera, concatenata ſerie incedunt: Claſſis ſcilicet primæ anocyſtorum, ſubdiviſæ Sectiones, altera *Cidares*, *Miliares*, *variolatas*, *mammillatas*, *coronales*, *corollares*, *aſterizantes aſſulatas*, *Botryoides*, *Toreumaticas*, altera vero *clypeos*, continet. Quæ ſane comparationum pro effingenda idea in mente Lectoris ratio elegantior multo, reique magis analoga eſt, quam ſi quis cum Furno globoſam cruſtarum ejusmodi figuram comparare ad mentem *Rumphii* velit, nec difficile omnino intellectu erit, terminis a conſtanti quapiam concretorum figura, maxime ſi illorum ſignificandi valor ab artis peritis receptus agnitusque fuerit, varias ſuperficierum inæqualitates & condecorationes, quibus intima genera diſcrepent, indigitari ac deſcribi poſſe ac debere. Et quid impedit, quo minus ei, qui artis magiſter a plurimis agnoſcitur, integrum ſit, prægnantes inteſtina declarandi potentia excogitare terminos, maxime ſi eorum geneſis mathematica ſit, & ad linearum angulorumve menſuram reduci poſſit. Inde, ne obſcuritatis culpam ferret Autor, ſingularum vocum, quarum plurimarum nobiliſſima eſt Græciæ Latiique proſapia, etymologias ſtudioſe affert, monetque, quid in echinorum cruſtis poſſit debeatque hoc vel illo vocabulo efferri. Fatendum eſt ei, qui vel primis ſaltem labris deguſtavit, quam recte ſic appellavit *Buonannus* delicias, mentis & oculi, Oſtrocodermorum & Malacoſtreorum hiſtoriam ſic quidem artificialibus, quas Mathematici effingunt, figuris æquiparari poſſe corporum iſtorum modificationes, ut inter decem Mathematices gnaros vix unus futurus ſit, qui diſpar de eorundem ſuperficiali aſperitate linearum decuſſationibus, angulis, parallelogrammis, punctorum tuberumque ſeriebus, judicium laturus ſit, quo ipſo inter æquos rerum æſtimatores neminem fore arbitramur, qui, Autore etiam non monente, id quod quandoque fecerit ejus omnibus ſatis facturæ induſtriæ tribuendum eſt, non intelligat, quid ſint coluri, tæniæ, peripheriæ, ſinus, quibus notionibus non minus illuſtrem ea, quam artifex dedit, picturam menti omnium affert. Et, ne quis arbitretur de cruſtis echinorum tantum ſolicitum fuiſſe Autorem, monendus eſt Lector, paſſim addi ea,

quæ

Digitized by Google

quæ ad ipſius animalculi in cruſta viventis anatomiam uſumque partium pertinent. Exempli loco eſſe poteſt erudita de verrucis, quæ circa anum anocyſtorum obſervantur, diſceptatio, cujus, uti nullibi diffitetur, ſi quid aliunde acceptum habuit, primam opportunitatem eidem dedit Cl. *Breynius*. Inſervire iſtud organon generationis negotio, non tam declarat, id quod quilibet alius facturus fuiſſet ob argumentorum pondus, quam iſtius rei probabilitatem innuit, quæ veritati propior eſt, quo experientia magis comprobatum habemus, firmiter connexos, & hac potiſſimum parte cohærentes, inveniri echinos, cum prolem faciunt, cujus cohæſionis vinculum rigidi aculei ſpathulæ aut claviculæ quandoquidem eſſe nequeunt, ſane verruca iſthæc, quæ in omnium remotiſſimo inter quinque foramina exiſtit, in ſubſidium vocanda eſt. Quod Catocyſtos attinet, echinos, quorum anus inferiori loco prope os ad baſin collocatur, illi quidem a figuræ, quam effingunt ad menſuram circuli, diverſitate in regulares atque irregulares ſua ſponte dividuntur. Et horum quidem elegantiſſima & numeroſiſſima eſt diverſitas, quorum ſi quis conſcius & memor eſſe velit, fruſtra laboraret, niſi eſſent, quibus unumquodque eorum apte indicetur, nomina *Fibularum*, *Conulorum*, *Caſſidum*, *Galearum*, *Scutorum*, quandoquidem & pleurocyſti, illi ſcilicet, quibus in latere anus eſt, plurimis inter ſe nominibus diſcrepant, ſuoque jure uſus eſt Autor, cum derelicta & vacua antiquiſſima iſta *Ariſtotelis*, quæ echinis quibusdam rariſſimis inventu attribuit, ſpatagorum & briſſorum nomina inveniret, eadem nobilioribus quibusdam generibus attribuendi. Sunt eidem ſpatangi omnes pleurociſtæ cordati inſignem habentes lacunam in dorſo: Briſſorum autem nomine eidem veniunt Pleurociſti figuræ ovatæ. Quodſi aſſens opus eſt, poſtquam celebratiſſimorum in [illegible] Virorum autoritate ejus opiniones jam conſtant, & nos haud difficulter ſubſcribimus, jamque prævidemus, fore, ut iſte Liber in ſua ſcientia claſſicus futurus, & noſtrorum & aliorum pinacothecis pro inſtruendo Echinorum ordine inſerviat. C[illegible] de aculeis echinorum inſcribitur lucubratiuncula, rebus ad anatomiam animalculi echinodermatis incolæ ſpectantibus lu[illegible]

riat. Jucundiſſimum viſum eſt, fere omnia, quæ in animalculi ſectione obſervantur, ad Quinquennionem redire. Quinque foramina circa anum, petaloides haud paucorum & pentaphylloides figura, quinque dentes, quinque ligamenta, totidemque annuli. Inteſtinum magnum quinquifidum, ſeu ſtomachus ex mente *Rumphii* quintuplex: ovarium itidem ovulis refertiſſimum, a quo ſcilicet echini antiquis ovarii & echinometræ dicti fuerunt, & quintuplici ordine diſpoſitum, ſpatiis eleganter & æquali inter ſe diſtantia diſpoſitis. Dentibus carere ſpatangos & briſſos, quod vivi raro deprehendantur, noſtrorumque marium incolæ non ſint, in dubio relictum fuit; quorum hoc prorſus peculiare quidpiam eſt, quod labium alterum altero ſuperius ſit, quo ſcilicet arenas aquasque, uti ſuſpicatur Autor, haurire poſſint. Mirabilis eſt aculeorum, qui beſtiolæ cruſtam ſpinis horridam & marium incolis periculoſam efficiunt, ſeries, & cum interioribus nexus numerus eorum pro corporum mole varians: *Bellonius* ſex millia in ovariis, *Reaumurius* duo millia, & ducentos aculeos, & mille ter centum pedes numeraverunt. Incedit enim animalculum aculeis iſtis, eosdemque ſicut & cornua cochlearum cornubus æmula muſculis movet, qui prorſus tendinei a communi quadam & cruſtæ ſubtenſa membrana propaginem ducunt, quo efficitur, ut, iſthoc velo putreſcente, aculei vere omnes defluant. Neque vero iſtorum aculeorum una eademque exiſtit facies; quandoquidem & magnitudine & apicum diverſitate diſcrepant. Quo ipſo ab Autore *Acicula, ſudes, ſpatbulæ, radii coronati, & clavicula*, appellantur, quorum ſingulorum adhuc magnum inter ſe diſcrimen eſt, uti legentibus id magno cum animi oblectamento perſpicietur. Doctiſſima eſt de *Belemnitis* Diſſertatio, iſtis ſcilicet foſſilibus, quæ aliquo modo cum radiis echinorum conveniunt. In ea tamen opinione non verſatur Autor, ac ſi, quicquid denique belemnitarum nomine venire in vulgus ſolet, echinodermatum propago ſit, quin potius, cum *Scheuchzero* removendo ſpurios, qui ſtalactites potius ſunt, itidemque illos, quos Lyncurios appellamus, quamvis non neget iſtos animalis cujusdam marini echinoidis jamque ut plura alia ignorati par-

Digitized by Google

tem eſſe poſſe, in illo ſuam collocat operam, ut demonſtret, claviculos læves Dactyliformes vere eſſe echinorum radios, quibus meditationibus plures aliæ de alveolis, ceraunitis, lapidibus caudæ cancri, adjunguntur. Acceſſit ad calcem Operis Tabula Zoologica, quæ Synopſin eorundem omnium concinnam, omnibusque modis adæquatam, exhibet, quamvis, quod in nulla methodo evitari poteſt, anomaliis non careat ordo. Valet enim de omnibus methodis, quæ hac ætate orbis eruditi ingenia plurium exercent, non eam eſſe optimam, quæ nullis, ſed quæ paucioribus laborat difficultatibus. Nec minori ornamento eſt, quod muſei ſui apparatum communicare cum rei naturalis amatoribus haud dedignatus fuerit. Quodſi fertile Autoris ingenium & improbus labor inter turbas feliciſſimos ejusmodi fœtus parere potuit, quid tranquillitate publica conceſſa ulteriusque confirmata fiet? Faxit Deus, ut in tam caro corpore ad magna quævis natus animus virium robore ad ulteriores conatus polleat ac ſuſtentetur.

JO. GOTHOFR. LAKEMACHERI, GRÆC. & Orient. Lingu. Prof. Ordin. Antiquitates Græcorum Sacræ.

Helmſtadii, impenſis Chriſt. Frid. Weygandi, 1734, 8. Alph. 2 pl. 1.

Quo utilior magisque neceſſaria eſt Antiquitatum Græcarum cognitio literarum ſtudioſis, quæ liberaliores vocari ſolent, eo melius conſulere rei literariæ cenſendi ſunt illi, qui in hoc genere eruditionis etiam atque etiam elaborant. Non defuerunt quidem poſt renatas in Europa literas Viri doctiſſimi, qui huic parti ſcientiarum operam ſuam impenderunt; at, horum ſi quis labores conatusque recte penſitaverit, & cum iisdem Cl. *Jo. Gothofr. Lakemacheri* Antiquitates, quas recenſere jam eſt animus, Græcorum Sacras comparaverit, næ, is fateatur, oportet, omnibus omnino palmam dubiam eſſe redditam a Viro, quem modo laudavimus, Clariſſimo. Cumque ſinguli

ſinguli Autores ſuum habeant inſtitutum, ad quod laborem omnem in elaborando quodam argumento dirigunt, *Cl.* Autori harum Antiquitatum non fuit propoſitum, Antiquitates Græcorum ita pertractare, ut omnia, quæ de iis dici ſcribive poſſent, in unum collecta corpus effuſius exponeret. Contra ea hoc conſilio expoſitionem rituum Græcis quondam uſitatorum ſuſcepit, ut eas comprehenderet libro, qui cum iis, qui in Academiis, duce præceptore, notitiam eorum ſibi comparare ſtudent, tum illis quoque, qui ſine Magiſtri ope eorundem conſectantur ſcientiam, utilis eſſet atque accommodatus. Quocirca in id omni ſtudio incubuit, ne vel brevis, vel copioſus nimis eſſet, quorum hoc lectioni Academicæ minus convenire, illud vero fraudi futurum videbatur iis, qui ſine præceptore cupiunt proficere. Atque hac ex parte Cl. Autoris inſtitutum hoc vehementius laudabunt omnes Græcarum Antiquitatum cupidiores, quod nemo unus omnium, qui ſe huic operæ unquam ſubduxerunt, id ſecutus reperitur in explicandis Græcorum ritibus. In rebus autem diſponendis eam ſibi rationem ſervandam duxit Autor, quam in Antiquitatibus Ebræorum Sacris ſecutus eſt *Hadr. Relandus.* Hinc factum eſt, ut *quatuor Partibus* abſolverentur hæ Antiquitates Græcorum Sacræ: quarum *prima* de locis ſacris, *altera* de perſonis ſacris, *tertia* de rebus ritibusque ſacris, & *quarta* de temporibus ſacris, exponitur. In Prolegomenis quinque potiſſimum utilitatis ex cognitione harum Antiquitatum redundantis genera afferuntur, dum docetur, hanc ſcientiam juvare lectionem Autorum veterum accuratam, cum jucunditate quadam conjunctam; conferre ad interpretationem utriusque Fœderis, maxime vero Novi Fœderis, plurimum; adjumento eſſe egregio in legendis intelligendisque Patribus ſeu Doctoribus Eccleſiæ antiquæ, ac denique conducere Antiquitatum Græcarum comparationem cum ſimilibus quibusdam Judæorum ac Chriſtianorum cerimoniis ad perſpiciendam poſteriorum originem. *Pars I Capita* habet *ſeptem*, quorum *I* agit de Græcorum regione, exponitque Græciæ nomina varia, terminos, ingenium & naturam ſoli, fluvios, lacus, montes, valles, ac campos, inſulas tum propin-

Pag. 2. 3. 5. 8. 9. 13 ſeq.

 quiores,

Pag. 38 ſeq. quiores, tum remotiores, & colonias; *II* de urbe Athenarum, cujus urbis præſtantia, claritas, & antiquitas, docetur, nomina explicantur, ſitus, ambitus, muri, portæ, arx, hujusque opera memorabilia, templa, ſtatuæ atque aræ, curiæ, fora, porticus, theatra, odeum, Gymnaſia & ſtudia, tholus, Bibliotheca & Λέσχαι, deſcribuntur, habitatores, annonæ ratio, aer, ſuburbana, Academia ſcilicet, Lyceum, Cynoſarges, ſtadium Panathenaicium, ac portus, indicantur;
76 ſeq. *III* de Sparta, Corintho, & Thebis, quarum nomina, claritas, ſitus, conditores, ambitus, muri, templa, & alia loca nobiliora, commemorantur;
99 ſeq. *IV* de Græcorum Diis, Dæmonibus, ac Heroibus, ubi, repetita a capite religione Græcorum, de primis apud Græcos Diis; nec non de Diis, tum ex hominibus, tum ex civitatibus factis, de tribus Deorum, cœleſtium, terreſtrium, atque inferorum, ordinibus, exponitur, non omiſſis Athenienſium Diis peregrinis atque ignotis;
134 ſeq. *V* de agris lucisque Deorum honori atque cultui conſecratis, ubi, oſtenſa cauſa, cur agri & luci Diis ſacrati fuerint, inprimis docetur, in lucis aras & ſimulacra, aſyla, templa, fuiſſe, ac flagitia exercita;
154 ſeq. *VI* de templis, quorum nomina afferuntur, diſpoſitio, magnificentia, forma, portæ, partes, tam generales, quam ſpeciales, conſignatio &c. delineantur, cur & quibus in locis exſtructa, utrum uni Numini tantum, an pluribus ſimul, ſacrata fuerint, diſquiritur;
189 ſeq. *VII* de ſimulacris, aris, menſis ſacris, & donariis. Demonſtrat hic Cl. Autor, præmiſſis ſimulacrorum nominibus, & declarata origine ſtatuarum, & fine, propter quem poſitæ fuerint, prima ſimulacra truncos & rudes lapides oleo pertinctos fuiſſe, poſtea humanam formam, quam Dædalus expoliverit, accepiſſe, & *βρέτη* vocata, & alia ſtantis, alia ſedentis, alia denique jacentis, ſpeciem retuliſſe, plerumque ex ligno, lapide & marmore, nec non ex auro, argento, atque ære, confecta, quibus Deorum inſignia addebantur.
229 ſeq. Quod ad aras attinet, earum diſcrimen, materia, altitudo, cornua, coronæ, uſus, caminus, conſecratio, traduntur, &, breviter explicatis menſis ſacris, donariorum materia, & cauſa, cur oblata fuerint, illuſtratur, &, aſyli privilegium & templis nonnullis & civitatibus tributum fuiſſe, evincitur.

Pars

Digitized by Google

Pars II, de perſonis ſacris, *tribus* conſtat *Capitibus*: *I* de Sacerdotibus, eorumque nominibus, triplici conſtitutione, requiſitis, ordinibus, reditibus, veſtitu, exponit, & Sacerdotes fœminas, earumque nomina, refert; Pag. 261 ſeq. *II* de Miniſtris Sacerdotum agit, qui fuerunt *δᾳδοῦχοι*, *κήρυκες*, *νεωκόροι*, *θύται*, *βουθύται*, ſeu *βούτυποι*, *πυρφόροι*, *ὑμνῳδοὶ*, *ὑμνήτριαι*, ſive *ὑμνητρίδες*; 294 ſeq. *III* de initiantibus, & initiationis cerimoniis, de expiantibus, de vatibus, eorumque nominibus, & vaticinandi facultatis adminiculis. 303 ſeq.

Pars III, de rebus ritibusque ſacris, *decem* continet *Capita*. *I* eſt de Sacrificiis, quorum nomina & origo prima oſtenditur, doceturque, antiquiſſima Sacrificia ex herbis, frugibus terræ aliis, arborumque fructibus, conſtitiſſe, & deinde ex animalibus, cumprimis ſuibus, ovibus, capris, bubus, &c. ita quidem, ut ſingulis Numinibus ſingulæ fuiſſe victimæ demonſtrentur, quo etiam referuntur mola ſalſa, liba, ſuffitus ex thure & ſtyrace, libamina. 321 ſeq. Septem hic ſpecies ſacrificiorum cummaxime conſtituit Doctiſſ. Autor, eaque affirmat fuiſſe *τιμητικὰ*, quæ in honoris ſignificationem offerebantur, *εὐκταῖα*, votiva, *χαριστήρια* ad gratias Diis perſolvendas, *σωτήρια*, quæ ſalutis cauſa fiebant, *αἰτητικὰ*, quibus vel bona a Diis obtinere, vel mala per eos avertere, conabantur, *ἱλαστικὰ*, vel *διαλλακτικὰ*, quæ ad iram Deorum placandam adhibebantur, & denique *τὰ ἀπὸ μαντείας*, quæ ab oraculo vel vate aliquo injungebantur. *II* de precibus, earumque claſſibus, vi & efficacia, occaſione ac temporibus, formulis, & reliquis precantium requiſitis, de diris, de votis, de hymnis, & de jurejurando, ejusque formulis & ritibus; 410 ſeq. *III* de luſtrationibus, Sacrorum & oraculorum cauſa factis, de luſtrationibus homicidarum, poſt uſum Veneris, & de rebus in luſtratione adhibitis; 460 ſeq. *IV* de oraculis generatim, ubi eorum nomina, dignitas, & autoritas, explicatur, quibus in rebus conſulta fuerint, diſquiritur, & cauſa eorum efficiens declaratur; 480 ſeq. *V* de oraculo Dodonæo; *VI* de oraculo Delphico; 492, 498. *VII* de oraculo Trophonii; *VIII* de Amphiarai, Colophonio, Branchidarum, Delioque oraculis; 519, 530. *IX* de divinatione ex ſomniis, per Sacrificia, eorumque ignem, fumum & vinum, per ſortes, *στίχους* & virgas, per mortuos & umbras, per 542 ſeq.

 aquas,

Pag. 561 ſeq. aquas, per gallum, per cribrum; *X* de ominibus & rebus externis, & verbis, diſſeritur.

Pars IV, de temporibus ſacris, abſolvitur *ſeptem Capiti-*
573 ſeq. *bus*. *I* exponit de tempore in genere, ſeu de annis, menſibus
582 ſeq. & diebus; *II* de feſtis, quorum præter cetera hic illuſtrantur *Adonia, Antheſteria, Apaturia, Buphonia, Brauronia, Diamaſtigoſis, Diaſia, Dionyſia*, ſive *Bacchanalia, Eleuſinia, Theſ-*
635 ſeq. *mophoria, Panathenæa*; *III* de exercitiis corporis apud Græcos uſitatis, hinc de curſu, ſaltu, diſci jactu, ſagittatione &
647. jaculatione, lucta, pugilatu, ac pancratio, diſſeritur; *IV* de lu-
668. dis Olympicis; *V* de ludis Pythiis; *VI* de ludis Nemeis;
679. *VII* de ludis Iſthmicis. Atque hæc quidem Antiquitatum Græcarum momenta ita pertractantur, ut ubique ipſorum Autorum veterum verba, ex quibus probantur dicta, afferantur, non omiſſis tamen iis, qui jam data opera hoc ipſum argumentum recentioribus temporibus elaborarunt. Nos non dubitamus, quin opera Viri Clariſſimi eruditis gratiſſima ſit futura, & quin omnes elegantioribus literis faventes Doctiſſ. Autori vitam, otium, viresque ſint apprecaturi, quo eadem ratione Antiquitates Græcorum civiles, militares, domeſticas, & literarias, proxime in lucem emittere poſſit.

WILH. ERN. EWALDI, V. D. M. ALTON. Emblematum Sacrorum Vet. & Nov. Teſt. Liber III & IV, ſive Pars altera, cum Nummis & Figuris æneis. Accedit Specimen Obſervationum Philologicarum in Epiſtolam ad Epheſios, ex Hiſtoria & Antiquitatibus Aſiæ illuſtratam.

Altonaviæ, apud Jonam Korte, 1733, 4.

Alph. 3 pl. 9.

Datam Pl. Rev. *Wilh. Ern. Ewaldus* a ſe fidem nunc præſtitit, &, quod promiſit, *alterum* Emblematum Sacrorum Veteris & Novi Teſtamenti *Volumen* exhibuit. *Pars* hæc *altera* continet duplicem Emblematum Decadem, quæ, licet eadem, qua in *priori*

Volumi-

Digitized by Google

Volumine, ratione pertractata ſint, majori tamen cura & diligentia elaborata eſſe ſingula, facile apparet. Varietatem enim cujusque Emblematis ac demonſtrationem in prioribus Exercitationum Paragraphis præmiſit, quæ in Libris duobus prioribus fruſtra quæruntur. *Alterum* hoc *Volumen* æque ac prius illud in *duos Libros* diviſum eſt; quorum uterque decem Exercitationibus conſtat. In *priore* hujus *Voluminis Libro*, qui reſpectu jam editi *Voluminis* eſt *tertius*, Exercitatio I eſt *de calice inebriante, Symbolo omniſufficientiæ & meritorum Meſſiæ, Pſalm. XXIII, 5*, quæ ex Sacræ Scripturæ locis probat, Emblema calicis a Scriptoribus Sacris non ſolum in malo, uti vocant, ſenſu uſurpari ad denotanda dogmata perverſa & idololatriam turpiſſimam, ad indicandas voluptates hujus mundi, & concupiſcentiam carnis adumbrandam, ad hypocritas eorumque cordis abominationem depingendos, ac denique ad iram divinam & graviores hujus vitæ miſerias repræſentandas, verum etiam in bono ſenſu adjectum ordinarium, &, ea, quæ ad vitæ ſuſtentationem pertinent, ac præcipue ad omniſufficientiam ac merita Servatoris noſtri largiſſima denotanda. Exercitatio II *de lotione manuum ſymbolica, Pſalm. XXVI, 6*, agit, ubi Pl. Rev. Autor oſtendit, lotionem ſymbolum eſſe innocentiæ, initiationis, expiationis, ſanctificationis, &c. Exercitatio III *de Virginibus tympaniſtriis Symbolo Doctorum Novi Teſtamenti, Pſ. LXVIII, 26*, diſſerit. Probat enim, virgines in luctu publico, in nuptiis, & feſtis, & ſacris publicis, in triumphis ſolennibus prodiiſſe, idemque convenire doctoribus Novi Teſtamenti. Exercitatio IV *de habitante ſuper Cherubim ſymbolicis, Pſ. LXXX, 2*, inſcripta eſt, in qua contendit Pl. Rev. *Ewaldus*, Cherubim non Chriſti, non virtutum divinarum, nec nubium & venti, ſed Angelorum, ſymbolum fuiſſe, typosque Apoſtolorum & Doctorum & omnium denique fidelium. Exercitatione V *Botrum Copher Symbolum Meſſiæ* fuiſſe oſtendit. Nam, quemadmodum Botrus Symbolum eſt in Literis ſacris bonorum operum, voluptatum, abundantiæ, ita etiam ipſius Meſſiæ, cujus rei varia adducuntur momenta & applicantur. Exercitatio VI *de horto Eccleſiæ Symbolo, Cantic. IV, 16*, commentatur. Symbolum proſperitatis tam corporalis, quam ſpiritualis,

Pag. 1 ſeq. — 35 ſeq. — 58 ſeq. — 86 ſeq. — 112 ſeq. — 139 ſeq.

tualis,totius orbis terrarum ipſius Dei, doctrinæ, gratiæ,ac Scripturæ & inprimis Eccleſiæ, & externæ, & internæ, nec non tri-
Pag.165 ſeq. umphantis,hortus eſſe dicitur. Exercitatio VII *de curru Aminadab, ſeu populi ingenui, Symbolo verbi Evangelii, Cantic. VI, 9* vel *12*, exponit, ubi currus Symbolum imperii, protectionis, ac tutelæ Principum erga populum, exercituum robore inſignium, Angelorum, ſeu exercituum cœleſtium, nubium ac ſtellarum, eloquentiæ & ſermonis & in ſacris verbi veritatis & Evangelii adſtruitur.
203 ſeq. Exercitatio VIII *de deſerto Symbolo gentium, Jeſ. XXXII, 16,* agit. Deſertum in Sacra Scriptura eſt Symbolum populi Judaici,
225 ſeq. Anti-Chriſtiani Imperii, & maxime gentilium. Exercitatio IX *de Speculatoribus montium Symbolo Doctorum Novi Teſtamenti, Jeſ. LII, 8,* commentatur. Præter Doctores, Sacerdotes & Prophetas in monumentis ſacris Speculatores quoque ſignificant
260 ſeq. ſymbolice Deum & Angelos. Claudit hunc *Librum* Exercitatio X *de lapidibus conſecrationis erigendis in vexillum, Symbolo teſtium veritatis, Zach. IX, 16,* ubi lapides evincuntur eſſe Symbolum hominum in genere, & in ſpecie fidelium, Deorum apud veteres, Imperatorum, Regum ac Doctorum, hoc eſt, teſtium veritatis.

Libro IV, ſeu *altero*, in hoc *Volumine ſecundo* ſequentes habentur Exercitationes: *de columba, Spiritus Sancti Symbolo, Matth. III, 16: de vulpibus in luſtris, Symbolo Pſeudo-Doctorum & Sadducæorum, Matth. VIII, 20; de portis inferorum, Symbolo regni tenebrarum, Matth. XVI, 18: de galli cantu Symbolo præconii Apoſtolorum, Matth. XXVI, 74: de forma ſervi, Symbolo ſtatus Chriſti exinanitionis, Phil. II, 7: de palmis in manibus turbæ electæ, Symbolo vitæ æternæ, Apoc. VII, 9: de mari, cui pedem dextrum impoſuit Angelus, Symbolo gentiliſmi, Apoc. X, 2: de Zonis aureis ſeptem Angelorum, Symbolo præconii veritatis Apoc. XV, 6: de muris Hieroſolymæ novæ ex Jaſpide, Symbolo doctrinæ veritatis, Apoc. XXI, 18: de margaritis Hieroſolymæ novæ portis myſticis, Apoc. XXI, 21.* His vero Exercitationibus, Emblemata confirmantibus, ſubjectum eſt Specimen Obſervationum Sacrarum in Epiſtolam Paulinam ad
570 ſeq. Epheſios, ubi Doctiſſ. Autor inter alia verbis *σοφίᾳ ἐν μυστηρίῳ* & *ἀποκαλύψει τοῦ μυστηρίου* ad myſteria ſacra Dianæ Epheſiæ,

ἱερὰ

ερὶ ejus γράμματα, & ad artes ſapientiæ occultas Magorum Epheſiorum alludi cenſet; nomina vero σφραγίζεσθαι & ἀῤῥαβὼν de Spiritu Sancto adhibita ex annulis Epheſiorum magicis, quibus occulta ſciri, & ſe contra quævis mala muniri, credebant, voces σῶμα καὶ πλήρωμα, quæ de Eccleſia & Deo uſurpantur, ex ſymbolica Dianæ Epheſiæ ſtatua, quæ corpus habebat πολύμαστον, multis mammis & uberibus inſtructum, illuſtrat. Ceterum præmiſſa eſt huic *Volumini* figura nova, æri inciſa, arcæ fœderis cherubim, & columnæ nubis & ignis, in qua Angelus fœderis in forma viſibili apparet ſummo Pontifici, additis quatuor nummis rarioribus, qui Sphingum Ægyptiarum, quas ex Cherubinis confinxiſſe Ægyptii dicuntur, formas referunt, adjecta inſuper tabula numiſmatum, ad illuſtrationem Emblematum facientium. Finem vero huic *Volumini ſecundo* imponunt tres Indices, *I* locorum Scripturæ, vel brevius, vel copioſius, explicatorum; *II* Vocum Hebraicarum & Græcarum; *III* Emblematum & rerum memorabilium. Id denique vere confirmare poſſumus, *Volumen* hoc *alterum priori* multum præſtare & elaborationis & typorum accuratione. Pag. 574. 576 ſeq.

ELOGIUM JOANNIS FREINDII, MEDICI Anglorum nobiliſſimi.

Sextus jam agitur annus, quod, expletis mortalitatis legibus, diem ſuum obiit *Joannes Freindius*, Medicus Britannus, cujus doctrina atque fama ampliſſima vereri nos non ſinunt, ne memoria ejus cum corpore intercidat, quouſque Viris præclare doctis beneque meritis decus ſuum poſteritas rependet. Quandoquidem igitur & nos de Libris ejus, cum ſeorſim, tum conjunctim, uno Volumine editis, identidem commemoravimus, nunc etiam ipſius horum Autoris Elogium in Commentarios noſtros, ſupremi honoris cauſa, referemus, idque eo lubentius, quod ita, edita animi ab omni partium ſtudio alieni, & nec amori, nec odio, aliquid dantis, ſignificatione, de integritate noſtra conſtare poſſit, cum alias Virum illuſtrem judicio, de prælectionibus ipſius Chymicis quondam a nobis lato, offenſum, rationibusque no-

ſtris non adeo amicum fuiſſe, probe recordemur. Sed, ut ad rem ipſam veniamus, primam *Joannes Freindius* lucem adſpexit A. 1675 Crotone, Angliæ oppido, in Comitatu Northantonienſi ſito, patrem nactus ejusdem oppidi Eccleſiæ rectorem, Sacerdotem doctum, pium, probum. Is filios binos ad Scholam Regiam Weſtmonaſterienſem, claram meliorum literarum ſedem, ablegavit, cujus eo tempore præcipuam curam habuit celebris Præceptor, *Busbyjus*. Literis in ea præclariſſime excultus uterque, Oxonium in ædis Chriſti Collegium abiit, cui tum præfectus erat *Aldrichius*, Vir ad hanc provinciam natus factusque, & ſingulare Collegii ornamentum, ſub quo ſtudia in hoc Collegio veluti fervere videbantur, ut multi etiam illuſtriores Viri ea inſtitutione uterentur. Hos omnes ſtatim, ſive nobilioris eſſent conditionis, ſive inferioris, amicos habuit *Joannes*, tamque ſancte poſtea quoque coluit, ut nullos potiores haberet. Vehementi etiam in ædem hanc amore incendebatur. Huic omnem in literis profectum, huic artis primordia, huic nominis incrementum, huic opes, huic amicos, huic omnem vitæ jucunditatem acceptam ſe referre, prædicabat. Per primos aliquot annos in communem Philoſophiam, & veterum Poetarum, Oratorum, & Hiſtoricorum, tractationem incubuit, horumque lectioni & imitationi deditus, ſtilum adeo exquiſite perpolivit, ut poſtea in medico certamine nitorem ejus atque aciem vehementer omnes admirarentur. Etenim hæc accuratior & Philoſophiæ, & humaniorum literarum, cognitio omnibus ejus ingenii monumentis ſingulare ſemper decus atque ornamentum attulit. Biennium poſtea, quam Oxonium venerat, ineunte anno ætatis primo & vigeſimo, opera cum Amico erudito collata, celebre Orationum par, alteram *Æſchinis*, *Demoſthenis* alteram, edidit, nitida interpretatione illuſtratum, una cum Indice Alphabetico, ubi res paulo difficiliores breviter, docte, ac dilucide, exponuntur. Quanquam vero vehementer amabat has literas, harum tamen dulcedine non ita ſe abripi ſivit, quin ad ſublimiores utilioresque ſcientias mature contenderet. Itaque Mathematicis diſciplinis vacavit, quod eas perquam ſibi fructuoſas fore exiſtimaret. Sed nec his nimium immoratus,

quos-

quosvis melioris notæ Scriptores, veteres perinde ac recentiores, in arte medica, cui ſe totum traditurus erat, diligenter pervolvit, atque in Anatomia ſimul & Chymia ſingularem operam collocavit. His autem præſidiis inſtructus, ad artis ſuæ exercitationem juvenis acceſſit. Juvenis etiam, cum tantummodo Medicinæ Baccalaureus eſſet, Emmenologiam edidit, a pleriſque magno plauſu exceptam. Habuit tamen, quod in eâ reprehenderet *Snellenus*, Belga, qui ægre fert, menſium fluxum a plethora repeti, fermentorumque partes tuetur. Poſt hunc Emmenologiam edidit A. 1712 *Petrus Freſart*, Medicus Leodienſis, qui, ſal evectivum purgaminis uterini in vaſis collecti genuinam fermentationis menſtruæ cauſam eſſe, contendit. Poſtea etiam *Thomas Simſon Freindii* ſententiam rejecit, qui, eruptionem menſium in cauſa eſſe, opinatur, quare uterus ad magnitudinis ſuæ ἀκμὴν veniat, incrementum vero uteri ſenſim factum cauſam eſſe, cur iidem erumpant, idque ideo, quod ſinus per uterum diſſeminentur, qui progreſſu temporis, ſicut ſeminis viæ in maribus, aperiantur, & ſanguinem affluentem intra ſe recipiant. Anno etiam 1721 Animadverſiones quædam Criticæ Pariſiis in Emmenologiam *Freindianam* prodierunt, alio loco a nobis commemoratæ. *Freindius* vero ipſe A. 1704 in Academia Oxonienſi explicandæ Chymiæ munus ſuſcepit, prælectioneſque ſuas magna Auditorum frequentia habuit, A. 1709 in publicam lucem emiſſas. A. 1705 Illuſtriſſimus Comes Petriburgenſis in exercitu, cui ipſe in Hiſpanica expeditione præfectus erat, Medicum Caſtrenſem denominavit. Quo officio per duos prope annos magna cum laude functus, ac poſtea domum reverſus, eodem animi vigore, quo ille debellaverat, res ejus in Hiſpania geſtas Commentariis ſuis enarravit. Verum in itinere a via divertens, Romam petiit, & antiquitatis monumenta vidit, Medicorumque ejus urbis Celeberrimorum, *Baglivii* & *Lancisii*, amicitiam favoremque ſibi conciliavit. A. 1712, poſtquam Londini inde ab A. 1707, literis & doctorum colloquiis, ægrotorumque curationibus, intentus, ſedem ſuam conſtituerat, cum *Jacobo*, Ormondiæ Duce, Copiarum Britannicarum Imperatore, ut ipſius valetudinem tue-

Digitized by Google

retur, in Flandriam diſceſſit, eodem anno in Societatem Regiam Præſide *Newtono* cooptatus. Intra annum vero rediit, Londinique rurſus conſedit, nec poſtea eo emigravit, ſed artem perpetuo ibi exercuit. A. 1716 Librum *Hippocratis* Epidemiorum primum atque tertium edidit, hisque accommodavit novem de febribus Commentarios. Notavit in his nonnulla Cl. *Trillerus*, quæ tamen magis ad Critica, quam Medica, pertinent, in Epiſtola ad *Freindium*, A. 1718 edita, cui *Joannes King* reſpondit. A. 1719 *Freindius* publicavit de purgantibus in ſecunda variolarum confluentium febre adhibendis Epiſtolam, ad Virum Celeberrimum, *Richardum Mead*, perſcriptam. Quandoquidem enim hanc opinionem jam tum in Commentariis ſuis propoſuerat, eandem *Woodwardus* in libro de Medicinæ ſtatu aggreſſus erat. Huic *Freindius* nihil ſerio reſpondendum eſſe exiſtimans, libellum ſub Empirici cujusdam nomine emiſit, & injurias, quas accepiſſe ſibi viſus eſt, facete propulſavit, inſtituti autem ſui utilitatem & rationibus, & autoritate idonea, & hiſtoriis, *Hippocratico* plane more ſcriptis, hac Epiſtola corroborare inſtituit. A. 1720 Orationem habuit Anniverſariam, ex *Harvæi* inſtituto, in eorum commemorationem, quos ſua in Collegium Medicorum Londinenſe beneficentia claros reddidit. Inter alia dona, huic Collegio impertita, *Harvæus* publicis tabulis conſtituit, ut epulum quotannis ſuo ſumtu fieret, & Oratio Anniverſaria recitaretur. *Freindius*, ut erat Medicorum concordiæ & feſtivitatis perquam ſtudioſus, cumprimis elaboravit, ut epulum hoc, diu intermiſſum, inſtauraretur, & Oratoris munus in ſe ſuſcepit. Theatrum Anatomicum in æde Chriſti Oxonienſi ædificare, & liberale prælectori ſtipendium conſtituere, decreverat. Quod quo minus efficeret, mors præmatura eum impedivit. At moriens tamen, poſt ſuam familiam, Medicæ familiæ conſuluit. Nam, ſi filio ejus ſine liberis mori contigerit, mille libræ ab eo in uſus ſupra dictos legatæ fuerunt. Ac, ſi duo fratris filii etiam ſine prole obierint, hæreditatem omnem ad ponenda in eadem urbe Noſocomii initia erogari juſſit. Per omne illius Senatus Britan-

Britannici, qui A. 1722 congregatus fuit, tempus Senator conſedit, qui honor præcedenti anno ipſi non niſi per paucos menſes obtigerat. Sub initium anni 1723, neſcimus tamen, qua ex cauſa, incluſus fuit turri Londinenſi, ibidemque Epiſtolam de quibusdam variolarum generibus ad *Richardum Mead* conſcripſit, Hiſtoriam quoque Medicinæ a *Galeni* tempore usque ad initium Seculi XVI inchoavit. Primum ejus Volumen A. 1725, & ſecundum anno proximo, prodiit, utrumque Anglice ab Autore ſcriptum, poſtea Gallice, item Latine, verſum. A. 1727 *Joannes Clericus* in Bibliotheca veteri & nova Reſponſionem edidit ad cenſuram, qua *Freindius* Specimen illud Hiſtoriæ Medicinæ, a *Daniele Clerico* editæ, adjectum, quo eadem Hiſtoria a Seculo II ad medium XVI ſummatim continuari perhibetur, caſtigarat. Adverſarium quoque nactus eſt idem Medicum quendam Edimburgenſem, cujus in hanc Hiſtoriam proſtant Animadverſiones, non niſi calumniarum plenæ. Quamvis vero turri antea incluſus fuiſſet, Rex tamen & Regina Britanniæ, tunc adhuc Walliæ Principes, ejus uti conſilio poſtea non dubitarunt, cum liberi ipſorum gravibus & periculoſis morbis laborarent, plenamque in integritate & peritia ejus fidem poſuerunt. Quin imo primis Imperii, a Potentiſſimo *Georgio II* A. 1727 ſuſcepti, diebus Auguſtiſſima ejus Conjux, *Carolina*, illa tam ſagax & acuta rerum hominumque judex, honorifico eum cohoneſtatum ſtipendio, Archiatrum ſuum, vehementer id comprobante Rege, conſtituit, haud alius cujusque vel in ſua, vel in prolis Regiæ, valetudine tuenda, aut reſtituenda, quam *Freindii*, quoad in vivis fuit, arte & conſilio nixa. Sed non diu admodum eo honore frui licuit *Freindio*. Etenim, accumulatis ita in dies negotiis, cum ei antea occupatiſſimo vix tempus aut vires ſufficerent, media anni ſequentis æſtate, aliorum ſaluti intentus, ſuæque immemor, nimia defatigatione fractus, languorem perſenſit. Caput autem ab initio ſtatim tentatum eſt. Unde nec imminentis mali præſcius, nec

præſentis gnarus, ab ægris curandis haud prius deſtitit, quam in ipſa circumcurſitatione, viribus plane defectus, concideret. Quo audito, Rex & Regina graviter perculſi, Medicis arceſſitis Viris Doctiſſimis, ēique amiciſſimis, nuntiari juſſerunt, gratiæ loco ſe habituros, ſi præcipuam in illius curatione operam collocarent. Quod quamvis ſedulo factum eſſet, tamen, invaleſcente febre, & irritis quibuscunque remediis, intra breve tempus diem ſuum obiit, annos natus duos & quinquaginta. Quo cognito, tantus homines mœror invaſit, ut luctus adeo publici, adeo univerſi, in unius Viri morte vix unquam civitas meminerit, atque, ſi *Roberto Freindio*, *Joannis* fratri, in Dedicatione Operum *Freindianorum*, haud ita pridem Londini junctim editorum, credimus, Regina pretioſiſſimam lachrymam ejus memoriæ conſecravit. Ita vitæ curſus & finis æque glorioſus ei obtigit. Nec poſt mortem gratia Regia ceſſavit. Nam viduæ ejus Regina liberalem in ſingulos annos penſionem elargita eſt, filiumque, quem *Freindius* unicum ſuſcepit, & adoleſcentulum reliquit, omni gratia, quam recipit ejus ætas juvenilis, amplectitur; fratrem modo dictum Rex amplis in Eccleſia muniis rēpetito favore cohoneſtavit. Sepulto juxta prædium ſuum in oppido Hitcham in Comitatu Buckinghamiæ *Freindio*, Cenotaphium in æde Weſtmonaſterienſi poſitum fuit.

NOVA LITERARIA.

Antonius Franciſcus Gorius, in Academia Florentina Hiſtoriarum Profeſſor, eruditiſſimis multis ſcriptis percelebris, cum omnes antiquas Inſcriptiones, tum Græcas, tum Latinas, quæ in urbibus Etruriæ exſtant, illuſtraverit, quæ duobus Voluminibus, jam editis, continentur, quarum tertium, exornatum Tabulis 40, quanto fieri citius poterit, in lucem prodibit, aliud Opus, antiquorum Monumentorum copia inſigne, aggredi alacri ani-

animo ſtatuit, quod, volente Deo, abſolvet, ſi, ut ſperat, adfuerit ipſi favor ac præſidium illorum illuſtrium Virorum, qui priſci ævi reliquias vel plurimi faciunt, vel ſtudiis eruditorum hominum præſto eſſe, quam maximi gloriantur. Id igitur Opus, *Muſei Etruſci* nomine proditurum, complectetur inſigniora omnia, quæ ad hoc tempus inedita ſunt, veterum Etruſcorum monumenta, *duobus Voluminibus* in Folio comprehenſa, quæ *Dempſteriano* Operi adjungi poterunt; nam ejus erunt auctarium locupletiſſimum. *Primum Volumen* ducentis Tabulis æri inciſis exhibebit vetuſtiſſima Deorum ſigna, quæ Etruſci coluere; pateras aheneas, aliaque ſacrificalia inſtrumenta, in ſacris adhibita, quæ etiam Figuris graphice cælata ſunt: deinde vaſa, picturis omnium, quæ exſtant, antiquiſſimis exornata, quæ magna copia afferet Cl. *Gorius*, præſertim e *Vaticana* Bibliotheca; quæ profecto multa eruditionis fruge ſunt referta, quæque nuper conquiſita in ejus ornamentum *Clemens XII*, Pontifex Maximus, dedicavit. Ad hæc depromet Annulos & Gemmas aliquot veterum Etruſcorum, Scalptorum opere inſignes; item pondera & nummos; ſepulchrales etiam urnas marmoreas, vel fictiles, ferme centum, vel etiam, ut ſperat, plures, inſcriptione & anaglypho opere elegantiſſimas, quas nuper, luſtratis ſingulis Etruriæ urbibus, a diligentiſſimo ac peritiſſimo Pictore & Chalcographo, *Vincentio Franceſchinio*, ante ſuos oculos delineandas curavit; e quibus varii ritus, luſtrationes aqua, igne, & ſanguine peractæ, ac mores vetuſtiſſimorum Etruriæ populorum, demonſtrantur. Primum igitur in *altero Volumine* proferet ad ſingulas a ſe allatas CC Tabulas Explicationes & Obſervationes ſuas; deinde etiam *ſex Diſſertationes*, quarum *prima* de Theologia; *ſecunda* de Mythologia; *tertia* de Thyſiologia; *quarta* de Ethologia veterum Etruſcorum; *quinta* de Lingua eorundem, de Alphabeto, de Literis, deque inſcriptis Etruſcis Monumentis, copioſe diſſeret. Quod vero novum, ac maxime curioſum, omnique laude dignum eſt, ſubjiciet *Etruſcarum Inſcriptionum* interpretationem,

nem, quam primus omnium fecit, *Gorio* etiam rogante, Vir doctiſſimus, omniumque fere linguarum conſultiſſimus, *Ludovicus Bourguet*, Philoſophiæ Publicus Profeſſor; qui alia quoque cum *Gorio* communicabit, quæ ad antiquæ Etruſcorum linguæ ſcientiam & cognitionem inveſtigavit. *Sexta Diſſertatio* erit de Etruſcorum antiquorum inventis, ſtudiis, & artibus; quæ omnia ex eorum ſculpturis, & picturis, atque ex autoritate veterum Scriptorum, oſtendentur. Nihil dicimus de ceteris ornamentis, quæ ſuis locis occurrent tanquam neceſſaria coronamenta. Ex his ducentis Tabulis æri jam inciſæ ſunt *Gorianis* impenſis octoginta. In reliquis incidendis, typisque mandandis Explicationibus, Obſervationibus, itemque Diſſertationibus, cum Cl. Autoris vires ſufficere minime poſſint, noſtro ore rogat obteſtaturque Viros humaniſſimos, egregios optimarum artium fautores, ut his laboribus operam ferre, eidemque Operi, ut ajunt, ſubſcribere dignentur, his conditionibus. *Duo* hæc *Volumina*, elegantiſſimis typis edita, Socii, qui ſubſcripſere, accipient abſque ulla alia impenſa Menſe Junio A. 1737, dummodo ipſi Autori hujus Operis ſolvant, vel ſolvendos curent, intra proximum Menſem Septembrem hujus anni 1735, Paulos ſive Julios 80. Socios ſubſcribentes nec plures, nec pauciores, quam ducentos, deſiderat. Eorum nomen in primo Libri limine non ſolum ſcribet, verum etiam, ſi citius ſolvent, incidendum curabit in Tabula, quam eorum auſpiciis dedicabit, ut apud omnes poſterosque conſtet, quorum ope ac præſidio hæc Volumina publici juris fecerit. Symbola dictorum Paulorum 80 ſibi numerata, ſchedulam tradet, ſua manu ſubſcriptam, pro cautione, ut fide data ſancteque ab ipſo ſervanda; quam poſtea ipſi exhibebunt, cum prædicta *duo Volumina* ſtato, ut diximus, tempore accipient. Qui vero non ſubſcripſerint, edito Opere ſtatuto tempore, ſciant, Bibliopolis ſolvendum eſſe pretium Paulorum CXX. Menſes vero ſex, antequam hoc Opus in lucem prodeat, curabit, ut omnes per Epiſtolam typis editam id ſciant.

Digitized by Google

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno MDCCXXXV.

LOCUPLETISSIMI RERUM NATURALIUM Theſauri accurata Deſcriptio, & Iconibus artificioſiſſimis expreſſio, per univerſam Phyſices Hiſtoriam. Opus, cui in hoc rerum genere nullum par extitit, ex toto terrarum orbe collegit, digeſſit, deſcripſit, & depingendum curavit, ALBERTUS SEBA, Etzela-Ooſtfriſius, Academiæ Cæſareæ Leopoldo-Carolinæ Naturæ Curioſorum Collega, Xenocrates dictus, Societatis Regiæ Anglicanæ, & Inſtituti Bononienſis, Sodalis.

Tomus II.

Amſtelodami, apud J. Wetſtenium, & Gul. Smith, & Janſſonio-Waesbergios, 1733. fol. maj.

Alph. 1 pl. 16. cum Tabb. æn. 114.

Eadem felicitate, qua in *priore Tomo* uſus eſt, Clariſſimus & in acquirenda rerum phyſicarum copia feliciſſimus Autor *alterius Tomi* immenſos fere labores exſuperavit, quibus tandem maximam partem abſoluta nobis conceſſa fuit Serpentologia, & eleganti dictionis genere, & ſculpturæ magnificentia, commendabilis. Metuendum ſane non eſt, ne quiſpiam

facie animalculorum iſtorum, quorum familiæ enumerantur, offendatur, quod fieri poſſe ſuſpicatur Cl. Autor, quandoquidem ille nobis eosdem adeo venuſtos, ingenuo haud raro vultu, habituque ad naturam rei maxime compoſito, dedit. Cujus Operis eo major futura eſt dignitas, quo majori induſtria & ſerpentum genera evoluta, & æquivocorum reptilium errores, ſiquidem ſerpentibus aliquando remotiſſimæ ab iſthac gente beſtiolæ accenſentur, extricati, & uniuscujusque hiſtoricæ æque ac phyſicæ rationes adjectæ fuerunt. Quo conſtare Autori de rerum hoc Theſauro diſpoſitarum ordine poſſit, monendum, duo ſibi exhauriendæ doctrinarum capita ſumſiſſe eundem, quorum alterum ſerpentum & viperarum hiſtoricam recenſionem, alterum Anatomicam organorum, quibus animalia iſthæc utuntur, declarationem, contineat. Equidem non unius generis animalia eadem Tabula depinguntur; noluit enim ſcholaſticam in dividendo, ſubordinando, claſſificando, argutiam & aliquando ſuperſtitionem adoptare, veritus anomaliarum diſcuſſiones & characterum declamationes, quibus charta, tempus, laborque teritur; neque tamen ordinis adeo nullam rationem habuit, ut non poſſint ſeries ſerpentum quædam inſtitui. Quod ut accuratius fieret, præmonendum duxit Autor, non perinde eſſe ſerpentum & viperarum notionem, quandoquidem oviparum ſit animal ſerpens, viviparum, ova in utero concipiens, vipera. Convenire ſummo genere utramque familiam, cum & reptilia ſint, & apoda. Mirum naturæ ordinem declarat eo, quod affinitates animalium varias, ceteroquin inter ſe diſcrepantium, inſtituerit. Exemplo ſunt Lacertæ, quas ſerpentes quadrupedes diceres. Conveniunt hæ cum iisdem organorum ſtructura, partiumque quarundam uſu utrinque pari. Lingua utrique beſtiolarum genti bifida eſt, utrique epiglottis deeſt, quod pari vitæ genere aſſuefactæ ſint, & deglutiendo integra inſecta aliquando ſatis ſpatioſa, alantur. Qui character a lingua deſumtus efficit, ut Salamandræ, Igvanæ Gekko, utpote quibus lingua eſt craſſa, lata, & brevis, a Lacertis magno ſpatio abſint. Quodſi quis præter ſeſe multiplicandi, quo utun-

utuntur, modum, aliud diſcrimen inter ſerpentes & viperas quærere ſuſcipiat, non obſcure utriusque reptilis diſcrepantiam capite cognoſcet, quod planum eſt, obtuſum, coloribusque varium in viperis, in acumen extenſum in ſerpentibus, de quibus notandum, ſenſoriorum externorum conditione, aut noxam inferendi facultate, eosdem diſcrepare: ſunt, qui dentibus carent, adeoque & innoxie morſicant, alii cœcutiunt, aliis ignei, fulgidi, & prægrandes, intuiti corporis, ſunt oculi, aliis minuſculi, cœrulei, aut rubicundi. Quandoquidem vero veneni ſuſpicione ſerpentes in vulgus non carent, quid de hoc negotio ſentiat Autor, in Præfatione exponit: *Morſus*, ait, *vel tum præcipue nocent, quando uncinatis ſuis dentibus acutiſſimis tendinem aut nervulum pungunt atque dilacerant; unde mox oritur inflammatio late preſerpens.* Sane præviderat Autor rei difficultatem, ſuſcipere ſerpentum atque viperarum legitimam diviſionem: ſuppoſito enim, quod caput debeat eſſe utriusque characteriſticum ſignum, obtuſius in vipera, acutius in ſerpente, nihilo ſecius habiturus eſt methodicus quiſpiam, quo ungues præmordere poſſit, animadvertendo, dari ſerpentes, quibus elongatum eſt caput, alios, quibus brevius, alios, quibus latum, quo cum viperis poſſent quandoque confundi. Neque dentes ſufficiunt, ſi quis ſerpentes inermes, viperas vero armatas, pronuntiare velit, cum & inter ſerpentes ſint, qui uncis dentibus metuendi exiſtunt. Id tamen videtur in viperarum diagnoſi omittendum non eſſe, quod earundem mares teſticulos habeant extus conſpicuos, ſecundum Tab. VIII n. 4, ex quo judicari poſſet, viperam eſſe, quæ ſerpentis nomine Tab. XXXVI n. 1 depingitur, quo ipſo, ſuo jure in ſeligenda methodo uſurus, quam norat eſſet liberrimam, hiſtoricam ſelegit, & pro patriæ ſerpentum vel viperarum diverſitate, qua notum eſt & beſtiarum ejusmodi mores & qualitates internas inſigniter diſcrepare, earundem hiſtoriam, ſecundum mundi partium quaternionem, quadrifariam ſecat, quandoquidem Europæ, Aſiæ, Africæ, & Americæ, incolas ſeorſim enumerandas ſuſcepit. Graciliores ſerpentes primo loco, eosdemque vel minus flexuoſos, antiquis a baculi rigiditate ſcytalas dictas,

 inde

Digitized by Google

inde flexuoſos, Ambiſphænas aut Cæcilias, ex quibus ſunt, qui a colore *corallinæ*, ab effectu morſus *dipſades*, a figura capitis duplicis viſi, quamvis id imaginarium ſit, *bicipites*, & ſic porro, dici poſſunt. A victu quidam *myophagi* audiunt; nam mures ab his, bufones ab illis, integros deglutiri, res declarata eſt, mirumque videtur intuentibus, quomodo ſine ſuffocationis periculo majora volumine totius capitis ſerpentini animalcula quandoque deglutiantur. Craſſiuſculo corpore ſunt aliæ, capite etiam lato & obtuſo, quo viperæ eſſe videri poſſent; neque præter rationem Autor beſtias iſtas ſerpentes viperis æmulas appellat, quarum inſignis eſt voracitas & deglutiendi integra animalium corpora vigor, ſiquidem & noſtrates muribus, gliribus, aviculisque inſidiantur, quæ aliquando integra nec digeſta extrahuntur. Ex his, maxime vero Africanis, ſunt, qui ceraſtes a cornibus limacum cornibus æmulis dicuntur. Aliis faſciatis *Æſculapii* ſerpentum nomen eſt, quibusdam, eo quod inſignes pluresque oculorum forma effictas maculas cute gerant, *Argorum* nomen datur, *teſtudinei* quidam ſunt, quandoquidem ſcuti teſtudinum inſtar varie mixtos colores habent, qualis eſt murium inſidiator Americanus Tab. XXX. *Catenati*, qui catenæ articulorum ſimulacrum pictura habent. Efficaces ſunt ejusmodi termini, & non obſcurum ſignificandi valorem habent, magnamque methodo lucem accendunt. Eſt inter alios curioſum ſerpentis genus Tab. XL deſcriptum, pinnis ad capitis latera gaudens, quod *anguigenam* appellat, ſeu anguillam marinam tigrinam, quod, quamvis de cetero diverſum, ob affinitatem, ſicut & Congeres alibi, ſerpentibus additur, neutiquam vero cum iisdem permiſcetur. Speciatim de viperis monet, torvo vultu & quadrato fere capite easdem facile cognoſci poſſe, ex quibus ſint, quæ cauda ſonent, unde *Caudiſonæ*, a quarum morſu lethali futuro ut caveant, præmonentur viatores, crepitaculis beſtiæ ad caudam natura quaſi appenſis. Ex viperarum claſſe eſt Ammodytes veterum, cujus icon Tab. L exhibetur, ab arenis Lybiæ ſic dicta, Crotalophora vulgaris, aliæque. Quis vero auſit inſignem rerum apparatum anguſtis concludere ſpatiis. Plura inveniet Lector, quam eidem

Digitized by Google

eidem de vaſtiſſimo Opere in compendio dici poterunt. Quodſi muſei ſui divitias, ampliſſimas ſane, publico feliciter ſic communicavit Autor, ingenii ſui fertilitatem non luculentis minus argumentis declaratam efficit anatomica partium declaratione, quibus œconomiæ ſuæ animali ſerpentes & viperæ proſpiciunt. Jam in limine magni Operis monuerat Autor de vitæ genere, quo ſerpentes & viperæ utuntur, accedere id quam proxime ad amphibiorum vivendi ac reſpirandi conditionem, ſiquidem unico ſaltem ventriculo cordis, prout piſces, gaudeant, pulmonumque interruptam obtinuerint, &, pro rei neceſſitate, vel repetitam, vel ſufflaminatam, agitationem. Neque enim reſpirare poſſunt, quo tempore mus, aut lacerta, aut avicula, totum gulæ rictum opplet, adeoque pulmonibus quieſcentibus vita nihilo minus frui poſſe debent. Jam ex dignitate prorſus curioſi *Ophiotomi*, ne quid imperfectum reliquiſſe videretur, ſceletographiam & exuviarum ſerpentinarum hiſtoriam addit Tabulis CVII ſeq. Elegantiſſima eſt de inteſtinis ejusmodi volubilium animalium Commentatio. In longitudinem potius, quam latitudinem, protracta eadem eſſe, ne, quando flexuoſis gyris beſtia progreditur, nodosque ex ſe ipſo conficit, dum hæc ſic fiunt, interna contorqueantur, & male afficiantur, id quod tum in hoc, tum in reliquis reptilium generibus uſu venit. Viſcerum ſerpentini corporis jucundiſſimam decet eſſe contemplationem. Lingua bifida & in apicem protenſa vaginula tegitur. Trachea epiglottide deſtituta in pulmones deſinit veſicularis omnino texturæ, & ad renum uſque regionem ſeſe extendentes, qui inflati aere pellucidi fiunt. Ventriculus œſophago continuus quaſi ingluvies eſt continuata, animalibus integris continendis & paulatim conſumendis apta, plurimis illa voluminibus & gyris deorſum tendit, & inteſtinorum mæandros conficiens, quo loco in inteſtinum rectum, ſeu cloacam fecum, mutatur, ureteres utrinque recipit renum propagines. Serpentibus maribus abdomine concluduntur teſticuli, viperis extra abdomen propendere videntur. Ovaria fœmellarum, eodem, quo teſticuli marium, loco conſtituta, tempore parturitionis inſignia, & miro ovorum numero fœta. Ob

Digitized by Google

rei analogiam additur & Crocodili & Salamandræ, Gekko dictæ, anatomia, illius cumprimis lingua, folliculo ſuo concluſa, a plurimis in dubium vocata, detegitur, accedunt aliæ, curioſæ æque ac utiles, de lapidibus animalium Commentationes. Faxit Deus, ut tanti Viri, Reipublicæ literatæ decoris, ſalus ulterius conſtet, utque, corporis viribus animi impetum ſuſtinentibus, ad laboris præfixam metam feliciter adſpiret, qui utriusque orbis animalia hoſpitio excepit, *Xenocrates.*

JO. MARIANÆ, SOC. JESU, HISTORIÆ de rebus Hiſpaniæ Libri triginta. Accedunt Fr. JOSEPHI EMANUELIS MINIANÆ, Valentini, Ord. Sanctiſſ. Trinit. Redemtionis Captivorum, Continuationis novæ Libri Decem, cum Iconibus Regum.

Tomi IV.

Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1733, 4 maj. Alph. 18 pl. 19.

Adeo ſe probavit Viris doctis incredibilis *Mariana*, quem in Hiſtoria Hiſpanica perficienda impendit, labor, & alienus ille a partium ſtudio animus, ut ſolicite requirerent Scriptorem diligentiſſimum, difficillimas controverſias arbitro illo dirimerent, & pretioſiſſimo hoc theſauro librariam ſuam ſupellectilem cupide exornarent. Valuit nimirum *Mariana* & ſingulari eloquentia, & mirifico judicii acumine, & inuſitata libertate dicendi, & tam gravi diſertoque ſtilo ſcripſit, ut, *Nic. Antonii* judicio, *Thucydidis* prudentiam ac *Taciti* acumen unus complexus eſſe videatur. Exuerat enim homo, qui omnes fere Europæ partes peragraverat, inſanum illum, quo plerique Scriptores feruntur, in patriam amorem, & tum patriæ, tum ceteris nationibus, ſuum cuique, æquus judex, tribuit. Conſilia præterea rerumque eventus diligenter obſervavit, hominum mores animique characterem accurate expreſſit, & non obvia

obvia quæque, proletaria, & cuivis ex infima plebe cognita, ſed arcana, occulta, & aulicis ſolum nota, in conſpectum lucemque omnium protulit, ſapientiſſimo profecto conſilio. Triginta Libris Hiſtoriam Hiſpanicam a *Thubale*, quem primum Hiſpaniæ Regem perhibent, uſque ad *Ferdinandi Catholici* obitum, non interrupto ordine, pertexuit. Nihil itaque magis votis omnibus expetebant literati homines, quam ut Vir Hiſpanicarum rerum apprime peritus, & egregiis *Marianæ* dotibus inſtructus, eandem ad noſtra uſque continuaret tempora. Explevit tandem non ſolum communem ſpem exſpectationemque, verum etiam mirum in modum ſuperavit, *Joſephus Emanuel Miniana*, Valentinus, e Sanctiſſimæ Trinitatis Sodalitio, Vir huic labori par, &, quod omnium elogiorum inſtar eſſe poteſt, *Marianæ* ſimilis, & Hiſtoriam Hiſpanicam ab exceſſu *Ferdinandi Catholici* uſque ad initium Regis, *Philippi III*, ornate, ſolicite atque apposite, deſcripſit. Sed vix ad finem perduxerat Opus *Miniana*, cum tam laudabiles conatus importuna mors præverteret, Virumque optimum mortalitati eriperet. Commode vero accidit, ut Generoſiſſ. *Jo. Baptiſta de Schœmberg*, cujus præclara in literas merita exſtant, poſt varia itinera per Europam confecta, Hagæ *Petrum Hondtium*, Libellionem nobiliſſimum, inviſeret, & cogitanti illi *Marianæ* Hiſtoriam typis denuo exſcribere, ſignificaret, ſe vidiſſe Valentiæ Edetanorum Virum eruditiſſimum, qui *Marianæ* Hiſtoriam gravi diſertoque ſtilo continuaſſet. Quo accepto nuntio, magnopere orat obſecratque Generoſiſſ. *de Schœmberg*, *Hondtius*, ut *Minianæ* Continuationem ipſi perbenevole impetraret. Annuit honeſtiſſimo petito *Schœmbergius* humaniſſimus, literasque ſcribit ad *Gregorium Majanſium*, Anteceſſorem Valentinum, & JCtum eleganter atque præclare doctum, illoque proxeneta, per *Blaſium Jover Alcazar*, Proprætorem Valentinum, qui a Valentino Cœnobio Beatæ Virginis Mariæ de Remedio *Minianæ* Autographum dono acceperat, illud obtinet, & ad *Hondtium* mittendum curat. *Quartum* hæc Continuatio *Tomum* continet, cui *Hyacinthi Jover & Valdenoches*, *Blaſii*, cujus paulo ante mentionem fecimus, filii,

&

& *Miniana* diſcipuli, Præfatio, & *Majanſii* Epiſtolæ commendatoriæ utriusque Operis, præmiſſæ ſunt. Excerpſimus ex Præfatione *Minianæ* vitam, ut, qualis Vir fuerit ille, inde appareat. Natus fuit *Miniana* Valentiæ Edetanorum idibus Octobr. A. 1671, & mature S. Trinitatis Sodalitio nomen dedit, ibique illas diſciplinas, quibus juvenilis ætas informari ſolet, celeriter arripuit, ea memoriæ felicitate, ut omnes Libros ſacros, præcipue Hiſtoricos, memoria recitare poſſet. Poſtea ad majorem Latinæ linguæ apparatum ſibi comparandum Neapolim commigravit, pictoriæ arti ſeſe dedit, & haud vulgaris dexteritatis ſuæ monumenta reliquit. Docuit deinceps Liriæ, Sagunti, & Valentiæ, ſed ſponte, invita reluctanteque Academia Valentina, Doctoris ſe abdicavit munere, & ad Hiſtoriam ſcribendam ſeſe totus compoſuit. Debemus huic liberali otio *Bellum Ruſticum Valentinum*, quod vero privatos carceres adhuc mordet. Deinde *Marianæ* Continuationem aggreſſus eſt, eandemque, poſt infinitum duodecim annorum laborem, paucis diebus ante mortem ſuam, quæ ſexto Cal. Aug. A. 1730 contigit, auſpicato abſolvit. Reliquit præterea *Poema de Sagunti excidio*, *Dialogum de Theatro Saguntino*, quæ Opera, cum *Epiſtolis* ejus ad literatiſſimos noſtræ ætatis homines, propediem lucem videbunt publicam. Latinam linguam uſque ad miraculum tenuit, *Plauto* inprimis duce, quem memoriter recitavit. Græcam linguam adeo impenſe amavit, ut morti vicinus Orationem Dominicam Græce recitaverit. Servabimus hic quoque morem noſtrum, dabimusque ex utroque Opere
Tom. I nobiliores præſtantioresque quasdam particulas. Hiſpanorum
pag. 7. hodierna lingua, quam Caſtellanam vulgo homines appellant, ex multarum colluvione linguarum, ac præſertim ex Latinæ degenerantis corruptione conflata eſt. *Domitio Calvino* &
102. *Aſinio Pollione* Coſſ. *Cornelius Balbus*, Gaditanus, Conſul factus fuit, quæ fortuna ante illum nulli externo homini obtigerat, ut Romæ Conſulatum gereret. Idem ille primus externi ſanguinis Romæ de Garamantibus triumphavit, priorumque poſtremus. *Portium Latronem*, Oratorem ſui ſæculi inſignem, orationis initio vehementius conturbari ſolitum, ſe-

106.
110.

legi-

legimus, quam aut ætas, aut uſus, poſtularet. *Veſpaſianus*, Imperatorum Romanorum primus, præmia eruditionis propoſuit, Latinis Græcisque Rhetoribus annua mercede ad Scholas invitatis. Tam eximia erga Chriſtianos clementia fuit *Adrianus*, Imperator, ut Chriſtianam religionem cuiquam fraudi eſſe vetuerit, & de Chriſto in Deorum numerum transferendo, & de templis ſine ſimulacris ædificandis, cogitaverit. *Alaricus*, Gothorum Rex, cum antea inſtitutis more majorum firmatis vitam bello paceque gubernare ſoliti eſſent Gothi, primus leges in ſcripturam redegit promulgavitque, Codice *Theodoſiano* in compendium relato, & non. 3 Febr. A. 1506 edito, quo anno quoque ferro confoſſus, periit. *Siſebutum*, Regem, belli & pacis artes eximiæ, religionis amor, atque literarum ſtudium, clarum & illuſtrem reddiderunt. Erat enim Latini ſermonis non expers, (res illis temporibus comparanda miraculo,) & Epiſtolas Romano idiomate conſcriptas reliquit. *Iſidorus Hiſpalenſis* in juvenili ætate diſcendi deſperatione, ob ingenii tarditatem, & ſuperbi pædagogi metum, e domo paterna aufugit. Sed, cum per agros hinc & inde diſcurſaret, putealis aſpectu, funis uſu & attritu excavati, monitus, quantæ vires diuturnæ conſuetudinis eſſent, vincique natutam arte & conſtantia, & labore, retro pedem retulit. Ad famam ejus multum contulit *Leandri*, fratris, aſtutia, qui eum intra conclave concluſit, ademta omni prorſus vagandi libertate, quod otium ad evolvendos legendosque libros, & vaſtum illud Etymologiarum volumen componendum, prudenter impendit. Ingens eſt *Suinthila*, Regis, elogium, quod tanta erga pauperes munificentia fuerit, ut incomparabile patris pauperum nomen inde acceperit. *Almohades*, nobilis Mahumetanæ legis interpres, & præcipua ſanctitatis & doctrinæ opinione fuiſſe dicitur. In *Jacobi*, Regis Aragoniæ, pueri vix ſex egreſſi annos, verba juratum a cunctis ordinibus. Novum id exemplum fuit in Aragonia, neque prioribus Regibus inſtituendis uſurpatum. *Alfonſus* latrocinia & maleficia in Hiſpania ſuſtulit, novas leges ſanxit, judicia conſtituit, & tam mirifica in egenos, & ſortis aliqua acerbitate oppreſſos, li-

Pag. 113. 117. 166. 201. 210. 211. 205. Tom. II pag. 1. 33. 106.

Digitized by Google

Pag. 107. beralitate fuit, ut, exhauſtis ſæpe theſauris, pro redigenda pe-
cunia domeſticam ſupellectilem in pignus dare cogeretur.
Primus quoque Hiſpaniæ Regum Latinæ linguæ uſum in judi-
ciis publicis antiquavit, ejusque loco Hiſpanicam introduxit.
Tom. III *Georgius Caſtriota*, ſub *Scanderbegii* cognomine celebris,
pag. 55. procero compactoque corpore, conſpicua forma, animo ma-
gno, gloriæ appetentior, quam voluptatum fuit. Seculo XV
pudenda literarum inſcitia Sacerdotes Hiſpaniæ invaſit, ut
pauci Latine ſcirent, uniceque ventri ac gulæ obſequerentur.
107. Avaritia rapaces in Eccleſiam Dei manus injecerat; emere
Sacerdotia, olim Simonia, tunc doctrina, erat; neque intelli-
gebant cœci Principes cœcique Pontifices, irato Deo fieri im-
pium commercii genus: quod facias, an patiaris, perinde eſt.
434. *Alphonſus Alburquerquius*, Indiæ Prætor, Vir, haud du-
bium, inſigni cumprimis virtute, felicitate, & pugnandi
ſcientia, comparandus eorum dicitur, quos ab ulla memoria
438. Hiſpania genuit. *Ferdinandus Catholicus*, Princeps juſtitiæ
cultu, prudentiæ laude, animique præſtantia, excellentior fuit
Tom. IV omnibus, qui unquam in Hiſpania vixerunt. A. 1520 pri-
pag. 14. mum Proceres Hiſpaniæ tectis capitibus adeſſe cœperunt Re-
gi, vocatique ab eo Patrueles ſunt. Infra eum gradum ditio-
ne pollentes illuſtres Viros propinquorum nomine nuncupa-
vit; revocato quodammodo veteri more, quo Regis amici
353. appellabantur. In ſepulchro *Antonii Auguſtini*, Epiſcopi Tar-
raconenſis, veriſſima hæc legitur Epigraphe: *Oraculum ter-*
405. *reſtris ſapientiæ. Philippo II*, Hiſpaniarum Regi, hoc Elo-
gium tribuit *Miniana*: Fuit in fortuna moderatus, pru-
dens, gravis, pius, atque adeo veritatis diligens, ut ne joco
quidem mentiri quemquam pateretur impune. Nihil amplius
dicimus de magnificentiſſimo Opere, quod typorum elegan-
tia, chartæ nitore, imaginum belle affabreque ſculptarum
præſtantia, externoque ſplendore, ſeſe ultro commendabit
Lectoribus.

SACROSANCTA CONCILIA, AD REGIAM Editionem exacta, quæ olim quarta parte prodiit auctior

Digitized by Google

ctior ſtudio PHILIPPI LABBEI *&* GABR. COSSARTII, *Soc. Jeſu Presbyterorum, nunc vero, integre inſertis* STEPHANI BALUZII *&* JOANNIS HARDUINI *Additamentis, plurimis præterea undecunque conquiſitis Monumentis, Notis inſuper ac Obſervationibus, firmiori fundamento Conciliorum Epochas præcipue fulcientibus, longe locupletior & emendatior exhibetur, curante* NICOLAO COLETI, *Eccleſiæ S. Moyſis Venetiarum Sacerdote Alumno. Apparatus primus.*

Venetiis, apud Jo. Baptiſtam Albrizzi, Hieronymi fil. & Sebaſtianum Coleti, 1733, fol.

Alph. 9 pl. 16.

Notius eſt, quam ut multis memorari debeat, duas eſſe Sacrorum Conciliorum Collectiones, reliquis longe præſtantiores, quarum altera *Labbeana*, altera *Harduina*, appellari ab Editoribus ſuis conſuevit. Cum vero id inprimis Eruditis improbaretur in poſteriore Editione, quod plura *Joannes Harduinus* reſecta omiſiſſet, quæ tamen in ſua voluerat eſſe *Philippus Labbeus*; huic malo mederi ſtuduerunt nobiliſſimi Venetorum Bibliopolæ, *Jo. Baptiſta Albrizzius*, & *Sebaſtianus Coleti*, conſiliumque ceperunt utramque editionem componendi, &, quæ præterea inveniri poſſent, inſerendi, quo una poſſint Conciliorum editione harum rerum ſtudioſi acquieſcere. Ut igitur hæc, quam moliebantur, Conciliorum Collectio typis exprimenda evaderet locupletior, *Nicolao Coleti*, S. Moyſis Venetiarum Sacerdoti, Bibliopolæ ejusdem nominis fratri, rem commiſerunt ea lege, ut non ſolum ea, quæ *Labbeus* & *Coſſartius* ediderunt, & quæ *Harduinus* addidit, in unum corpus redigeret Conciliorum, ſed &, ſi qua aliunde arceſſi poſſent, insereret. Cui quidem provinciæ Cl. *Coleti* ita ſatisfecit, ut intra ſexenninm novam ac locupletiorem Conciliorum editionem, *Tomis XXIII* abſolutam, orbi erudito ſiſteret, in qua

Digitized by Google

licet ſit *Labbeanam* maxime ſecutus, multa tamen eidem tam ex *Harduino*, quam ex aliis, addidiſſe Scriptoribus cenſendus eſt, propterea quod nova hæc editio *Labbeanam* ſex Voluminibus excedit. Itaque in hac nova editione *Labbeana*, quanta quanta eſt, Collectio recuſa eſt, nihilo penitus omiſſo vel immutato, niſi ſi quando menda typographica occurrerent, & monumenta a *Labbeo* adeo corrupta exhiberentur, ut nulla ex iis ſententia emergeret. Tunc enim non religioni ſibi duxit Cl. Editor a *Labbeo* diſcedere, & monumenta, prout ab *Harduino*, vel *Baluzio* MStorum Codicum ope caſtigata fuerant & reſtituta, exhibere. In reliquis vero erroribus Chronologicis Conciliorum, & ſi qua alia in *Labbeana* editione emendanda erant, ita verſatus eſt, ut de iisdem in Annotationibus, vel ad paginæ marginem, vel ad calcem adjectis, Lectores ſuos moneret. Cumque *Harduinus* plurima tam e MStis, quam editis Codicibus, in Conciliorum corpus primus invexiſſet, non ſolum ea omnia in hac editione ſuo quæque loco inſerta leguntur, verum etiam omnes ejusdem Viri doctiſſimi Annotationes atque Emendationes huc translatæ ſunt, variantibus *Harduini* lectionibus vel ad marginem, vel ad imas paginas, exhibitis. Ad augendam vero & locupletandam novam hanc editionem multa monumenta ſuppeditarunt Doctiſſ. Editori *Stephanus Baluzius*, *Edmundus Martène*, *de Aguirre*, *Guilielmus Beſſin*, *Petrus de Marca*, *Jo. Chriſtianus Lunigius*, *Joannes Mabillonius*, *Ferdinandus Ughellus*, Cardinalis *Urſinus*, ſummus deinde Pontifex *Benedictus XIII*, *Antonius Pagi*, aliique complures. Et, quamvis ea, quæ primum in lucem edita fuerunt, in hac editione non ſint adeo multa, tamen propter acceſſiones, quæ ex laudatis modo Scriptoribus huic Collectioni factæ ſunt, reliquis omnino omnibus palmam longiſſime præripit. Itaque, abſoluta hac Conciliorum editione *Tomis XXIII*, Cl. *Coleti* nonnulla inſuper, eidem, cum haberet, quæ adderet, dedit eorum partem in hoc *Apparatu primo*, (*alterum vero* jam exiiſſe A. 1728 novimus, de quo diximus in *Actis A. 1731 Menſ. Maj. pag. 207.*) in quo hæc potiſſimum continentur: Præfationes, præcipuis Conciliorum Collectionibus a ſuis

a ſuis Editoribus præmiſſæ, nominatimque *Gabrielis Goſſartii*, S. J. *Jacobi Merlini*, Theologi Pariſienſis, *Petri Grabbe*, Mechlinienſis, Ord. Sancti Franciſci, *Franciſci Joverii*, Valentini, *Laurentii Surii*, Carthuſiani, Anonymi, hoc eſt, *Dominici Bollani*, Veneti Ord. Prædic. in Collectionem Venetam A. 1585, *Severini Binii*, Doct. Colon. Anonymi, in Concilia generalia, Romæ edita A. 1608, *Jacobi Sirmondi*, S. J. in Concilia antiqua Galliæ, *Garſiæ Louiſæ*, in Concilia Hiſpaniæ, *Stephani Baluzii*, in novam Conciliorum Collectionem, *Joſephi Saenz de Aguirre*, in Collectionem maximam Conciliorum omnium Hiſpaniæ, *Joannis Harduini*, S. J. in maximam Conciliorum omnium Collectionem. Præter has Virorum Clariſſimorum, qui Concilia ediderunt, Præfationes Apparatu hoc primo habentur Collectionis Conciliorum Synopſis hiſtorica, in qua, quæ ſingulis Tomis ac toto Opere continentur, ſigillatim omnia indicantur ac deſcribuntur: Tabula Geographica Patriarchatuum *Guilielmi Sanſon*, *Nicolai* Filii, in qua Patriarchatus antiqui, Romanus, Conſtantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, in Exarchatus & Provincias Eccleſiaſticas diſtribuuntur, & Provinciarum urbes metropoles ſeu Epiſcopatus deſcribuntur: Conciliorum Index Alphabeticus: Tabula ejusdem *Sanſon* Geographica regionum, urbium, & locorum, ubi Concilia Oecumenica, Nationalia, Provincialia, & Synodi Dioeceſanæ, celebratæ ſunt: Conciliorum Index per gentes orbis terrarum præcipuas: Tabula Geographica ejusdem Autoris regionum, urbium & locorum, per Italiam, Galliam, & Angliam, ubi Concilia habita fuerunt, & Synodi: Romanorum Pontificum Index Chronologicus, atque Alphabeticus: Index Imperatorum Romanorum: Chronologia Regum Hiſpaniæ, nec non Galliæ: Index Epiſcoporum & aliorum, qui Conciliis interfuerunt: Index Geographicus Epiſcoporum, qui in his Conciliorum *Tomis* appellantur, una cum nominibus Epiſcoporum, qui ſingulos eos Epiſcopatus rexiſſe in iisdem Voluminibus perhibentur: denique Index locupletiſſimus rerum, quæ omnibus Conciliorum Tomis continentur.

JUSTI HENNINGII BOEHMERI, JCTI, Regi Boruſſ. a Conſil. Intim. Directoris Acad. Frid. & Vicarii Præſidis in Facult. Jurid. Prof. Jur. Ordin. Conſultationum & Deciſionum Juris Tomus primus. Ex Schedis paternis collegit, conveniente ordine digeſſit, conſpectu Argumentorum, Summariis, ac Indice locupletiſſimo, inſtruxit, filius, CAROLUS AUGUSTUS BOEHMERUS, D. in Conſil. Rerum Bellicar. ac Domanial. Regis Boruſſ. Audit. & Scabin. Regii Aſſeſſor.

Halæ, impenſis Orphanotrophei, 1733, fol.
Alph. 14 pl. 6½.

Omnium, qui unquam ad Reſponſa ſua publici juris facienda applicuerunt animum, longe multumque vicit induſtriam Ill. *Bœhmerus*, æternum non ſolum Fridericianæ Academiæ, verum etiam univerſæ Germaniæ, ornamentum. Sive enim concinnum, quo uſus eſt Vir magnus, ordinem, ſive ſelectiſſima, quæ in his Reſponſis pertractantur, argumenta, ſive ſingularem & pæne inuſitatam, quam horum elaborationi impendit, curam atque induſtriam, conſideres, ita comparatam eſſe hanc Reſponſorum Syllogen invenies, ut non poſſit non ingens in Jurisprudentiam meliorem inde redundare utilitas. Fas itaque eſſe cenſemus, ut pro præclaro hoc munere gratias maximas ipſi habeant Juris ſtudioſi, præcipue illi, qui vel Judiciis aſſident, vel jus dicunt, vel cauſas in foro actitant, quibus locupletiſſimum variæ & omnigenæ doctrinæ theſaurum aperuit diligentiſſimus Autor. Præmiſit Operi ſuo terſam elegantemque Præfationem, in qua *de more JCtorum antiquo & recentiori de Jure reſpondendi, & Reſponſorum Collectionibus*, agit. Magna erat JCtorum ſub libera Republica in reſpondendo de Jure autoritas, quod ſinguli, qui fiduciam ſtudiorum habebant, facere poterant. Scite admodum propenſam illam prolixamque de civibus ſuis bene merendi voluntatem

urba-

Digitized by Google

urbanam militiam vocat *Cicero.* Qui igitur Conſulentibus vacabant, hi vel in foro, vel domi, exequebantur pulcherrimum munus, & hanc ante *Tiberii Corruncani* tempora, quibus paucis cognita erat civilis ſapientia, laborum ſuorum mercedem referebant, ut illorum Reſponſa ſacratiſſimorum inſtar oraculorum haberentur, qua occaſione obſervat Cel. Autor, & ab oraculis & vaticinatoribus Reſponſa accepiſſe Conſultatores. Inde *Cicero* eum ampliſſimo JCti nomine dignum cenſet, qui legum & conſuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur, & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum, peritus eſſet, quales Viros etiam Juriſprudentes vocarunt Romani. Multum auxit JCtorum autoritatem vafrum & callidum *Auguſti* inſtitutum, qui illud ſolenne de Jure reſpondendi officium bene merentibus & petentibus tantum concredidit. A quo tempore JCtorum Reſponſa vim authenticæ autoritatis obtinuerunt, & Principes ipſi in Reſcriptis ſuis ad eorum Reſponſa provocarunt. Signata itaque, cum antea viva voce reſponderant, dabant Reſponſa JCti, ut judex ex ſignaculo poſſet cognoſcere, utrum is, qui Reſponſum dediſſet, eſſet ex numero eorum, quibus Imperator hoc jus conceſſerat. Reſponſa illa breviſſimis concepta erant verbis, &, etiamſi nulla adjecta eſſet ratio, valebant, prouti ex *l. 21 de LL.* quam ſimul mirifice illuſtrat, evincit Cel. Autor. Neque defuerunt Romæ, qui Reſponſa ſua in unum corpus volumenque cogerent. *Labeo* primus omnium ejusmodi tentavit atque perfecit Opus, cujus veſtigia *Sempronius Proculus*, *Neratius Priſcus*, *Javolenus Priſcus*, *Maſſurius Sabinus*, *Julius Aquila Gallus*, *Sextus Cæcilius Africanus*, *Ulpius Marcellus*, *Q. Cervidius Scævola*, *L. Æmilius Papinianus*, *Domitius Ulpianus*, *Julius Paulus*, *Calliſtratus*, *Herennius Modeſtinus*, & *Papirius Fronto*, legerunt, neque dubium eſſe arbitratur, quin reliqui quoque JCti hujusmodi Compilationes inſtituerint, quamvis earum fragmenta ad nos non pervenerint. Sed immenſa hæc Reſponſorum, Epiſtolarum, (nam & per Epiſtolas reſpondere ſolebant priſci JCti,) Quæſtionum, vel Conſultationum, moles incertam reddidit Juriſprudentiam, & infeliciſſimos introduxit

Digitized by Google

duxit nævos, donec deſperato illi morbo ſalutarem medelam afferret *Juſtinianus*, & ea tantum Reſponſorum fragmenta conſervaret, quæ amice conſpirare inter ſe credebantur. Non ſolum vero JCti, ſed etiam Epiſcopi primarii, de cauſis dubiis Eccleſiaſticis conſulebantur. Hinc orta fuerunt Reſponſa Eccleſiaſtica, inprimis Eccleſiæ Romanæ, ad Conſultationes aliorum, quibus tamen non novum Jus conditum fuit, quamvis id ſedulo curarunt, ut inſtar avthenticæ interpretationis eſſet, & parem cum prudentum Reſponſis haberent autoritatem. Conſultum itaque videbatur Pontificibus ambitione turgidis, ea colligere, & in certam Syllogen redigere; id quod primum *Dionyſius Exiguus* fecit, cujus Collectio poſtea mirifice aucta fuit, atque itidem ſingulorum Pontificum Reſponſa in Conciliorum Collectionibus integra exſtant. Quæ Reſponſa Eccleſiaſtica a Romanorum JCtorum Reſponſis differebant, quod illa multis verbis concepta, & perplurimis inſtructa erant rationibus. Inepta hæc praxis in fora civilia demum invaluit, & JCti gloriæ ſibi duxerunt, ſi Deciſiones ſuas multis dubitandi & decidendi rationibus, Interpretum allegationibus, & præcipuorum JCtorum autoritatibus, confirmare poſſent. Neque negat Cel. Autor, nimia fere Reſponſorum nos obrui eſſe mole; nihilo minus ſe in ea verſari opinione, & utilitate & neceſſitate hodienum adhuc ſeſe commendare diffuſiorem argumenti cujusdam in Reſponſis pertractationem. Quapropter & ad præconceptas opiniones vulgares contra publicationem Reſponſorum ſolide reſpondet, &, eandem & Reſponſorum & Deciſionum eſſe utilitatem graviter decernit. Aſſcivit Ill. *Bœhmerus* in curarum laborumque ſocietatem Filium ſecundo genitum, *Carolum Auguſtum Bœhmerum*, D. in Senatu Halenſi Aſſeſſorem, & Rerum Bellicarum & Domaniorum Boruſſiæ Regis Auditorem, cui ordinem, ſummaria, argumentorum conſpectum, & locupletiſſimum Indicem, debemus. In *duas* igitur *Partes* diviſit *priorem* hunc Tomum. *Prior* Juris Eccleſiaſtici argumenta perſequitur. Dabimus accuratum illorum indicem. Agit itaque I *de Libertate conſcientiæ, exercitio religionis libero, & anno decretorio* ſecun-

ſecundum Inſtrumentum Pacis; II *de Jure circa Sacra, & Juriſdictione Eccleſiaſtica Principum, ſummorum Imperii Tribunalium, Nobilium, Magiſtratuum municipalium, & Conſiſtoriorum*; III *de Deſertione Ordinum ſacrorum*; IV *de Juribus Capitulorum & Monaſteriorum*; V *de Jure Parochiali, & quidem de Jure Patronatus, de finibus & artibus Parochialibus, de oneribus Parochialibus, de remotione & ſuſpenſione Miniſtrorum Eccleſiæ*; VI *de Hoſpitalibus*; VII *de Gymnaſiis & Schola*; VIII *de Privilegiis cauſarum & perſonarum Eccleſiaſticarum*; IX *de Cauſis matrimonialibus, & quidem de Sponſalibus, de Matrimonio, de Divortio*; X *de Teſtamentis ad pias cauſas, & Stipendiis*. *Altera* hujus *Tomi Pars* in *duas Sectiones* abit. Una Juris Publici argumentis occupatur. Differit ibi I *de Statu Germaniæ antiquo*; II *de Jure dandi Privilegia*; III *de Jure dandæ civitatis*; IV *de Jure erigendi Academias*; V *de Juriſdictione & Homagio*; VI *de Jure Principis circa metallifodinas*; VII *de Jure Grutiæ*; VIII *de Jure circa molendina*; IX *de Jure venandi*; X *de Collegiis vectigalibus, & aliis oneribus publicis*; XI *de Jure detractionis*; XII *de Bonis Domanialibus, & alienari prohibitis*; XIII *de Oppignorato territorio*; XIV *de Jure Apanagiatorum & Paragiatorum*; XV *de Pactis & Succeſſione Illuſtrium*; XVI *de Judiciis Imperii & Auſtregis*. Alteram Juris Feudalis argumentis conſecravit Conſ. Autor. Diſceptat hic I *de Qualitate Feudali*; II *de variis Feudorum ſpeciebus, eorumque Juribus ſingularibus*; III *de Perſonis Feudum acquirentibus*; IV *de Modo acquirendi Feudum*; V *de ſimultanea Inveſtitura, ejusque indole*; VI. *de Succeſſione Feudali*; VII *de Jure Domini directi & Vaſalli in Feudo*; VIII *de Oneribus, Hypotheca, Dote, Dotalitio, Meliorationibus, & Debitis Feudalibus*; IX *de Retractu Feudali*; X *de Actione Feudi revocatoria*; XI *de Delictis Feudalibus*; XII *de Judicio Feudali*. Ex quo conſpectu pronum eſt intelligere, quam egregie Conſulta-

ſultationum ſuorum editione Jurisprudentiæ conſuluerit Cel. Autor. Id unum adhuc, duce Ill. *Bœhmero*, monemus, hoc *Tomo*, tanquam ſpecialibus exemplis, illuſtrari ea, quæ in *Tomo IV* Juris Eccleſiaſtici in theſi propoſuit. Præterea in his Conſultationibus mentem ſuam uberius declaravit, & infinitis Obſervationibus auxit Juris Eccleſiaſtici doctrinam. Plura quidem Reſponſa in *quatuor* illis Juris Eccleſiaſtici *Tomis* inſeruit, quæ in hoc Opere, ne crambem coctam bis apponeret, exulant, nihilo minus illorum tenorem breviter locis convenientibus retulit, & non niſi illa adjecit, quæ ob connexionem cum ſequentibus locum quendam jure quodam ſuo in hoc Opere flagitare videbantur.

THE ANCIENT PHYSICIAN'S LEGACY TO his Country, &c.

h. e.

SENIS MEDICI LEGATUM, PATRIÆ CONſtitutum, eorum, quæ ipſe novem & quadraginta annorum experientia collegit, ſive Collectio diverſorum morborum, generi humano fatalium, ſic perſpicue deſcripta, ut unusquisque naturam proprii morbi exinde cognoſcere poſſit. Cui acceſſerunt diverſa remedia pro unoquoque morbo ſumma fide deſcripta. Editio quarta.

Londini, apud Thomam Dowerum, 1733, 8.

Plag. 22.

Novas in Templo Sanitatis Tabulas, quales olim *Iſidi* & *Æſculapio* Ægyptii Græcique dedicaſſe feruntur, & quarum exempla

pla a *Grutero, Reineſio*, & *Hieronymo Mercuriali*, proferuntur, ſuſpendit Opuſculi præſentis Autor, & novis curationum Obſervationibus Medicinam locupletare annîſus eſt, probe gnarus, quæ prima arti incrementa dederunt variarum Scholarum olim, maxime vero *Cnidiæ*, ab *Hippocrate* caſtigatæ, annotata, nunc etiam plurimum utilitatis afferre poſſe, ſi ſapienti ratione inſtituantur. Quartam hanc Libri Editionem plurimis in locis auctiorem reddiderunt Epiſtolæ, ex diverſis Angliæ locis de curationibus Mercurio crudo factis ad Autorem ſcriptæ. Quibus ipſe Autor ſuas de uſu & abuſu Mercurii Meditationes adjicere promiſit in titulo, ſed id ipſum non præſtitit, inde, ut faceret, ab Amico monitus. Inductus eſt ad ſcribendum Autor, tot annorum experientiæ confiſus, eo, quod deprehenderit, inſigniter errari in comparatione morborum inſtituenda, & quod ſæpius ob nimiam affinitatem & ſimilitudinem pro iisdem habeantur, quæ diverſiſſimæ ſint, ægritudines, &, cum a diverſis omnino cauſis procedant, diverſam etiam omnino requirant curandi methodum, cujus ſtudii neceſſitatem Autores Medicinæ primævi agnoverunt, ad analogiam revocantes perfectam omnium circumſtantiarum convenientiam, obſervationes majorum, aut obvios alio tempore morbos, priusquam ſuam de negotio ſententiam proferrent. Maximam inde debere eſſe Medici, ad lectum ægrotantis conſtituti, ſagaciam, qualem inimitabilem fere jam ſuo tempore habuit *Galenus*, uti ex Libris de Prognoſi clarum eſt, quo appoſitis interrogationibus ægri de ſe ipſo judicium expiſcari poſſit. Equidem, in morborum complicatorum dijudicatione Medicos errare poſſe, absque famæ tamen diſcrimine, largitur; quodſi autem in ſimplicium morborum definitione deficiant, in crucem agendos, & veniæ immerentes, pronuntiat. In hujus rei gratiam peregrinationem Medicis juvenibus ſuadet, ſed decimo, poſtquam medicinam exercere cœperint, demum anno inſtituendam, & ita quidem ſuſcipiendam, ut terras potius morbis acutis obnoxias, quam innocuas noſtras, pervagentur, quo ſic exercitatas difficillimarum rerum uſu animi dotes ſecum in patriam afferre poſ-

 ſint.

Digitized by Google

ſint. Cujus rei ſi quæ eſt in Medici virtutem efficacia, ſe omnibus Magnæ Britanniæ Medicis ſuperiorem ſponte fatetur. Convenit cum Viri fama ſuſceptarum curationum felicitas, in obſervando acumen, in cauſarum morbi perquiſitione ſagacitas, & artifice digna legislatoria certitudo. Facta morborum in duas claſſes, chronicorum & acutorum, diviſione, arthriditis pedum, podagræ, apud Anglos morem deſcribit. Majoris digiti in pede primum ſaltem articulum arripit, circa mediam noctem cruciatus initium facit, nec niſi quadraginta octo horis, poſtquam affligere incepit, deſinit cum tumore & inflammatione. *Aretæus*, ſui temporis podagras præter majorem digitum, *τὴν ἐπιπρόσω πτέρνην καὶ τὸ κοῖλον*, dorſum plantamque pedis, id quod etiam apud nos faciunt, afflixiſſe, teſtatur. Gratiſſimum præſtituros nos hoc morbo laborantibus officium arbitramur, communicata iisdem, qua Autor cum ſucceſſu uſus eſt, methodo, abigendi juratum hunc publicæ & privatæ tranquillitatis hoſtem, nec gravius aliud futurum eſt dignitatis Libri argumentum, quam ſi ſic feliciter, uti in Anglia, etiam apud nos experimenta antipodagrica ſuccedant. Recipe Tamarindorum unciæ ſemiſſem, foliorum ſennæ drachmas duas, Rhabarbari drachmam unam. Ebulliant invicem cum tribus aquæ unciis, quibus paulo poſt ſolvatur Mannæ & Syrupi purgantis de roſis anaticis unciæ una partibus, adde Syrupi de Tragacantha, Elixir Proprietatis ana uncias duas. Pro diæta ordinat potum tenuem, motumque corporis. His una vel altera per ſeptimanam vice aſſumtis, materiam podagricam infringi aſſerit. Inde ad mentem Præceptoris ſui *Sydenhami* opiata ordinat. Recipe Opii unciam unam, Nitri & Tartari Vitriolati, invicem in mortario detonati, ana uncias quatuor, Ipecacuanhæ unciam unam. Hujus doſin a quadraginta ad ſexaginta & ſeptuaginta grana, in vino albo aſſumta, antequam lectum petat æger, expectato ſudore, ſic efficacem eſſe, certo affirmat, ut, duobus aut tribus, poſtquam aſſumſerit divinum hoc remedium, horis, omni dolore liberos fore artus, polliceatur. Eadem felicitate uſus eſt in contumaci Hydropiſeos, omnis generis, morbo,

quo

Digitized by Google

quo centum, ſe curante, convaluiſſe prædicat, plurimum confiſus remedio ex Croco Martis antimoniato & diagridio confecto, ut, ſi diætam ſervare velit æger, hoc unicum pro cura ſufficere arbitretur. Magna eidem fiducia eſt venæſectionum, eo uſque, ut, quando occaſione Empyematis de Pleuritide ſermonem inſtituit, certo affirmet, ſervo vicini, antequam doloris punctorii ſenſus evanuerit, ducentas ſexaginta uncias ſanguinis, adeoque ultra dimidium totius maſſæ ſanguineæ, quam ultra triginta libras in corpore humano non eſſe, computum inſtituunt *Craanen* aliique, eductas fuiſſe optato cum ſucceſſu. Mercurii uſum, quem contra morbum venereum primum detexit *Berengarius Carpus*, ſic ſibi domeſticum reddidit Autor, ut paſſim eundem ægris ingurgitet, maxime vero in aſthmate plethorico, conſilii eſſe, opinetur, crudi unciam unam omni die, cum portione ſulphuris aqua mixti quinta poſt meridiem hora aut lectum petendi tempore, aſſumendi, ægris præſcribere, ſicut, eundem Mercurium ad unciam unam per menſis ſpatium quotidie aſſumendum calculum renum debellare, aſſerit. Cujus rei rationem, & cur in omnibus fere morbis Mercurii crudi uſum ægris exhibere ſoleat, reddit. Hæc res eidem tantam famam peperit, ut, ceu propria ejus verba ſonant, *the Quickſilver Doctor* vocaretur. Redditur ratio primum negando, venenum eſſe, quo tempore ad metallarios Hungariæ provocat, quibus innocuus ſit Mercurii uſus, quamvis, quæ Cel. Doctor Pariſienſis, Dominus *de Juſſieu*, in metalli fodinis Hiſpaniæ obſervavit, contrarium innuere videantur. Secundo loco, nihil efficacius Seminium verminoſum, cui plurimorum morborum ortum adjudicat, debellare poſſe, quam ipſum Mercurium, pronuntiat. Inde, reſerandis viſcerum obſtructionibus inſervire, & balſamicam in ſanguine corrigendo virtutem edere, declarat. Largitur quidem, effluvia Mercurii periculo non carere, aſt crudum, ob molecularum rotunditatem, & figuram ſpiculi omnis expertem, pro innocente omnino eſſe habendum contendit. Neque vero crudo tantum Mercurio patrocinatur, ſed & omnibus præparatis Mercurialibus, Æthiope minerali, Mercurio dulci, Cinnabari antimonii, aliisque antimonialibus, inſigniter

dum ſpecifice levius attollunt, neceſſe eſt, ut iisdem adhæreant; quia vero in ſuperficie easdem derelinquunt, particulis aeris facilius adhærere debent, quam particulis metallicis. Multa phænomena particularia recenſet Autor, & ſimul unius alteriusque phænomeni rationem reddit per hanc aeris adhærentiam, veluti quod folia metallica in fluido non ſubſidant, quin potius ad fundum depreſſa adſcendant. *De Reaumur* thermometrum ſuum perficere ſtudet, cujus conſtructionem in Commentariis A. 1730 expoſuit. Succeſſiva nimirum immerſione in aqua fervente ſpiritum vini ab aere purgat, donec nihil amplius expelli poſſit. Obſervavit autem, thermometrum hoc cum aliis conferens, aerem intra ſpiritum vini contentum nil conferre ad ejus dilatationem, quæ ope caloris aeris ambientis contingere ſolet. Detexit propterea, aerem intra fluida contentum non amplius eſſe compreſſibilem, quando particulis fluidi fortius adhæret, aſt, ubi vi caloris ab adhæſione ex parte removetur, etiam intra ipſum compreſſibilem eſſe. *Du Fay* continuat Obſervationes ſuas de magnete, quas in Commentariis A. 1728 & 1730 communicavit. Equidem *Carteſius* ex levicula & merito contemnenda ratione defendit, vim attractricem poli borealis eſſe majorem vi attractrice auſtralis; ſed Noſter demum experimentis exquiſitiſſimis, quæ non in cujusvis erant poteſtate, evidentiſſime evicit, polum unum eſſe fortiorem altero, ſed nullo habito reſpectu ad ejus directionem. Admiratione vero dignum videtur, quod non ſemper polus majoris vis attractricis majus ſuſtentet pondus. Extraordinaria quædam fulguris deſcribuntur phænomena, ad Dn. *de Mairan* perſcripta, una cum ferro in quadam turri in magnetem converſo. In trunco quercus annoſæ bufo vivus repertus, quem ex ætate quercus 80 vel 100 annorum ſpatio ibidem absque aere & alimentis vitam conſervaſſe colligit Obſervator. Recenſentur Obſervationes meteorologicæ, factæ a *Caſſino* A. 1730, & a *Maraldo* A. 1731. A. 1730 quantitas pluviæ Pariſiis fuit 16 digitorum cum tertia lineæ parte. Maxima barometri altitudo fuit d. 22 Jan. 28 dig. ½ lin. minima d. 9 Mart. 27 dig. 2 lin. *Montvalon* phoſphorum Mercurialem obſer-

obſervavit in barometro, in quo bulla quædam aeris ingreſſa intra Mercurium unius circiter lineæ ſpatium occupabat, non minus in hoc aere compreſſo, quam in ſuperiori vacuo, illumque hoc multo vividiorem. Deſcribuntur quoque a *Caſſino* varia auroræ borealis phænomena, eodem anno tum a ſe Pariſiis, tum ab aliis in aliis locis Galliæ, obſervatæ. *Maraldus* vero alia recenſet, A. 1731 a ſe obſervata. Quantitas aquæ pluvialis A. 1731 Pariſiis fuit 10 dig. $3\frac{1}{8}$ lin. Minima Mercurii elevatio in barometro eodem anno fuit d. 9 Febr. 27 dig. 1 lin. maxima d. 10, 11, 12 & 13 Jun. 28 dig. 4 lin. Declinatio acus magneticæ in Occidentem obſervata 14° 15′. *De Mairan* exhibet quasdam Obſervationes auroræ borealis, quæ a d. 26 Sept. uſque ad 28 Oct. A. 1731 quindecies apparuit.

In *Anatomicis* de ſectione laterali veſicæ, calculi eximendi gratia facta, agit. Hanc operationem Chirurgicam Londini a *Cheſeldenio*, celebri Chirurgo, feliciter adminiſtrari obſervavit, nec minus feliciter eadem ipſi ſucceſſit Pariſiis. Etſi autem eodem die operatione abſoluta duo ægri vitam finirent; cadaveribus tamen apertis aliam mortis cauſam ſubfuiſſe didicere, qui ſectioni intererant. Cum de figura cordis in ſyſtole diverſæ ſint Medicorum ſententiæ, *Hunaud* in canibus, felibus, columbis, cuniculis, cyprinis, ranis, & viperis, in ſyſtole cor ſemper contrahi, ſeu brevius fieri, obſervavit. Rationem reddere conatur *Baſſuel* ex ſtructura cordis. Academia tamen Scientiarum, etſi rogata, ne deproperaret judicium, controverſiam nondum decidere voluit. Singularis refertur caſus partus cæſarei. Etenim fœmina 48 annorum, primam enixura prolem, partu difficillimo laborabat. Quamobrem obſtetrix fruſtra tentatis omnibus mediis, cum propter viæ anguſtiam nec fruſtatim extrahi poſſet, tandem ſeptimo die conſenſu Chirurgi ad ſectionem cæſaream confugit, tam felici ſucceſſu, ut nullum inde damnum perciperet mater, integra valetudine a puerperio uſa. *Petitus* diſſerit de modo ſiſtendi ſanguinem in hæmorrhagiis, & machinam deſcribit, qua, membro amputato, ſola compreſſione vaſa conſolidantur. *Maupertuis* varia deſcribit experimenta de Scorpionibus, quibus probat, ictum eo-

rum non eſſe, niſi ex accidente, lethalem, ſuſpecta ideo reddens antidota & remedia, contra eum commendari ſolita, & nonnullas refellit fabulas, quæ de iis narrantur, veluti quod intra circulum carbonibus candentibus comprehenſum collocati, proprio ictu necem ſibi inferant, & a muribus ictis remedii loco devorentur.

In *Chymicis* novum quoddam vegetationis metallicæ genus deſcribit *Condamine*. Inter arcana medica hactenus fuit ſal quoddam, a Medico quodam Gallo, *Seignette*, inventum, cui ab inventore inditum nomen. Plurimi oleum & operam perdidere in eo detegendo: ſed *Bulducco* tandem licuit eſſe tam felici, ut idem revelaret. Præparatur nimirum ex cremore Tartari reſoluto per alcali ex herba Kali extractum. Eodem tempore haud communicato conſilio in idem arcanum incidit *Geoffroy*. Idem vero *Bulduc* detexit quoque arcanum ſalis Epſomienſis, tantopere celebrati, docens, quomodo ex aqua marina vel aquis ſalſis fontanis extrahatur.

In *Botanicis* anatomiam piri continuat *du Hamel*, curioſiſſima ſubtilitate inquirens in diverſa vaſa, quæ in eodem deprehenduntur. Idem quoque continuat Diſſertationem ſuam de ſurculis inſititiis, ubi non minus multa curioſa occurrunt, quam in Schediaſmate præcedente. Inter alia notatu dignum eſt, quod iterata inſitione fructus evadant & meliores, & copioſiores.

In *Geometria* Meditationes ſuas de lineis quarti ordinis continuat *de Bragelongue*. Calculum integralem perficere ſtudet *Maupertuis*, novam proponens methodum ſeparandi indeterminatas in æquationibus differentialibus, diverſam ab ea, quam dedit *Craigius* in libro de calculo fluentium. Applicat methodum ſuam ad formulas *Craigianas*, monet tamen, eandem ſucceſſu deſtitui in æquatione $ay^e dy = by^n qdx + pdx$, & *Craigium* humani quid paſſum, dum ſibi perſuaſit, methodum ſuam ad eandem applicari poſſe. *Nicole* nova quædam communicat inventa de ſectionibus conicis. *Clairaut* formulas pro determinando centro gravitatis ſimpliciore modo eruit, quam hactenus a Geometris factum, uſus principio ſim-

ſimpliciſſimo, quod centrum gravitatis duorum ponderum reperiatur, ſi linea, jungens eorum centra gravitatis, dividatur in ratione reciproca ponderum. *Condamine* ſectiones conicas nova quadam ratione contemplatur. Concipit nimirum ſuperficiem conicam tanquam compoſitam ex innumeris circulis vel hyperbolis, aut etiam parabolis & ellipſibus: unde ſimpliciſſima via pervenitur ad æquationem localem ſuperficiei coni. Hinc vero porro deducit æquationem ſectionis cujuscunque in particulari, quæ æquatione ad ſuperficiem continetur. *Mayerus* in Diſſertatione de aurora boreali, quam inſeruit Commentariis Academiæ Imperialis Petropolitanæ A. 1726, cum ex principiis opticis deduxiſſet, auroram borealem oriri ex materia luminoſa, circulum æquatori parallelum occupante, regulam tradit diſtantiam ejus a terra ex unica obſervatione determinandi, ſed absque ſchemate & demonſtratione. Quamobrem *Maupertuis* in eandem inquiſivit, & ob utilitatem, quam habere poteſt, communicat. *Clairaut* docet generaliter modum inveniendi æquationes curvarum, quæ prodeunt ſecando ſuperficiem quamcunque datam plano poſitione dato. *Newtonus* ſub finem enumerationis linearum tertii ordinis, ſeu curvarum ſecundi generis, affirmat, lineas haſce omnes formari poſſe, ſi a puncto lucido illuminatum planum, in quo deſcripta eſt una parabolarum divergentium tertii ordinis, umbram projiciat in aliud planum quodcunque. Veritatem aſſerti nemo hactenus demonſtravit. Etſi enim *Jacobus Stirling* in Tractatu, qui ſub titulo: *Lineæ tertii ordinis Newtonianæ*, ſive *Illuſtratio Tractatus D. Newtoni de Enumeratione linearum tertii ordinis*, prodiit, ea demonſtranda ſibi ſumſerit, quæ de lineis tertii ordinis prodidit *Newtonus*; hanc tamen illarum deſcriptionem non attingit. Operæ igitur pretium fecit *Nicole*, quod demonſtrationem hactenus deſideratam dederit.

In *Aſtronomia* in motum realem Cometarum inquirit *Caſſinus*. Ex obſervationibus Cometarum conſtat, alios fuiſſe toto obſervationis tempore directos, alios retrogrados, alios vero partim directos, partim retrogrados. Dicuntur nimirum directi, qui ex Tellure circa Solem moveri videntur ab Occidente in Orientem; retrogradi vero, qui contraria via

ab Oriente in Occidentem incedunt. Quinam horum motuum ſit realis, quinam apparens, non unanimis eſt Aſtronomicorum & Philoſophorum ſententia. Alii enim ſibi perſuaſere, Cometas directos circa Solem vel Terram, Planetarum ſolarium inſtar moveri; retrogrados vero circa aliquam fixam, vel Planetam a nobis remotiorem, ut conſpectui noſtro ſubducatur: alii contra omnibus quidem Cometis motum circa Solem tribuerunt, ſed ſecundum quamlibet directionem, & hac hypotheſi ad impugnandum Syſtema vorticum cœleſtium uſi ſunt. Quamobrem, cum *Caſſinus* in Cometa anni 1729 deprehendiſſet, motum, qui retrogradus apparebat, re vera fuiſſe directum, operæ pretium duxit, in omnem Planetarum retrogradorum, de quibus accuratæ proſtant obſervationes, motum inquirere. Oſtendit autem, omnium motum repræſentari poſſe tanquam directum, qui non niſi inſtar Planetarum, vel ſuperiorum, vel inferiorum, apparuerit retrogradus: quo ipſo concidit prætenſa Demonſtratio *Newtoniana* de impoſſibilitate vorticum cœleſtium, utpote hypotheſi nondum ſufficienter probatæ, ſeu levi quadam conjectura innixa. *Godinus* deſcribit quadrantem Aſtronomicum muralem fixum, propterea quod talem in uſum ſuum fecerit. Agit autem primo de ejus conſtructione & diverſis, ex quibus componitur, partibus, deinde de ejus verificatione, & tandem de modo, quo in ſitu ſuo rite firmetur. Utitur autem dioptris teleſcopii, & micrometro, quod ab ordinario plurimum differt, & inventorem agnoſcit Dn. *de Louville.* Equidem inventor ejus mentionem injecit in Commentariis A. 1714; ſed, cum deſcriptionem nullibi publicaverit, *Godinus* ipſum accurate deſcribit. *Caſſinus*, *Godinus*, & *Grandjean*, obſervarunt eclipſin Lunæ d. 20 Jun. A. 1731. Ille initium annotavit h. mat. 1. 14′ 22″, finem h. 2. 45′ 12″, quantitatem 2 dig. 5. Hi initium certum ponunt h. 1. 14′ 20″, finem h. 2. 40′ 0″, quantitatem 2 dig. & minimum 12′, ad ſummam 13 minutorum. Ceterum *Godinus* ſingularia quædam de modo obſervandi eclipſes lunares monet, ad theoriam Lunarem perficiendam utiliſſima. *Pitotus* uſum linearum meridianarum prægrandium, qualis erat illa *Caſſiniana*

in

in templo Bononienſi *S. Petronii*, inſigniter promovit. Docet enim juxta latera ejusdem deſcribere lineas alias, in quibus imago Solis monſtrat tempus ante- & pomeridianum in minutis horariis. Apparet hic inſignis uſus Algebræ in re Aſtronomica, laudandusque eſt Autor, quod formulas Algebraicas ad praxin quoque aptet. *Grandjean* novam deſcribit formam Tabularum Aſtronomicarum, eamque dubio procul optimam, qua calculus Aſtronomicus in definiendis locis Planetarum mire facilitatur, & ephemeridum inprimis conſtructio ab omni tædio liberatur. Cum eam nuperrime in nova Elementorum Matheſeos editione *Tom. III* deſcripſerit Cel. *Wolfius*, quæ hodie in omnium manibus ubivis verſantur; plura de re utiliſſima hic non addimus.

In *Geographia* de limitibus Imperii *Alexandri M.* diſſerit *Buache*, ut illuſtretur Mappa Geographica, in uſum Regis a Dn. *Deliſle* confecta. Et in *Chronologia* Opus quoddam MStum Academiæ Regiæ obtulit *Filliolus*, in quo Paſcha per calculum Aſtronomicum determinat, & hunc calculum ſubinde diſſidere oſtendit a Calendario *Gregoriano*, in quo Paſcha æquinoctium verum præcedit. Enimvero Academia idem non approbat, cum in diſtributione temporis politica nec ſpectari poſſit, nec debeat, præciſio Aſtronomica, propterea quod in definiendo motu ſiderum nondum conſentiunt plane Aſtronomi, nec Paſcha, ſecundum veritatem Aſtronomicam celebrandum, ubivis terrarum eodem die celebrari poſſit; ut adeo Eccleſia prudenter retineat Calendarium *Gregorianum*, ſalva poteſtate emendandi idem in poſterum, ſi neceſſarium videatur.

In *Mechanicis* conſtructionem tectorum demonſtrativam reddere conatur *Couplet* ex principiis Mechanicis. Conſiderat autem in cantheriis duplicem tendentiam, alteram verticalem, qua deorſum nituntur, alteram vero horizontalem, qua ſe extendere nituntur. Quoniam cantherii, in angulum ſuperne coeuntes, nituntur adverſus ſe invicem, ob eorum æqualitatem & ſitum eundem, viribus æqualibus, tendentia verticalis deſtruitur, ut non reſtet niſi horizontalis; cui opponuntur catenæ ſecundum longitudinem murorum exporrectæ. Conſtat, *New-*

Digitized by Google

tonum defendiſſe vacuum, & coacervatum, & diſſeminatum, & qui placita ejus defendunt, eundem utriusque exiſtentiam demonſtraſſe, contendunt. Vacuum coacervatum ſibi adſtruxiſſe viſus eſt, quod oſtenderit, in æthere reſiſtente fieri non poſſe, ut Planetæ motus ſuos per tot Secula citra ullam celeritatis diminutionem continuent. Abbas itaque *de Molieres*, nullam ætheri reſiſtentiam concedens, quemadmodum faciunt *Carteſiani*, Geometrice demonſtrat, in hoc caſu reſiſtentiam fluidi eſſe infinite parvum ſecundi ordinis, quod, quoad diminutionem celeritatis motus Planetarum, haberi debet pro nullo. Atque ita concidit prætenſa *Newtoni* de vacuo demonſtratio, fiducia hypotheſeos gravitatis univerſalis concepta. *Maupertuis* ſub titulo Balliſticæ Arithmeticæ ope Algebræ mira brevitate & commodiori ratione expedit, quicquid in prolixis Tractatibus de Bombis jaciendis demonſtratur, ita, ut totam theoriam unica pagina capere poſſit. Utile foret, Tabularum conſtructione theoriam ad praxin aptari. Nemo hactenus motum corporum curvilineum conſideravit in mediis mobilibus, ſeu quæ & ipſa moventur, cum tamen certum ſit, Planetas in iſtiusmodi mediis moveri. Hunc igitur defectum ſupplet *Bouguer*, ne quid in Geometria deſideretur, quod uſui eſſe poſſit in Phyſica, accedentibus obſervationibus. *D'Onzembray* deſcribit machinam, nautis utilem ad obſervandum in mari angulum, quem facit rumbus, ſeu linea venti, itemque linea meridiana pyxidis nauticæ cum mali principis ſtereobata, nec non angulum, quem facit linea meridiana pyxidis cum rumbo. A. 1714 *Bernoullius* edidit Manuariam Nauticam, quam in his *Actis* ejusdem *Anni pag. 272* recenſuimus. *Pitotus* theoriam iſtam ad praxin aptavit, ut uſui eſſe poſſit naucleris, in libro, quem publici juris fecit A. 1731, ſub titulo: *La Theorie de manoeuvre des Vaiſſeaux reduite en pratique, ou les principes & les regles pour naviguer le plus avantageuſement, qu'il eſt poſſible.* Hujus Libri recenſio agmen claudit in Hiſtoria anni præſentis, de qua hactenus diximus, niſi quod pro more adjiciantur Elogia Doctorum Sociorum, quos hoc ipſo anno amiſit Academia. Primus illorum eſt *Stephanus Franciſcus Go-*

dofre-

Digitized by Google

dofredus; ſecundus *Fridericus Ruyſchius*; tertius *Joannes Renatus de Longueil*. *Godofredus* natus fuit Pariſiis d. 13 Febr. A. 1672, patre *Matthæo Franciſco Godofredo*, Pharmacopola, Scabino, & Conſule, & matre *Ludovica de Vaux*, filia Chirurgi, ſuo tempore non incelebris. Parens eum deſtinaverat a primis unguiculis ſibi ſucceſſorem in arte ſua. Quamobrem, cum in Phyſica generali non contemnendos feciſſet progreſſus, Botanicæ, Chymiæ, & Anatomiæ, operam dedit, horis ſubſecivis in poliendis vitris & conſtruendis machinis minoris formæ conſumtis. Linguæ etiam Italicæ copiam ipſi fecit Abbas *Roſelli*. A. 1692 parens ipſum miſit Montem peſſulanum ad eximium Pharmacopolam, ut pharmaceuticæ arti ibidem operam daret, ubi & Profeſſorum lectiones ex ipſorum ore avidus hauſit. Antequam Pariſios reverteretur, per Provincias regni meridionales iter fecit, & portus oceani viſit. A. 1698, cum *Tallardus* Legatus Extraordinarius in Angliam mitteretur, eum ſibi Medicum adjunxit. Londini Noſter in amicitiam Ill. *Sloane* admiſſus eſt, & in Societatem Regiam adoptatus. Inde in Bataviam trajecit, & A. 1700 iter in Italiam ſuſcepit cum Abbate *de Louvois*, cujus erat Medicus. Hiſtoria inprimis naturalis & materia medica erat, ad quam omnem cogitationem convertebat, cumque pater vellet, ut Pharmacopolam ageret, filius maluit eſſe Medicus, ac, patre tandem conſentiente, Medicinæ ſe dedit, cui filium natu ſecundum deſtinaverat, pharmaciæ poſtea conſecratum. A. 1702 Baccalaureus, & A. 1704 Medicinæ Doctor creatus, pro Baccalaureatu diſputavit, num Medicus ſit ſimul Chymicus Mechanicus? pro Doctoratu autem, num homo generetur ex verme? Diſſertationem poſteriorem in ſermonem Gallicum transferre coactus eſt, ut curioſitati fœminarum illuſtrium ſatisfaceret. Antequam ſe praxi traderet, integrum decennium in Muſæo conſumſit, theoriæ certitudinem conſecuturus, antequam eidem fideret in praxi; quam deinde cum applauſu exercuit. A. 1709, mortuo *Tournefortio*, locum inter Profeſſores Medicinæ in Collegio Regio accepit, ubi Auditoribus ſuis omnem Hiſtoriam Medicinæ in calamum dictaturus,

absol-

abſolvit regnum minerale, in vegetabili ſubſtitit ad Meliſſam, ſecutus ordinem Alphabeticum, animale vero non attigit. A. 1712 Profeſſionem Chymiæ in horto Regio ipſi ceſſit *Fagonius*. A. 1726 Decanus Facultatis Medicæ electus eſt; ſed, cum electio a nonnullis impugnaretur tanquam irregulariter facta, a Rege confirmata fuit. Biennio abſoluto, quo a Decanatu iterum erat diſcedendum, conſenſu eorum, quos ante adverſarios experiebatur, eundem retinuit. Nimis vero hoc pacto laboribus oppreſſus, ſanitatis jacturam fecit, & d. 6 Jan. A. 1731 vitam finiit. In Academiam receptus erat A. 1699.

Ruyſchius natus eſt Hagæ Comitum d. 23 Mart. A. 1638, patre *Henrico Ruyſchio*, Secretario Statuum Hollandiæ, & matre *Anna van Berghem*. Elegit ſtudium medicum, & materiæ medicæ, Chymiæ, & Anatomiæ, ſtudio totum ſe dedit. A. 1661 uxorem duxit, ut a curis domeſticis liber eſſe poſſet. Illo tempore Lugdunum venit *Bilſius*, Anatomicus multæ famæ, quem Rex Hiſpaniarum Profeſſorem in Academia Lovanienſi conſtituerat. Hic cum omnes Anatomicos vaſto ſupercilio contemneret, ſuaque jactaret inventa de motu bilis, lymphæ, chyli, pinguedinis, *Sylvius* & *Hornius*, Profeſſores Lugdunenſes, faſtum hominis retundendum committebant *Ruyſchio*, qui cadaverum ſectionibus plus operæ impenderat, quam ipſi fecerat. *Ruyſchius* A. 1664 Doctor Medicinæ creatus fuit in Academia Lugdunenſi, & id potiſſimum ſibi dedit, ut Anatomiam ad eum perfectionis gradum perduceret, ad quem perduci poſſe videbatur. *Regnerus de Graaf* invenerat Syringem, vi cujus materiam quandam coloratam in vaſa ſanguifera injiciebat, ut in conſpectum prodirent, ſed, cum ea non ſatisfaceret, alium injectionis modum excogitavit *Swammerdam*. Noſter vero hanc injectionem, cum ignoraret *Swammerdammianum* ſecretum, proprio marte adeo perfectam effecit, ut vaſa capillaria minima in conſpectum producere potuerit. Invenit etiam modum cadavera conſervandi, ne in putredinem abeant, utque odorem non ingratum ſpirent, etſi corruptioni jam obnoxia antea eſſent. Adverſarii ipſius fuere graviſſimi *Bidloo* & *Rau*; ſed veritas tamen tandem triumphavit, non obſt-

obſtantibus malevolorum & maledicorum obtrectationibus. Plurima detexit no[redacted] Anatomia, non tamen vidit omnia. Præter functionem [redacted]ci, & Profeſſionem Anatomiæ, Conſulatus quoque dignitas in urbe Amſtelodamenſi, ubi erat domicilium ejus, ipſi delatus. Egit etiam Profeſſorem obſtetricum nomine publico, & præterea Botanicæ Profeſſio ipſi demandata fuit. Muſæum rerum naturalium, quod ipſi erat, adeo dives fuit, ut pro Theſauro rerum naturalium Regio haberetur. A. 1717 idem magno ſumtu redemit *Petrus I*, Ruſſorum Monarcha, & Petropolin transferri curavit, cum idem jam A. 1698 non ſine multa admiratione contemplatus fuiſſet: mox tamen *Ruyſchius* Muſæum novum non minore cura inſtruxit. A. 1727 in Academiam Scientiarum Regiam receptus eſt, cum jam eſſet Membrum Academiæ Naturæ Curioſorum, & Societatis Regiæ Anglicanæ. A. 1728 lapſu graviori os coxendicis ipſi fractum, ut incedere non poſſet, cetera ſanus. Sed A. 1731 omnem vigorem corporis & animi ſimul omiſit, & d. 22 Febr. anno ætatis 93 vitam finiit. Plurima ſcripſit ad rem Anatomicam ſpectantia.

De Longueil, Marchio *de Maiſons*, ex genere antiquo ſanguinem ducens, natus eſt Pariſiis d. 15 Julii A. 1699. Pater ipſi erat *Claudius de Longueil*, Supremi Senatus Præſes; mater *Charlotta Roque de Varangeville*. Studiis humanioribus ſatis imbutus, anno ætatis 14 Phyſicæ operam dedit, experimentis mire delectatus. Anno ætatis 15 ad Jurisprudentiam animum appulit, cui ſeſe conſecrare debebat. Patre tum mortuo, ſpe ſucceſſorem fecit Rex filium, & anno ætatis 18 Senatus ipſi votum & ſeſſionem conceſſit. Hoc tamen non obſtante, Phyſices ſtudio conſtanter delectatus, & ad ædes ſuas non modo hortum rarioribus plantis inſtruxit, verum etiam laboratorium Chymicum excitavit. A. 1726 locum honorarium in Academia Scientiarum obtinuit, cujus Præſidem A. 1720 Rex nominavit. Variolis extinctus eſt d. 13 Sept. A. 1731.

S. K. EPISTOLA AD GEOMETRAS.

Quam longe fines Geometriæ, Seculo hoc noſtro bonarum artium feraciſſimo, ſolutionibus Problematum, quæ Geo-

Digitized by Google

metræ alii aliis propoſuerant, fuerint prolatæ; neminem ignorare cenſeo, qui vel primis, ut ajunt, labiis Hiſtoriam degustavit Literariam. Fretus egregio hoc, nunquam ſatis laudando, more, Geometras quam humaniſſime invito ad conſiderationem quorundam Problematum, quorum conſummata ac perfecta analyſis ingenium & induſtriam, non unius, ſed multorum requirit.

Profecto fortunatum me prædicarem, ſi, quas in his Problematibus reſolvendis adhibeo methodos, aut confirmare, aut corrigere, aliorum poſſem opera atque auxilio. Uti vis unita fortior, ita etiam, quæ plures conjunctis viribus commeditantur, illuſtriora multo fiunt atque expreſſiora, quam ea, quæ unius conatibus in lucem protrahuntur.

Si ipſe magnus ille *Newtonus*, ea, quæ in primo poſtulantur atque ſecundo Problemate, calculis Mathematicis ſubjici poſſe, deſperavit; quanto minor mirandi erit cauſa, ſi tenuioris doctrinæ homines, his in rebus vera afferri poſſe, tam diu dubitabunt, uſque dum demonſtrationum vi ſimul etiam multorum accedat autoritas.

Rogo itaque etiam atque etiam Geometriæ peritos, ut, quæ ex his forſan jucunda videbuntur, ſuis dignari velint ſtudiis; me ſane in omne ævum ſibi devinctum, & ad hujusmodi officia viciſſim pro ingenii viribus, ut & ad omnia ea, quæ a mea tenuitate expectari poſſunt, ſemper habebunt paratiſſimum.

Si qui ſunt, qui intra proximos ſex menſes (forſan in his *Actis*) ſuis nos dignabuntur ſolutionibus, primæ inventionis laus atque gloria merito ipſis concedetur; ſin minus, meas tum publicabo, quæ ſi intelligentium calculum mereri poterunt, abunde ſatis operam, quam in iis concinnandis adhibui compenſatam puto.

Quæſtiones autem hæ ſunt.

Problema I.

Data amplitudine Canalis Cylindrici liquoris pleni, ut & figura ac magnitudine Corporis Conoidici, data velocitate in liquorem incurrentis; quæritur, quantam reſiſtentiam ab inertia fluidi hoc corpus ſit perlaturum?

Proble-

Digitized by Google

Problema II.

Data, ut ante, amplitudine Canalis Cylindrici, Longitudine ac Latitudine ſolidi, verſus liquorem in Canali ſtagnantem impellendi; indagetur natura corporis, aquam omnium facillime ſulcantis, minimamque a fluido reſiſtentiam offendentis.

Problema III.

Data figura Canalis, per quem fluidum data velocitate fertur; quæritur preſſio, quam hoc fluidum in latera atque fundum hujus Canalis exercebit.

Problema IV.

Data longitudine fiſtulæ, ex rotatione Curvæ, circa axem genitæ; poſtulo naturam ſoni, quem hæc fiſtula inflata edet.

Problema V.

Jaceat Corpus Conoidicum cujuscunque demum figuræ in Plano horizontali, irruat in illud Globus data velocitate, illudque percutiat in dato puncto. Scire jam velim, quænam futura ſit velocitas, cujuscunque puncti, in hoc Corpore Conoidico, ſtatim poſt ictum?

Cumque certum ſit, quodvis punctum Corporis Conoidici non procedere poſſe in ea directione, in qua Globus percutiens advenerat; requiro naturam curvæ, quam unumquodque punctum ſuo ſit delineaturum curſu?

Problema VI.

Eſto Corpus cujuscunque figuræ. Quæritur, quonam modo ſit axe trajiciendum, ita, ut, hoc Axe in gyrum acto, adeoque & ipſo Corpore, quod in divulſo nexu Axi eſt connexam Corpus nusquam abeat, ſed jugiter eodem in loco in gyrum turbinet? Vocabo punctum hoc, per quod Axis tranſire debet Centrum turbinationis, illiusque naturam, literis transpoſitis, hunc in modum explicabo. $a^3\,bc^3\,e^3\,gbi^6\,m^3\,n^4\,o^2\,pr^4\,s^3\,t^7\,u^4\,v$.

Problema VII.

Trajecto Corpore Axe, in dato puncto, illoque, ut ante, in gyrum acto; quæritur, quamnam viam & Axis & quodvis punctum Corporis Conoidici ſint deſcripturi?

 Ecce

Digitized by Google

Ecce Problemata, in quibus aliorum quoque operam valde deſiderarem. Nemo autem conqueratur, præmium huic labori a me non eſſe conjunctum; gloria alit artes, felix in ardua re ſucceſſus maxima ſemper optimo cuique merces. His qui non incitatur ſtimulis, vix Problemata ſolvet noſtra. Quæ quanti ſint momenti, paucis hic docuiſſe, operæ erit pretium.

Poſtquam Vir ſummus, *Iſaacus Newtonus*, in æterno cedroque digno & artis & ingenii ſui monumento (quod principia Philoſophiæ Naturalis inſcripſit,) naturam ſolidi, quod, in fluido ſecundum directionem Axis latum, minimam perferat reſiſtentiam, ſuppreſſa Analyſi tradidiſſet; extemplo ſummi Geometræ huic Problemati certatim incubuerunt. Dedit hanc Analyſin, more ſuo, elegantiſſime Vir omni laude major, *Jo. Bernoullius*, dedit illam Marchio *Hoſpitalius*, dederunt alii. Hic vero requiritur aliud *reſiſtentiæ minimæ ſolidum*, cujus indaginem omnem calculum effugere, crediderat *Newtonus*; & quidem tale, prout natura ipſa poſtulat, & neutiquam in hypotheſi illa imaginaria, quam ſibi finxit *Newtonus*. Nec enim Aquæ in corpus motum impingere poſſunt, uti ille dixerat, & ita libere dein a Corpore ad Latera reſiliunt, quin circumfluentem infinitis modis turbent. Prodibit ſane longe diverſæ naturæ ſolidum etiam in caſu *Newtoni*, imo nova plane de reſiſtentia corporum theoria, adeoque non *Newtono*, ſed quæſtionis enodatori, propria.

Tertium Problema ante clariſſima Helvetiæ lumina, Celeberrimos *Bernoullios*, nemo unquam, ne conjectando quidem aſſequi auſus eſt. Nec quæſtionem hanc facile quisquam expediet, quin integram ante de univerſo aquarum motu theoriam ſibi comparet. Quæ cum in Phyſica infiniti ſit uſus, nemo erit, qui operam ſuam non ſatis abunde compenſatam ſit habiturus. Eſt mihi hujus aſſerti teſtis, omni exceptione major, Vir ſummus, *Chriſtianus Wolffius*. Ea enim, quæ ſcripſit in Præfatione ad ſua Hydraulica Elementa, præcipue Germanica, abunde declarant, quid in his fieri velit inſignis Scientiarum Promotor.

De

Digitized by Google

De *Problemate quarto* nihil dico. Nemo non facile videt abſolvi enodatione hujus Problematis magnam novæ & hactenus fere incognitæ ſcientiæ partem, quæ Acouſtica dici poteſt, & de natura ſonorum agit. Adeoque hoc Problema cuivis ſe ſatis commendabit.

Addimus denique *tria ultima Problemata*, de variis motibus, quos quotidie ante oculos videmus, quorum quidem ſolutio facilis, ſed jucunda, & elegans, eſt. Habent autem *tria* hæc *Problemata* arctam inter ſe affinitatem, pendentque ab una eademque theoria, quæ dici poteſt Mechanica inertium, ſeu de motibus, qui ex inertia Corporum oriuntur. Videmus illos excitamusque quovis fere momento manibus noſtris, & adeo frequentes occurrunt, ut ſatis mirari nequeam, obviam hanc atque curioſam Mechanicæ partem incultam huc uſque ac neglectam, neminem ſaltem publice, contemplatum fuiſſe. Utilem itaque hanc & late patentem materiam diligentibus Geometris etiam atque etiam commendatam velim.

Latet præterea in his Theoria nova de motu rotatorio, in quem gyrantur Corpora in percuſſione, uti id ſemper accidere oculis noſtris obſervamus; etſi hujus Motus leges a nemine adhuc publice ſint manifeſtatæ.

Hiſtoriſche und Theologiſche Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangeliſch-Lutheriſchen Kirche, xc.

h. e.

INTRODUCTIO HISTORICO-THEOLOGICA in Religionis Controverſias, quæ præcipue extra Eccleſiam Evangelico-Lutheranam ortæ; Autore JO. GEORG. WALCHIO, *Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. in Academia Jenenſi. Editio tertia.*

Tomus I.

Jenæ, apud Jo. Meyeri viduam, 1733, 8.
Alph. 2 pl. 5.

 Quan-

Quanto applauſu hic *Tomus* Hiſtorico-Theologicæ Introductionis in Controverſias Religionis, extra Eccleſiam Evangelico-Lutheranam ortas, exceptus fuerit ab erudito orbe, vel ex eo colligi poteſt, quod intra pauciſſimos annos tertio fuit typis exſcribendus. *Primus* hujus inſtituti autor exſtitit B. *Buddeus*, qui, cum propter negotiorum multitudinem manum huic Operi admovere ultimam non poſſet, rem omnem, ut ex Præfatione a B. Viro præmiſſa perſpicitur, Viro Cel. *Jo. Georg. Walchio*, genero ſuo, ad finem perducendam tradidit. Qui quidem provinciam ſibi demandatam ita adminiſtravit, ut, retenta methodo, a B. Socero præſcripta, omnia momenta ac Capita, in hoc *Tomo* occurrentia, breviter quidem, at ſolide tamen pertractaret. *Septem Capitibus* hic *Tomus* abſolvitur. *Primum* agit de natura & neceſſitate Theologiæ
Pag. 2. Polemicæ, deque ſubſidiis eidem operam dandi. Poſtquam hoc *Capite* Cel. Autor declaravit, quid ſit Theologia Polemica, & quo ſenſu dicatur habitus, tria commemorat media, quibus ad eam pervenire poſſit Theologiæ cultor. Unum conſtituit in Scripturæ Sacræ intelligentia, alterum in ſcientia Philoſophiæ inſtrumentalis, tertium vero in cognitione Hiſtoriæ
14. Eccleſiaſticæ. Objectum ejus facit divinas veritates, ex ipſa Scriptura Sacra hauſtas; formam vero dicit eſſe, qua hæ veritates adverſus hoſtium & Adverſariorum objectiones defenduntur, qua ſartum tectum conſervetur verbum divinum. Tandem, demonſtrata hujus Theologiæ neceſſitate, indicantur
26. Scriptores ad Polemicam Theologiam pertinentes. *Secundum Caput* præcipit de prudentia & cautione in Theologia Polemica & in Controverſiis tractandis rite adhibenda. Hinc in Controverſiis agitandis Theologicis finem præcipit reſpiciendum eſſe, & in Polemico Theologo neceſſariam eruditionem imperiumque in animi motus, accuratam cognitionem & ſententiæ refutandæ, & veritatis defendendæ, requirit, & cauſas origineſque errorum inquirendas, & una ſerie conſiderandas, & qua ratione ex Hiſtoria quoque Eccleſiaſtica
103. veritas noſtræ Religionis oſtendi poſſit, docet. *Caput tertium*, in quo Controverſiæ Theologicæ inter noſtram & Romanam

manam Eccleſiam agitatæ exponuntur, *tres* habet *Sectiones*. *Prima* evolvit originem, incrementum, & fata Papatus, & ejus rationem, ac propria Dogmata, tradit. Evicta ab initio hujus *Sectionis* neceſſitate hiſtoriam Papatus tenendi, eam ipſam in varias diſtinguit Autor periodos, quarum 1) eſt ab altero Seculo uſque ad *Conſtantinum Magnum*; 2) a temporibus *Conſtantini Magni* uſque ad *Gregorium Magnum*; 3) a *Gregorio Magno* uſque ad *Carolum Magnum*; 4) a *Carolo Magno* uſque ad *Gregorium VII*, Pontificem; 5) a *Gregorio VII* uſque ad *Ludovicum Bavarum*; 6) a *Ludovici Bavari* temporibus uſque ad noſtram ætatem. Ad declaranda vero genuina ac propria Dogmata Pontificiorum, duas eorum conſtituit claſſes, & ad primam ea refert, quibus ab omnibus Chriſtianis diſcedunt, ad alteram autem illa, in quibus a Proteſtantium quidem doctrina diſſentiunt, cum Græca tamen & Orientali Eccleſia fere conſentiunt. Ubi etiam diſquiritur, an inter Romanam & Evangelico-Lutheranam Eccleſiam fundamentale in doctrina diſcrimen intercedat, an unio earum fieri poſſit, & an quis poſſit ſalva conſcientia a Lutherana Eccleſia ad Romanam tranſire. In calce commemorantur Scriptores, qui tam pro Papatu, quam in eum, ſcripſerunt. *Sectio ſecunda* hujus Pag. 232 ſeq. *Capitis* internas Eccleſiæ Romanæ Controverſias explicat, ubi primum Controverſia inter Janſeniſtas & Jeſuitas agitata, & Dogmata *Janſenii* a Pontificibus damnata, & quas Conſtitutio Unigenitus dederit turbas, commemorantur. Deinde explicantur Controverſiæ, quæ Dominicanis partim cum Franciſcanis de immaculata Mariæ conceptione, partim cum Jeſuitis de libero arbitrio & de Religione Chinenſium, interceſſerunt. Denique de Quietiſmo, ejus origine, progreſſu, & placitis, diſſeritur. *Sectio tertia* eſt de argumentis generalibus 314. Pontificiorum, quibus adverſus Religionem Lutheranam utuntur, eorumque refutationem complectitur, & ſimul indicat, Pontificios ſibi ipſis contradicere, & Pontificum vitam moresque repugnare veritati, quam jactant, religionis. *Caput* 382. *quartum*, quod exhibet Controverſias, quas in Religione cum Reformata Eccleſia habemus, pariter *Sectionibus tribus* conſtat.

Digitized by Google

ſtat. *Prima* originem, incrementum, & fata Eccleſiæ Refor-
matæ conſiderat, ejusque indolem, & genuina Dogmata, decla-
Pag. 435. rat; *altera* internas complectitur Eccleſiæ Reformatæ Con-
troverſias, quem in cenſum referuntur Controverſiæ Remon-
ſtrantium, Supralapſariorum, Sublapſariorum, Hypotheticorum,
Abſolutorum, Coccejanorum & Voetianorum, Epiſcopalium
492. & Puritanorum, in Anglia; *tertia* hiſtoriam pandit ſæpius
propoſitæ & quæſitæ unionis inter Lutheranam & Reforma-
tam Eccleſiam, docetque, tentatum id eſſe Seculo XVI, XVII,
XVIII, & noſtra cum primis tempeſtate, ubi ſimul Theologi-
ce diſquiritur, an diſſenſus & diſcrimen doctrinæ noſtræ &
Reformatorum fundamentale ſit, & an unio illa fieri poſſit.
550. *Capite quinto* Controverſiæ cum Antitrinitariis & Socinianis
obviæ explicantur, & de Antitrinitariis, tam priſci, quam re-
centioris ævi, de origine & progreſſu Socinianiſmi, de libro
Symbolico Socinianorum, deque eorum Dogmatibus, ſubjectis,
583. qui extant in utramque partem, Scriptoribus, exponitur. *Ca-
put ſextum* recenſet Controverſias cum Enthuſiaſtis ac Fana-
671. ticis, ſpeciatim Anabaptiſtis, Quackeris, Inſpiratis, &c. *Ca-
put ſeptimum* Controverſiis cum Atheis, Naturaliſtis, & Indif-
ferentiſtis, dicatum eſt. Atque ibi Cel. Autor demonſtrat, dari
omnino Atheos, & Atheiſmum vel practicum eſſe, vel theore-
ticum, horum hominum principia communia, ac propria Do-
gmata, commemorat, & Scripta contra illos edita refert. Na-
turaliſtarum æque atque Indifferentiſtarum hiſtoria, præcipui
704. errores, & Scriptores contra illos, traduntur. *Caput octavum*
de Controverſiis cum Orientali, nominatim Ruſſica & Græca,
Eccleſia, quarum & ratio & a Latina Eccleſia diſſenſus, & cum
Pontificia conſenſus, oſtenditur, & Scriptores huc pertinentes
721. nominantur. *Capite nono* exſtant Controverſiæ, quæ nobis
ſunt partim cum Muhamedanis, de quibus generatim, ac ſpe-
ciatim de eorum Alcorano, ac dogmatibus, diſſeritur, partim
cum Judæis hodiernis, quorum Religionis ratio, & præcipua
dogmata, referuntur. Accedit denique notitia quædam de
Ethnicis recentioribus, & inprimis de Miſſionariis in terris
gentilium noſtrorum temporum. Atque hæc eſt ſumma Li-
bri

bri præſtantiſſimi, cui non magis laudatione noſtra opus eſſe putamus, quam vino vendibili ſuſpenſa hedera. Temperare tamen nobis non poſſumus, quin Cel. Autori majores virium acceſſiones, plusque otii, ad alia excellentis doctrinæ monumenta in lucem aſpectumque publicum proferenda, etiam atque etiam apprecemur.

DEL TEATRO OLIMPICO DI ANDREA PALLADIO in Vicenza, &c.

h. e.

DE THEATRO OLYMPICO ANDREÆ PALLADII, quod eſt Vicentiæ, Tractatus; Autore Illuſtri Comite JOANNE MONTENARI.

Patavii, apud Jo. Baptiſtam Conzatti, 1733, 8 maj.

Plag. 5½, cum Tabb. æn. 5.

Tanta fuit veteris Italiæ in ædificiis publicis magnificentia, ut vel rudera eorundem, poſt tot Secula ſuperata, Romani Imperii ſtupendam loquantur magnitudinem. Circos præcipue atque Theatra, ſpectaculis populo exhibendis deſtinata, & in multis Italiæ civitatibus adhuc in ruinis ſuis obvia, non minimum ejus rei argumentum præbere, nemo eſt, qui neſciat. Alia tamen, præter hanc, idem confirmandi ratio ex recentiorum Architectorum operibus peti poteſt; qui feliciſſima induſtria antiquorum in ſtruendis ejusmodi molibus prodigioſam prorſus peritiam imitati ſunt. Eminuit inter hos Seculo XVI *Andreas Palladius*, cujus palmarium in arte Architectonica monumentum deſcribendum ſibi ſumſit Ill. Comes *Montenarius*; cujus opera omnibus & Antiquitatis & Architecturæ peritis gratiſſima futura eſt.

Suſcepiſſe ſe, in Operis Dedicatione fatetur, deſcriptionem hanc, ſuaſu *Henrici Biſſari*, Vicentini, Academiæ Olympicæ Præſidis; nec ſine cauſa de egregio hoc urbis

Digitized by Google

patriæ ornamento gloriatur. *Olympici* cognomen nactum eſt Theatrum hocce Vicentinum, ab *Academia Olympica*, quæ, cum a multo tempore Vicentiæ floruerit, privato ſumtu Sociorum ſuorum, inter quos *Palladius* etiam, Architectus celeberrimus, cooptatus erat, exſtrui idem curavit. Primas tamen inter tanti autores operis tenuere extranei Academiæ Socii, qui Jus Civitatis Vicentinæ eo ipſo ſibi acquirere ſuſceperant, & re ipſa acquiſivere: id quod ex Tabulario Reipublicæ ſe didiciſſe ſcribit Autor.

Secutus autem eſt Architectus in exſtruendo tanto ædificio regulas *Vitruvii*, adjutoremque habuit *Jo. Georg. Triſſinum*, Architecturæ non minus peritum, quam Poetam ſui Seculi celebrem. Documenta artis ſuæ antea dederat ille, exſtructo Venetiis Theatro ligneo; quod ex *Georgio Vaſario* in Vita *Taddei & Friderici Zuccherorum*, Pictorum, hauſiſſe ſe, teſtatur Autor. Lapideo autem, ſive marmoreo, urbem patriam ornaturus Theatro, Romani veteris Theatri ideam ſequi, quam Græci antiquioris, maluit: id quod ex comparatione utriusque, a *Vitruvio* inſtituta, ſatis apparet. Abſolutum fuiſſe tantum opus A. 1585, vel exinde patet, quod ex Epiſtola quadam *Antonii Riccoboni*, Profeſſoris Patavini, conſtet, eo anno Oedipum *Sophoclis*, Italice translatum ab *Orſato Juſtiniano*, ab Academicis Olympicis recitatum in eo fuiſſe.

Eo magis autem *Palladii* in tanto opere exſequendo inſigne ingenium fuiſſe apparet, quo majores ipſi difficultates creabat ipſe loci ſitus, cui inædificandum erat Theatrum Olympicum. Ex verbis *Vitruvii Lib. V* [illegible] pronum eſt, circularem prorſus fuiſſe perimetrum, ſive figuram, Theatri Romani. Ipſius autem Vicentini area latitudinem 92 pedum Vicentinorum exæquans, non niſi [illegible] pedum longitudinem habebat. Et, licet obtinerent a Magiſtratu ſuo Academici A. 1582 caſas aliquot vicinas, Theatro addendas, minor tamen manſit Theatri longitudo [illegible] pedibus ipſa latitudine, ita, ut oblongam exinde figuram nanciſceretur. Quanta hinc in omnibus Theatri partibus, diſtan-

diſtantiis, & proportionibus, ex æquo dimetiendis, mutatio neceſſaria fuerit, quilibet, artis Architectonicæ vel mediocriter gnarus, facile perſpicit. Ellipticam igitur figuram obtinuit *Palladii* opus Olympicum, cum circulari ambitu gaviſum ſit quondam Romanum; quemadmodum ex Tabulis æri inciſis I atque II in hoc libello ſatis perſpici poteſt, quarum hæc delineationem Olympici, illa Romani, exhibet nitidiſſimam. Multis rationes utriusque & ſymmetriam artificioſam exponit Autor, quæ apud ipſum legi, quam multis hic commemorari, præſtat.

Hiſtoriam ſcenæ in ſequentibus exponens, a Judæorum feſto, cui a Tabernaculis nomen erat, primas ejusdem origines repetit. Ad Græcos procedens, *Æſchylum* nobilitandæ ſcenæ multam impendiſſe operam, addit, uſum in eo opera *Agatharchi* cujusdam, Architecti celeberrimi; (ex *Vitruv. Lib. VII Præf.*) *Sophoclem* porro ex *Ariſtotele* memorat, qui ad regalem prorſus magnificentiam Theatrum Græcorum deduxiſſe fertur. Græcos itaque magiſtros & inventores ſcenæ ſecutos eſſe Romanos, ita tamen, ut ligneam eam ſtruerent primis temporibus, uti *Auſonius* memorat, ita canens:

Ædilis olim ſcenam tabulatam dabat,
Subito excitatam, nulla mole ſaxea.

Eminuit tamen inter eas a *M. Scauro* ædificata, tantæ capacitatis ſcena, ut octoginta millia ſpectatorum continere poſſet: donec a C. *Curione* ſuperaretur. *Pompeji* demum tempore lapidea facta ſunt Romæ Theatra, *Tacito* teſte.

Deſcriptionem Scenæ aggreditur poſtea Autor, eamque multa accuratione quoad ſingulas partes ita perſecutus eſt, ut nihil facile deſiderari paſſus ſit in eadem. Non enim tantum quinque valvas ejus, ſeu januas, mediam nimirum, regiam dictam, eamque latiſſimam, hoſpitales duas, utrimque ſitas, & reliquas verſurarum itineribus proximas, ex difficilioribus *Vitruvii* locis explicat, quæ intellexiſſe, multum ad Tragicorum Comicorumque, veterum intelligentiam juvabit; verum alia plura, de verſuris ſive machinis, de fronte ſcenæ, ſeu epiſcenio, de proſcenio, quod etiam Pulpitum proſcenii, ſuggeſtus, vel ſcena ſimpliciter, audire nonnunquam ſolet, erudite & curioſe diſputat. Ad per-

Digitized by Google

ſonas ſeu actores delapſus, unde exiverint ſinguli, more antiquorum oſtendit. Porro de Chori Tragici origine, officio, & diviſione, agens, diſpoſitionem perſonarum variam egregio ſchemate oculis exhibet, cantumque ejusdem curatius deſcribit. Ad *Odeum* deinde converſus, quod Athenis *a Pericle* exſtructum fuiſſe legimus, ejus cum Theatro convenientiam & diſcrepantiam exponit; & ad *Orcheſtræ* deſcriptionem progreditur, multaque de Thymelicis, Muſicis Græcorum ſcenicis, non ubique obviis, addit. Ad ſedilia Spectatorum poſtea procedit, & complura antiquorum Scriptorum loca, de caveis, primis, mediis, atque ultimis, & præcinctionibus Theatri, explicat eleganter. Scalas tandem interiores Theatri ſui Olympici explicat, & Tabula æri inciſa oculo ſubjicit. De porticu etiam ſuperiore atque podio, deque loco hujus proprio, multa ex antiquitate erudite diſputat, & contra *Perraltum*, aliter ſentientem, defendit.

Præterimus alia non pauca, quæ, obſervationum more, circa Theatra antiquorum, verſus finem Operis addidit; ſpecimini circa magnitudinem & formam eorum, ſi cum Olympico comparentur. Subjuncti ſunt, præter ſupra dictos, Schematiſmi tres, partim externam Scenæ faciem, partim Amphitheatri formam exteriorem, partim Columnarum Architectonicarum Analyſin, & rationes ornamentorum, exhibens. In fronte Operis *Palladii*, Architecti, imago conſpicitur: nec quidquam omiſſum eſt, quod ad elegantiam & utilitatem libello conciliandam a Lectore vel delicatiſſimo deſiderari poſſit.

ELOGIUM JACOBI HERMANNI, Philoſophi & Mathematici excellentis.

Abiit ad Superos Baſileæ ineunte Menſe Julio anni 1733 Summæ inter eruditos, Mathematicos inprimis, Vir exiſtimationis, *Jacobus Hermannus*. Cujus ut viventis nomen inde a tot annis incomparabili ornamento fuit *Actis* noſtris, ita & mortui memoriam in his Annalibus conſervari, æquum judicamus. [illegible] primum hanc lucem d. 16 Julii A. 1678 Baſileæ, patre [illegible] *Germano Hermanno*, Lycei Baſileenſis Rectore bene merito. Jactis in Academia patria primis elegantiorum [illegible]

rum

rum & Philoſophiæ fundamentis, jam A. 1695 ab Ordine Philoſophorum ejus urbis primos Baccalaurei, tum anno ſubſequenti ſupremos Magiſtri, honores obtinuit. Inde ad Theologiam animum applicuit, magnos in ea ſine dubio facturus progreſſus, niſi altiores in animo ejus radices egiſſet inuſitatus rerum Mathematicarum amor. Nobiliſſimis his ſtudiis totum ſe dedit præeunte Mathematico incomparabili, *Jacobo Bernoulli*, ejusque induſtriæ tam felices habuit ſucceſſus, ut jam A. 1700 eruditam *ad Cl. Viri Bernhardi Nieuwentyt Conſiderationes ſecundas, circa calculi differentialis principia editas, Reſponſionem* (vid. hæc *Acta ad A. 1701 Menſ. Jan. pag. 28*) vulgaverit. Tulit iſte labor, ut aliorum, ita cumprimis Societatis Scientiarum Boruſſicæ, quæ Berolini floret, ſuffragium, quæ, tanti ingenii præſtantia perſpecta, *Hermannum* noſtrum ſibi Socium adſcivit. Præterea aditum ſibi hoc Opere paravit ad magni *Leibnitii*, cujus hic ſtrenue adverſus *Nieuwentytium* cauſam egerat, benevolentiam; cujus commendatione factum, ut a Venetorum Republica demandaretur ei docendæ in Academia Patavina Mathematices provincia. Adminiſtravit hanc ornavitque mirifice ab anno inde 1707 ad 1713, quo, volente ita Rege Boruſſiarum, Patavinam cum Viadrina commutavit. Prælegit hic doctrinam naturalem, ejusque muneris initium fecit Oratione publica, *de duobus in Phyſica teſtibus, omni exceptione majoribus, ratione & experientia*, quæ an prelo ſit commiſſa, nos quidem fugit. Publicavit hic notiſſimum in vulgus Phoronomiæ Opus, (vid. *Acta ad A. 1716 Menſ. Jan. pag. 1*,) eorum, quæ ſunt a Noſtro edita, præclariſſimum omnium eruditiſſimumque. Francofurto *Hermannum* inſignis meritorum & doctrinæ fama A. 1724 in Academiam Scientiarum Petropolitanam vocavit, lautiſſimas conditiones offerente *Petro I*, Ruſſorum Imperatore maximo. Quantum attulerit ad florentiſſimæ illius Academiæ honorem conſilio partim, partim opera & labore ſuo; ſi non aliunde, certe ex *Compendii Matheſeos in uſum Imperatoris Ruſſorum adornati*, & Gallico ſermone ſcripti, *Parte I & III*, Petropoli A. 1728 & 1730 editis, (vid. *Acta ad A. 1728 Menſ. Jul. pag. 289*, & *A. 1731 Menſ. Jan. pag. 29*,)

Digitized by Google

29,) & ex Diſſertationibus compoſitiſſimis, quibus locum dedit in illuſtris hujus Academiæ Commentariis, nemo non intelligit. Orationi, quam coram Imperatrice Ruſſorum, *Catharina*, ſermone Gallico dixit, locus datus eſt in *Novis Literariis*, quæ vernaculo ſermone Lipſiæ prodeunt, *Anni 1725 pag. 732.* Conf. eadem *Nov. Liter. A. 1726 pag. 178.* A. 1726 juſſus erat cum aliis Viris doctis ſecundum ſolennem Conventum Academiæ Scientiarum Imperialis celebriorem reddere Oratione publice recitanda. Delegerat huic argumentum de ortu & progreſſu Geometriæ, Latino ſermone explicandum. Cum vero Cl. *Theophili Sigefridi Bayeri* Oratio Germanica, de Originibus gentis Ruthenæ, maximam temporis partem abſumſiſſet, & ipſa Imperatrix cum comitibus aulicis adeſſet, Latina Oratione non fatiganda, *Hermanni* Oratio dicta non eſt, ſed juſſu Academiæ poſtea prelo ſubjecta. Continet hæc multa haud proletaria momenta, vix alibi ſic obvia, ad Hiſtoriam Geometriæ pertinentia. Non abiit hoc munere ante annum 1731, quo ipſo ſinibus Ruſſorum honorifice, & ſervato ipſi, dum viveret, ducentorum aureorum (*Roubles* vocant) annuo ſtipendio, dimiſſus, ad ſuam Baſileam rediit, & prælegendæ doctrinæ moralis Jurisque Naturalis ſpartam, inde ab anno 1727 a doctore vicario adminiſtratam, ipſe ornandam ſuſcepit. Sed noluere fata diuturnam eſſe hanc felicitatem civibus *Hermanni.* Vix enim biennio exacto, fatali correptus morbo, vitam hanc mortalem cum immortali commutavit. Cujus jacturam non patria tantum, ſed eruditi etiam ad unum omnes, maxime qui Philoſophiam & Mathematicen amant, vehementiſſimo luctu proſequuntur. In Geometria ſublimiori & divina Algebra vix parem ſua ætate unquam habuit. Nec ulla Mathematices univerſæ pars eſt, quam non excellenti ingenio complexus ſit. Magnus præterea in rerum naturalium ſcientia, harumque hiſtoria. Servant incomparabilis hujus doctrinæ æterna monumenta hi Annales noſtri, quos Diſſertationibus & numero multis, & argumenti dignitate præſtantiſſimis, locupletavit, famæ ſuæ his aliquando conſtantiſſimis præconibus uſurus. In his nominari inprimis merentur Demonſtratio geminæ formulæ, a Cel. *Jo. Bernoulli* in *Actis Menſ. April. A. 1701* pro multiſectione anguli, vel

vel arcus circularis, ſine demonſtratione exhibita, (vid. *Acta A. 1703 Menſ. Aug. pag. 345.*) Diſquiſitio dioptrica de curvatura radiorum viſivorum, atmoſphæram trajicientium, cui accedit indefinita Sectio angularis ope Tangentium & Secantium, (vid. *Acta A. 1706 Menſ. Jun. pag. 256.*) Diſſertatio de nova accelerationis lege, qua gravia verſus terram feruntur, ſuppoſitis motu diurno terræ & vi gravitatis conſtanti, (vid. *Acta A. 1709 Menſ. Sept. pag. 404.*) Diſquiſitio de Vibrationibus chordarum tenſarum, (vid. *Acta A. 1716 Menſ. Aug. pag. 370.*) Solutio Problematis de Trajectoriis Curvarum inveniendis, (vid. *Acta A. 1717 Menſ. Aug. pag. 328.*) Ejusdem Solutionis Supplementum, (vid. *Acta A. 1718 Menſ. Jul. pag. 335.*) Additamentum ad easdem Schedas, (vid. *Acta A. 1719 Menſ. Febr. pag. 68.*) Methodus nova ſolvendi Problemata, quæ circa figuras iſoperimetras aliasque proponi poſſunt, (vid. *Acta A. 1718 Menſ. Jan. pag. 32.*) Solutio duorum Problematum, quorum alterum Integrale ex data quadam formula differentiali per areas circulares & hyperbolicas exhibendum poſtulat, alterum vero Curvam projectorum in medio reſiſtenti conſtruendam proponit. (vid. *Acta A. 1719 Menſ. Aug. pag. 351. & A. 1723 Menſ. April. pag. 171.*) Præterea in Diario Eruditorum Italiæ, (*Giornale de' Letterati d' Italia,*) Venetiis olim vulgato, leguntur Diſſertationes ejus variæ, ſermone ſcriptæ Italico, de methodo inveſtigandi orbitas Planetarum, (*Tom. II pag. 447, Tom. V pag. 312, & Tom. VI pag. 441,*) Obſervationes Geometricæ, (*Tom. VII pag. 173,*) & Modus facilis determinandi leges vis centralis (*Tom. XIII pag. 321*). Præterea Diarii literarii (*Journal litteraire*) *Tomo IX* Epiſtolam, *Jo. Keillii* quædam plagia recenſentem, nec non Miſcellaneis Berolinenſibus inſeruit Diſſertationem, qua explicatur *Methodus generalis puncta ſtationum in orbitis planetariis determinandi, Obſervationes* etiam *in Schediaſma* Rollii *de Conſtructione æquationum, Commentariis Academiæ Scientiarum Regiæ Pariſienſis A. 1708 inſertum*, porro *de Quantitate virium recte æſtimanda*, & *de motu corporum in mediis reſiſtentibus*, Schediaſmata, denique *Meditationes Analyticas de Motu ad Phoronomian ſuam.* In Commentariis Academiæ Scientiarum Imperialis Petropolita-

Digitized by Google

næ ab eo elaboratæ Diſſertationes comparuerunt. *Tom. I de Menſura virium corporum, de Problemate Kepleriano, de Calculo Integrali, de Epicycloidibus Sphæricis; Tomi II de Conſtructione cujuſdam Æquationis Differentialis primi gradus; Theoria generalis motuum; de Conſtructione Æquationum Differentialium; Tom. III de Oſcillatione pendulorum compoſitorum.* Meminimus aliquando, cum Lipſiam tranſiret, ab illo audire, ipſum Schediaſmata plura elaborata reliquiſſe Academiæ Petropolitanæ, deinceps edenda, ut de figura telluris, &c. Adhæc *Elementis Geometricis Sereniſſ. Burgundiæ Ducis, a Guiſnæo ex Gallico ſermone in Latinum tranſlatis, ad uſum Seminarii Patavini*, adjecit *quatuor Propoſitiones ad Trigonometriam apprime utiles.* His addimus Epiſtolas ejus nonnullas ad *Victorium Franciſcum Stancarium*, in Bononienſi Archi-Gymnaſio Analytices Lectorem, quæ ſunt cum hujus Schedis Mathematicis conjunctim publicatæ. Nec illud prætereundum, [illegible] editam *Exercitationem de Mechanica Gravitatis cauſa nondum inventa*, aliamque *de Motu Gravium*, quarum illa quarta, hæc quinta eſt inter Exercitationes Subſecivas Francofurtenſes, *Tomi I Sectione I* contentas; itemque ſub ejuſdem *Tomi Sectione II* quartam *de motu chordarum, quibus inſtrumenta muſica inſtrui ſolent, ac ſtabili ſonorum [illegible]*, & ſeptimam *de Legibus virium Centralium, quibus Planetæ in orbitis ſuis urgentur.* Eruditiſſimis his Scriptis facile *Hermannus* noſter meruit, ut A. 1733 in Academia Pariſienſi locum, quem vacuum fecerat Comitis *de Pembrok* obitus, occuparet, ſuffragante & Academia, & ipſo Rege, Academiæ ſupremo Præſide. Ad doctrinam tam excellentem & admirabilem adjunxit morum elegantiam inſignem, carus & civibus, & auditoribus, & ipſis Collegis ſuis, alienæ gloriæ non [illegible] obtrectatione æmulis. Vitam tranſegit non honeſte tantum, ſed ita etiam, ut aliis exemplo eſſe poſſet virtus ejus; finivit placide, pie, ac religioſe.

Prodiit his ipſis diebus *Tomi I Supplementorum ad Nova Eruditorum Acta Sectio XII*, cum *Indicibus & Præfatione in Tomum* univerſum.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXXXV.

BISHOP BURNET'S HISTORY OF HIS own time, &c.

h. e.

GILBERTI BURNETI, EPISCOPI SALISburienſis, Hiſtoriæ ſui temporis Volumen II, a Revolutione ad pacem uſque Ultrajecti, Anna Magnæ Britanniæ imperante, conſtitutam. Addita eſt Vita Autoris ab Editore, THOMA BURNETO.

Londini, ſumtibus Editoris typis impreſſit Joſephus Downing & Henricus Woodward, 1734, fol.

Alph. 8 pl. 2.

Commentariorum, quibus ſuæ ætatis Hiſtoriam complexus eſt *Burnetus*, *Volumen primum* jam olim commendavimus Lectoribus in *Actis A.* 1725 *Menſ. Febr. pag.* 49. Convertimur nunc ad horum *Volumen alterum*, nuperrime demum prelo emiſſum, in quo, quæ ab A. 1689 ad 1713 in univerſa Europa ad poſteritatis memoriam inſignia ſunt geſta, ſummatim exponit, ſingulari autem cura enumerat, quæ in magna Britannia evenerunt. Primum, quæ contigerunt regnantibus *Guilielmo III* & *Maria* in Anglia, a *pag.* 1 ad 138 refert. Tum ad *pag.* 309, quæ poſt mortem *Mariæ*, *Guilielmo III* Rege, evenerunt, tradit. Poſtea, quæ regnante *Anna* geſta

Digitized by Google

ſunt, memoriæ prodit. Nemo horum Magnæ Britanniæ Gubernatorum *Burneti* conſiliis non uſus eſt, &, cum ab anno 1689 Salisburienſis Epiſcopus, &, quod conſequens eſt, Summi Angliæ Senatus, quem *Parlamentum* vocant, Socius, fuerit, publicorum conſiliorum, hoc temporis articulo agitatorum, *Burnetus* ſemper fuit particeps. Res igitur geſtas majoris ponderis atque momenti recenſet, non quas audivit, ſed quas vidit, non quibus interfuit ſolum, ſed quas ipſe nonnunquam egit. Candoris ejus atque ſinceritatis documenta ubivis in hoc *Volumine* reperias. Licet enim forſitan nonnunquam minus recte rationes ſubduxiſſe, & propterea characteres ſummorum Principum atque Virorum, de quibus diſſerit, haud recte expreſſiſſe, nonnullis poſſit videri; nemini tamen, opinamur, jure accuſari poterit, quod data opera fucum fecerit, &, quæ ipſe non credidit, ab aliis credi voluerit.

Noſtrum non eſt, omnem *Burneti* Hiſtoriam hoc loco in compendium mittere; quædam tantum exempli loco commemorabimus, unde Lectori de ratione hujus *Voluminis* conſtare poſſit. Ipſe *Burnetus* illis infenſiſſimus eſt, qui Epiſcopalem, quam vocant, doctrinam unice in Anglia tolerandam, Presbyterianos autem & reliquos diſſentientes e regno expellendos, atque quovis modo vexandos, judicant. Numero multis locis ſuum erga diſſentientes animum benignum declaravit, & peſſimos dixit hominum, qui ob diverſas in religione opiniones ſe invicem perſequuntur. Eodem tamen modo, quo de reliquis diſſentientibus, de Pontificiis doctoribus non judicat. Pontificii doctores, præter ſuam religionem, nullam aliam volunt tolerari: nemo igitur Pontificiorum doctorum tolerationi favere poteſt, niſi ſuam, quam profitetur, religionem velit prodere. Cum Pontificiis non faveret erroribus, *Jacobi II* conſiliis plaudere non poterat. *Guilielmi* igitur *III* & Succeſſorum cauſam ſuam facit. Ex quibus quidem *Burneti* ſententiis judicare potes, e quibus principiis judicia ſint lata, quæ in hoc *Volumine* de ſummis Viris tulit. Ceterum, cum *Burnetus* noſter pietatis ſtudioſiſſimus, & in eleemoſynis erogandis ſolertiſſimus fuerit, iis ſemper plaudit, quos eodem modo comparatos reperit.

Quam

Quam libere *Burnetus* noſter de ſummis Angliæ Gubernatoribus ſentiat, & quam parum illorum taceat nævos, a quorum partibus ſtetit, ſuo de *Guilielmo III* ſatis ſuperque declaravit judicio. Licet enim *Guilielmus III* ſub initium imperii omni ſolertia & cura id egerit, ut civium ſuorum conſuleret commodis, atque in omnes virtutes propenſiſſimum declararit animum, judice tamen *Burneto*, Magnæ Britanniæ regimini par non fuit. Diſſenſiónibus enim, quæ inter duas factiones, quas *Whigs* & *Torries* vocant, ita *Guilielmus III* afflictus eſt, ut utrique diffiſus ſit, &, cui parti ſe confideret, ignorarit. Cumque intelligeret, ſe, quæ in publicum deſtinarat commodum, exequi non poſſe, difficultate deterritus, de felici conſiliorum exitu deſperare cœpit, & omnem curam de regimine miſſam fecit, feliciorem ſe judicans, ſi nunquam ad Magnæ Britanniæ perveniſſet imperium. Illud etiam *Guilielmo III* vitio vertit *Burnetus*, quod minus fuerit affabilis, neque ſciverit verbis ad humanitatem compoſitis Anglorum ſibi devincire animos. Non tamen cuidam animi morbo, ſed adverſæ Regis valetudini, hoc tribuit, quam, dum civibus ſuis celaret, auxit. Pag. 46.

Mariam, *Guilielmi III* conjugem, *Burnetus* ſummis celebrat laudibus. Cum *Guilielmus III* in Anglia eſſet præſens, tam parum Regina ſe declarabat fœminam, qui ſexus nimia plerumque curioſitate laborat, ut publicorum conſiliorum particeps fere nunquam fuerit. Gratia tamen ſingulari atque humanitate eximia omnes ad ſe venientes excepit. Id ſibi præcipue datum eſſe credebat, ut ſummo Numini & publice & privatim cultum præſtaret debitum, marito ſuo placeret, & lectione librorum optimorum atque labore & ſe & viragines ſuas a perverſo vivendi genere, quod in aulis eſſe ſolet, abſtraheret. Pauperibus erogandis eleemoſynis ſe præbuit liberaliſſimam. Cum Rex A. 1690 apud Batavos ageret, rebus gerendis ſe maxime idoneam eſſe declaravit. Imperio enim præfuit, &, licet ex ejus octo Conſilii intimi Sociis quatuor eſſent *Tories* & quatuor *Whigs*, tanta tamen cum prudentia rem ſuam egit, ut omnes in ſui traxerit admirationem. 49.

Annæ, Britanniarum Reginæ, characterem *Burnetus* ſequentibus verbis exprimit; *Nemini*, inquit, *ad ſe præ-* 661.

Digitized by Google

præcludit aditum, ſed omnium vota ſingulari cum gratia audivit. At enim vero tam generalibus reſponſionibus ſatisfacere ſtuduit illis, qui opem ejus implorabant, ut certi eſſe non potuerint, utrum Regina preces exaudiverit, nec ne. Quod cum intelligeret populus Anglicanus, ad ejus Conſilii intimi Socios confugiebat, quos penes, permittente Anna, *arbitrium erat & jus & norma dicendi. Illud etiam gratiam ejus apud populum parum juvit, quod ſolennitatibus, quarum Angli ſunt amantiſſimi, aulam ſuam non reddiderit ſplendidiorem, & quod publice raro apparuerit.*

Sub finem Commentariorum hiſtoricorum a *pag. 633 ad 670 Burnetus* noſter concluſionis loco pia quædam deſideria cum Lectore communicavit. Quæ in rebus Eccleſiaſticis, Politicis, Civilibus, atque etiam Domeſticis, in Anglia in melius mutari poſſe cenſuit, ſingulari cum cura *Burnetus* hic declarat. *Exiſtimo*, inquit, *ob graviſſima, quæ olim ipſe geſſi, negotia, & ob Commentarios hiſtoricos, quos elaboravi, aliquam mihi competere libertatem, publice omnis ſtatus atque conditionis homines alloquendi, & de rebus in melius mutandis cogitata mea cum eis communicandi, præſertim cum poſt obitum meum demum publicata ſint, quando inimicitiæ, invidiæ, atque odio aliorum amplius non ſum expoſitus. Sint igitur hæc deſideria mea loco teſtamenti alicujus, & vim habeant ſermonis morientis, quem legant atque perpendant, cum quibus loqui jam nequeo.*

Singulari cum zelo hæc pia deſideria ſcripta ſunt & inſignis *Burneti* in pietatem & publicum commodum promovendum ſtudii documentum plane ſunt egregium. Exempli loco quædam recenſebimus. Neglectum catechizationis inter Epiſcopales vehementer reprehendit, atque tuetur, inter Diſſentientes majori cum fervore juventutem de rebus ſacris erudiri. Exiſtimat etiam, multos ritus in gratiam Presbyterianorum commode poſſe abrogari. Quare enim, (*Burneti* referimus opinionem,) ſignum crucis in Baptiſmo non poſſet omitti? Quare ſingulares Clericorum habitus non poſſent mutari? Quare in Templis Cathedralibus cantus precum non poſſet omitti? & cui

cui uſui inſervit, quod Orator ſacer & Auditores verſus Pſalmorum *Davidis* alternatim legant? Genua coram altari flecti, licet in ſe nihil mali habeat, nullius tamen eſt uſus. Non permittere, ipſos liberorum, qui baptizantur, parentes in Baptiſmo eſſe ſponſores, & in eorum locum ſubſtituere alios, admodum inconveniens eſt, & multis aperit occaſionem de ſanctiſſimo Baptiſmo perperam judicandi. Ad eleemoſynas quod attinet, *Burnetus* noſter optat, morem illum abrogari, quo unaquæque Parochia e certis reditibus ſuorum pauperum gerit curam. Hæc enim conſuetudo e pauperibus homines efficit ignaviſſimos, qui certi ſunt de ſuis alimentis, quæ jure quodam ab adminiſtratoribus eleemoſynarum in ſua Parochia exigunt. Exiſtimat, illum eleemoſynas erogandi modum eſſe optimum, quo efficitur, ut & pauperum induſtria & eorum reliqua vitæ ratio in cenſum veniat, ubi eleemoſynæ ſunt erogandæ. Batavos igitur Anglis ad exemplum proponit, apud quos pauperes labore atque diligentia divitum benevolentiam provocare oportet. Magis e re eſſe cenſet, unumquemque pauperibus, quos dignos judicat, eleemoſynas ipſum erogare, quam alterius judicio hanc rem præter neceſſitatem relinquere.

Ordo requireret, ut de ipſius *Burneti* vita faceremus verba, de qua Cl. Editor Diſſertationem Commentariis ejus hiſtoricis attexuit. Sed tam multa *Burneti* vita complectitur ſingularia & notatu digniſſima, ut malimus alio loco ex inſtituto de ea diſſerere, quam hic, pauca quædam referendo, Lectores noſtros multarum rerum utiliſſimarum privare notitia.

Sammlung Rußiſcher Geſchichte.

h. e.

COLLECTIO RERUM A RUSSIS GESTARUM.

Pars I, II & III.

Petroburgi, typis Academiæ Imperialis Scientiarum, 1732 & 1733, 8.

Plag. 18.

Multum debemus in rebus Ruſſicis *Sigiſmundo L. B. ab Herberſtein*, *Antonio Poſſevino*, *Paulo Oderbornio*, *Petro Petrejo*, *Jacobo Reutenfelſio*, *Adamo Oleario*, *Auguſtino L. B. a Mayerberg*, *Korbio*, *Bruynio*, *Webero*, aliis. Sed dudum eſt, quod in hac luce literarum, quam a *Petro Magno* ipſi Ruſſiæ illatam novimus, hiſtoriarum ſtudioſi certiora amplioraque ſecum communicari deſiderarunt. Scilicet requiſivimus in antiquis, loco fabellarum, centies e charta in papyrum conjectarum, Scriptores coævos, aut ab iſta ætate propius remotos: in rebus geſtis Czarorum & gentis, non quæ exterorum hominum vel odium in Ruſſos eorumque Principes, vel ob beneficia adulatio, transmiſit ad poſteros; ſed Hiſtoricorum domeſticorum, ab affectibus partiumque ſtudiis, quantum fieri poteſt, alienorum, Annales Commentariosque: in regionum, Reipublicæ, morum, rituumque, deſcriptionibus, non quæ pauci Legati, illorumque Comites, ſermonis Ruſſici fere imperiti, in ſuis a regni finibus Moſcuam, & Moſcua ad regni fines, non ex ſua, ſed Priſtaforum, voluntate, confectis itineribus, ſando dicamus, an fabulando, acceperunt, ſed indigenarum potius, & *αὐτόπτων*, integras juſtasque narrationes; & en! damnamur voti præter ſpem atque opinionem, hoc libello ad nos allato. Quamvis enim eundem auroram rei hiſtoricæ apud Ruſſos cultæ rectius appellaveris, quam ipſam lucem, nulli tamen dubitamus, magis magisque iſtas tenebras depulſum iri, poſtquam ex hoc ſpecimine conſtat, laudatiſſimam Academiam Scientiarum Petropolitanam, poſt alias artes, etiam rei hiſtoricæ patrocinium ſuſcepiſſe. Gratias habemus agimusque maximas erudito Viro, *Gerhardo Friderico Müllero*, Hiſtoriarum in Academia Petropolitana doctori digniſſimo, cujus beneficio hæc ad nos pervenere, majores omnino habituri, ſi in tam pulchro curriculo, quam licebit celerrime, fuerit progreſſus.

Collectionis noſtræ *Pars I quinque Capitibus* abſolvitur. *Caput primum* notitiam continet MSti Codicis Ruſſici, in Bibliotheca Academiæ Scientiarum ſuperſtitis, cui titulus: *Annales, ſive Hiſtoria ſecundum temporum ordinem, Monachi* Theodoſii *in Cœnobio Petſcherano Kievienſi, de Origine Imperii Ruſſici, & Principum, quibus paruit.* Omnium Hiſtoricorum

Ruſſi-

Ruſſicorum, quantum conſtat, hic eſt antiquiſſimus, ingreſſus Monaſterium Petſcheranum, ut ipſe ait, anno ætatis 17, Chriſti 1051, ſuo etiam indicio A. 1116 *Sylveſtri*, Abbatis Cœnobii S. Michaelis Kiovienſis, ſucceſſor, quem ſi ad annum ætatis octogeſimum perveniſſe damus, ille Annales ſuos ad Annum Chriſti 1120 conſcripſiſſe potuit; cui reliqua ad annum 1206 tribui debeant, incertum. Ex hujus Monachi mente, ad Ruſſicum nomen pertinuere *Ruſs*, *Tſchud*, *Murom*, *Mordua*, *Perma*, *Jam*, *Litwa*, *Simegol*, *Kors*, *Setgela*, *Lib*, *Lech*, & *Pruſs*, totidem nempe gentes magnam partem notiſſimæ, ex mente doctiſſimi Editoris in nota ſubjecta, *Ruſſi*, *Fenni*, *Muromenſes*, *Morduini*, *Permii*, *Ingrii*, *Lituani*, *Semgalli*, *Crimenſes*, *Livoni*, *Polani*, & *Pruſſi*, de quorum rebus hic nonnulla narrantur uſque ad *Waregorum* adventum. *Waregi* Ruſſis gentes quæcunque, trans Mare Balthicum habitantes, ipſum Mare Balthicum Ruſſis appellatum *Wareſchkoi-More*, & ingenioſa eſt conjectura doctiſſimi Editoris, qui hæc *Theodoſiana* notulis illuſtravit, eſſe inter vocem Normannicam *Varech*, quæ res fluctibus in littus ejectas denotat, *le droit de Varech*, nobis *das Strand-Recht*, & *Waregi* nomen Ruſſicum cognationem, quod hominem maritimum, trans mare incolentem, mare navibus exercentem, ſignificaſſe videtur. Horum *Waregorum* tres Principes, *Ruricus*, *Sineus*, & *Truworus*, circa annum 861 Ruſſis imperare cœperunt.

Ita pervenimus ad *Caput ſecundum*, quod *Epitome rerum Ruſſicarum ſecundum Chronicon Theodoſianum Kievienſe* inſcribitur. Intra biennii ſpatium amiſit *Ruricus* fratres, Ruſſorum inde Monarcha ad annum uſque 878, ubi noviſſima ſibi inſtare ſentiens, filium impuberem *Igorum* & regnum cognato *Olego* commendavit. *Olegus* regnum egregie tutatus eſt, Kioviam ſedem ſibi conſtituit, *Igoro* puberi virginem Pleſcovienſem, *Olnam*, ſive *Olgam*, in matrimonium dedit, regni tamen habenas ſibi ſervavit, donec *Igorus* poſt *Olegi* mortem A. 913 earum potiretur. Varia & hic bella geſſit cum vicinis, maxime Græcis, Imperium Conſtantinopolitanum tributarium fecit, anno denique 945 a Drewlianis, quos gravioribus vectigalibus onerare inſtituerat, occiſus eſt. Pag. 9.

Hæc

Digitized by Google

Pag. 27. Hæc Ruſſica *Capite tertio* doctiſſimus Epitomes Autor cum
Chronographis Hiſtoricisque Byzantinis confert, &, quam bene
inter utrosque conveniat, oſtendit.

34. *Capite quarto* narratur, quibus ritibus & cerimoniis cum A.
1731 Moſcuæ, tum A. 1732 Petroburgi, Legati *Nairlatu Bogdochani*,
Sinarum Imperatoris, ad Imperatricem Ruſſorum, *Annam Joannewnam*,
acceſſerint, atque iterum diſceſſerint. Res
jucunda nobis viſa, quod in fine *Capitis* relatum legitur, Legatos
Sinicos poſteriores cum Academicis ſua Imperatorisque ſui nomina
charactere Sinico communicaſſe, eadem, cum verſione
Ruſſica & Latina, d. 6 Julii, cum Legati Typographiam Academicam
luſtrarent, non opinantibus e prelo madida fuiſſe oblata,
ut hoc Typographiæ Europææ ſibi haberent ſpecimen.

74. *Caput quintum* pariter ad Hiſtoriam recentiſſimam *Annæ*
Imperatricis pertinet. Prodiit nempe: *Umſtændliche Beſchreibung
der hohen Salbung und Krœnung der Allerdurchlauchtigſten,
Groſsmæchtigſten Fürſtin und groſſen Frauen, Anna Joannowna*,
&c. hoc eſt, Accurata Deſcriptio Unctionis
& Coronationis Sereniſſimæ Potentiſſimæque Principis & Magnæ
Dominæ, *Annæ*, *Joannis* Filiæ, Imperatricis & Autocratoris
totius Ruſſiæ, uti illa d. 28 April. A. 1730 inter
communes Imperii Ruſſici applauſus peracta eſt. Secundum
Avthenticum Ruſſicum in Germanicam linguam
translata, & Figuris æneis exornata. In Burgo S. Petri apud
Academiam Imperialem Scientiarum, 1731, plag. 8, fig. æn.
16, ch. aug. Ruſſicum exemplar Avthenticum Moſcuæ
curæ Conſiliarii Status, *Tatiſchewii*, eſt impreſſum, figuræ
75. ſub oculis Academiæ æri inciſæ, cui etiam interpretatio Germanica
eſt imperata. Hujus Operis vernacula nobis lingua
editi luculenta hic exſtat Epitome.

Parte II hujus Collectionis *Capite primo* Chronici *Theodoſiani*
Kiovienſis compendium continuatur. Cædem Ma-
95. gni Ducis *Igori* Vidua, ejus *Olga*, & Filius, *Swetoslaus*, Drewlianis
ſtratagemate ſuperatis, graviter ulti ſunt. *Olga* in itinere,
ad *Conſtantinum*, *Leonis* Filium, Imperatorem Conſtan-
98. tinopolitanum, ſuſcepto, ad fidem Chriſtianam converſa eſt.
Swetoslaus, poſt felicia bella, ſedem ſuam Perejaslaviam ad Danubium

Digitized by Google

nubium tranſtulit, regno inter filios diviſo. *Jaropolco*, maxi-
mo natu, obvenerat Kiovia, *Olego* Drewliani, *Wladimiro* No-
vagorodia. *Svetoslaus* in itinere in Ruſſiam a Petſchenegis Pag. 102.
occiſus eſt A. 972. Poſt obitum patris diſſidia inter fratres & bel-
la orta. *Olegus* a *Jaropolco* prælio ſuperatus, in fuga periit. *Ja-* 103.
ropolcus poſt bella cum *Wladimiro* per inſidias cæſus eſt. 105.
Wladimirus, Monarcha, cum tandem ambiret nuptias *Anaſta-*
ſiæ, vel *Annæ*, Imperatorum Conſtantinopolitanorum ſororis,
illa autem homini ethnico nubere recuſaret, ſacro lavacro
ablutus per Corſunenſem Epiſcopum, cupitam conjugem a 108.
Græcis obtinuit A. 988. Poſt varia bella, poſt ædes ſacras Kio-
viæ magnis ſumtibus exſtructas, d. 15 Jul. A. 1015 Bereſtowæ,
diſtrictus Kiovienſis, obiit. *Capite ſecundo* Vir doctiſſimus 114.
Res Ruſſicas Seculi X & XI cum *Snorronis Sturleſonii Hiſto-*
ria comparavit. *Capite tertio* noviſſima Chalmyccica conti- 123.
nentur, maxime in Orientali ilius gentis parte, ſub ultimis duo-
bus Contaiſchis, (Contaiſcha Chalmyccis Principem denotat,)
Baſchtuchano & *Erdeno Zuructu*, contigerunt. Debemus hæc
Joanni Unkowskio, *Petri M.* ad iſtam gentem quondam Le-
gato, qui ex ſermonibus unius e Proceribus Chalmyccicis
(*Saiſſanos* appellant,) illa hauſit. Eidem *Unkowskio*, Rerum
Bellicarum nunc primario Commiſſario, debentur, quæ de Chal-
myccorum traditionibus nonnullis, ceremoniis, & ritibus, *Capite* 141.
quarto afferuntur, ex ejusdem Actis illius Legationis diurnis
depromta. *Caput quintum* occupant Leges Pacis Rætſchenſis, 154.
d. 21 Jan. A. 1732 inter *Annam Joannownam*, Ruſſorum Im-
peratricem, & *Tachmaſibum*, Perſarum Schachum, initæ, qua-
rum Articulus II, de Limitibus utriusque Imperii in iſtis regio-
nibus, *Capite ſexto* Annotationibus Geographicis illuſtratur. 164.
Limes hodiernus utriusque gentis eſt flumen Kar, ſive antiquis
celebratiſſimus Cyrus, Κυρος, ſive Κυρρος.

Partis III frontem Epitome iterum exornat Chronici *Theodoſiani*. Poſt *Wladimiri* mortem *Svetopolcus* Kioviæ imperii habenas capeſſebat, multa in populum benevolentia novum firmare cupiens regnum, cujus tamen omnem gratiam amiſerat, fratribus duobus, *Boriſſo* & *Glebo*, miſere trucidatis,

Principibus tanta vitæ innocentia conſpicuis, ut inter Ruſſicæ Eccleſiæ Sanctos referri meruerint. Paria metuebat *Jaroslawus*, frater, Novagorodiæ Princeps, unde bellum civile ancipiti fortuna geſtum. Pulſus *Svetopulcus* ad *Boleslaum*, Poloniæ Regem, confugit, cujus auxilio ſuffultus, A. 1018 *Jaroslawum*, fratrem, magno prælio victum, viciſſim pepulit. Tandem novo prælio, eoque internecino, res deciſa. *Jaroslawus*, licet ægre victor, Imperium Ruſſicum tenuit, *Svetopulcus* victus in
Pag. 184. deſertis Bohemiam inter Poloniamque vitam finivit. Sub hoc demum *Jaroslawo* altitiſſimas radices egerunt Chriſtiana ſacra inter Ruſſos, Kioviam regiam ſibi ſedem, urbem Metropolitanam eſſe juſſit, multis ædificiis, maxime ſacris, eandem ornatiorem reddidit, & tandem A. 1055, regno inter duodecim filios diviſo, ubi tamen potior pars & Kiovia, Imperii caput, natu maximo, *Iſjaslawo*, obtigit, anno ætatis ſeptuageſimo ſexto deceſſit.

194. *Caput ſecundum* agit de Opere rariſſimo: *Noord- en Oost-Tartarye door Nicolaes Witſen.* Vir ſummus, *Nicolaus Witſenius*, qui Amſtelodamenſium Conſul d. 10 Aug. A. 1717 ætatis anno ſeptuageſimo ſeptimo obiit, Belgarum olim apud Ruſſos Legatus, per omnem deinde vitam in eo totus fuit, ut Tartariam, Septentrionem verſus & orientem ſolem ſitam, magnam, ſed parum notam, orbis terrarum portionem, ſua induſtria illuſtraret. Prodiit Geographica illarum regionum Charta A. 1687. Huic Commentarii loco eſſe debebat Opus illud: *Noord- en Ooſt-Tartarye.* Typis etiam excuſum A. 1692, atque iterum A. 1705. Sed, quod illa omnia nondum ſatisfacerent accuratiſſimo Viro, ita preſſit ſuppreſſitque utramque editionem, ut ne amiciſſimis quidem, exſtare Opus, innoteſceret. Sunt in Bibliotheca Petroburgenſi exempla utriusque editionis, quæ res
222. merito impulit Cl. *Müllerum*, ut in *Capite ſecundo*, ut diximus, Operis Hiſtoriam daret, in *Capite* vero *tertio* Indicem Operis locupletiſſimum, ex quo veluti ex ungue diſcere eſt, quam præclara nimia *Witſenii* magni nihil falſi dicendi cupido nos celaverit.

277. Claudit hanc *Partem Capite quarto* Conſpectus Operis, cui titulus: *Commentarii de Rebus Chalmyccicis Libri IV, Autore*

Digitized by Google

tore Gerardo Friderico Müllero. Erit horum *Librorum I* de Hiſtoria Chalmyccica; *II* de Religione Chalmyccica; *III* de Literatura Chalmyccica; *IV* Vitæ & morum gentis deſcriptio. Euge! bonum factum! Quis unquam crediderit? Sacerdos & Politicus Chalmyccus, Legati ad Magnam Ruſſorum Imperatricem, ſuos Libros, ſuos Commentarios, ad ornandam Hiſtoriam patriam, promiſerunt. Nec exiguo uſui erunt *Unkowskiana, Witſeniana, Kyrilowiana,* alia. Nos Cl. *Müllero*, cujus, nos ante aliquot annos inviſentis, eruditionem humanitatemque cognoviſſe cum voluptate recordamur, iter longinquum, quod ante aliquod tempus ingreſſus eſt, etiam literarum cauſa, fortunatiſſimum precamur, &, ſi hæc redux aliquando legat, ut *Res Chalmyccicas* urgeat, ſtudioſe rogamus.

ISTRUZIONE INTORNO ALLE FEBRE, &c.

h. e.

INSTRUCTIO CIRCA FEBRES, SCRIPTA Autore JOANNE DOMINICO SANTORINI, Protomedico Anatomico, dedicata Summo Sanitatis Magiſtratui Venetiarum.

Venetiis, prelo Joannis Baptiſtæ Recurti, 1734, 4.
Plag. 19.

Qui jam ſtudio rei Anatomicæ magnam nominis ſui celebritatem conſecutus eſt Cl. Autor, eo majorem hujus Operis ſui dignitatem fore, certo confidere poteſt, quo luculentiores eſſe ſolent obſervationibus Anatomicis ſuperſtructæ cauſarum morbificarum declarationes. Equidem in arte medica minus verſatis, Chirurgis ſcilicet, qui militum curam ſuſcipiunt, ſe ſcripſiſſe profitetur; verum enim vero, &, ſi qui alii magis exercitati ſunt, invenient de quo Autor gloriari poſſit. Febrium ſigna ex pulſus, cujus differentiæ allegantur, conditione, ex linguæ ariditate, reſpirationisque intenſiore motu, judicantur. Omnium autem febrium generatim conſideratarum cauſa eſt

 ſangui-

Digitized by Google

ſanguinis viſciditas, ex qua, circa vaſorum extremitates hærente, cordis impotentia oritur, ut finem ſuum, ſecretiones, aut excretiones, aſſequi nequeat, nec non totius ſanguinis, ad motus ſui principium regurgitantis, inordinatus circuitus. Ad hæc enim potiſſimum momenta redit, quicquid de viſcedine humorum, a lymphæ defectu exorta, tanquam febrium cauſa, dici poteſt. Pituitæ ortus ille eſt: innatant limpidiſſimo ſanguinis fluido partes diametro minutiſſimæ arteriolæ minores, quamdiu legitima ſolutione in parvitate ſua verſantur; augetur moles, ſi, prapperie ſeri oborta, plures inter ſe coiverint, inde arteriolæ diameter, tranſituris moleculis, minor non admittit ſanguinem ſic formatum, inde febres inter ſe diverſæ pro pituitæ quantitate, qualitate, & obſtructionis intra vas capillare modo. Hæc cauſæ morbificæ varia modificatio febres alias periodicas, alias acutas, chronicas alias, efficit. Periodicæ, quæ typum exercent ſunt, intermittentes, remittentes, & pernicioſæ, qui terminus haud ita pridem Medicorum ſcholis recens illatus eſt, ejusdem cum febre erratica incerti ordinis, ſed malignaſcente ſignificatu. Acutarum febrium familia ſimplices benignas, acutas vehementes, malignas puta & inflammatorias, ſub ſe comprehendit. Chronicæ autem ſeroſæ ſunt, ſcirrhoſæ, & ulceroſæ. De ſingulis ſpeciatim monet: Periodicæ intermittentes quotidianæ ſunt ſenibus periculoſæ, hieme potiſſimum ingruentes pulſu minuto, tardo, urina, diſcolore, alba. Tertiana modo ſimplex eſt, modo compoſita, nunc intermittens, nunc continua, jam legitima, jam ſpuria. Tertiana continens ea eſt, quæ medio tempore, quo paroxyſmi alterni ſunt, dolore ſtomachi, capitis, ſudoribus, lipothymiis, quibus ardens eſſe videri poſſet, ægrum affligit, de quibus, tum etiam de aliis intermittentibus, ſignum ſalubre eſt anticipare paroxyſmos, inſalubre, aut conſtare, aut poſtponere. Tertianæ duplices eodem die bis increbreſcunt; tertianæ continuæ plerumque ſunt duplicatæ. Quartana reliquis omnibus diuturnior, ſed boni nominis variorumque malorum debellatrix; quodſi tamen pertinax fuerit, viſcerum, maxime vero lienis, tumores ſocios habet. Periodicæ remittentes claræ aliæ ſunt, aliæ vero obſcu-

ræ.

ræ. Claras appellat Autor, quarum luculentum principium & acceſſus ſenſibilis, incrementum etiam & decrementum, facile cognoſcendum; obſcuras, quæ, non advertente ægro, & ſibi male eſſe, nondum profeſſo, jam aliquo tempore durant, remittunt etiam, ægro præter corporis atrophiam vireſque minus conſtantes nihil conqueſto, inde de novo inſultant, novam ſe febrem mentientes, cum prima illa ſit. Hecticæ ſunt illæ. Pernicioſæ ex periodicis illæ ſunt, ſed peſſimæ notæ, quæ ex tertianis in duplicatas, ex duplicatis in continuas, denique in malignas, atrocibus ſymptomatibus, vomitionibus, lipothymiis, ſtipatas, degenerant, ex quarum ordine ſunt, Hemitriteæ, Leipyriæ, ſyncopales, & cardialgicæ, antiquorum. Acutæ febres brevi ſpatio decurrunt, & pro ſymptomatum gravitate, aut periculi metu, modo ſimplices benignæ ſunt, modo vehementes & malignæ, modo denique inflammatoriæ. Simplices, ſi unius diei, Ephemera, ſi quatuor ad ſummum ſpatio decurrunt, Synochos audiunt. Sunt tamen ex iſthac acutarum claſſe, quæ vel tertianis duplicatis, vel iisdem continuis, accenſeri merentur, ſicut jam declaratum, intermittentes continuas cum ardentibus acutis facile confundi. Acutæ vehementes, ob ſymptomatum atrociam & imminens vitæ periculum ſic dictæ, varios habeat malignitatis gradus, ſed vix determinandos, ſicut & acutæ ſimplices aliqua ſui parte malignitatem haud raro induunt, aut in vehementes degenerant. Has ſi quis apte & convenienter ab inflammatoriis acutis diſtinguere velit, attendat in illis, incerto loco & undique ſanguinis motum retardatum fieri, in his vero fixum quendam allegari poſſe locum, in quo ſanguinis grumeſcentia cum inflammatione graſſari ſuſceperit. Inflammatoriæ iſtæ medio modo ſeſe habent inter acutas & vehementes, & utrinque participant. Sunt autem ſanguinis in inflammatoriis iſtiusmodi variæ affectiones. Aut enim retardatur, aut ſubſiſtit, aut denique grumeſcit. Tribus iſtis motus vitiis aliquid ſeparati vere ineſt, in quibus rite dijudicandis partim ad grumi intenſiorem gradum, partim ad partium teneritatem, reſpiciendum eſt. Addendum, & hoc modo febrem eſſe ſymptomata inflammationis, modo febrem præcedere, ſub-

Digitized by Google

ſequi inflammationem. Inde inflammatoriæ aliæ ſunt eſſentiales, aliæ ſymptomaticæ, aliæ internas, aliæ externas, aliæ utrasque invadunt corporis humani partes, hoc modo inter ſe differunt, omnes exanthematicæ, quæ aliquando, prout Eriſipelas capitis etiam nobiliora viſcera in conſenſum trahunt, internorum viſcerum inflammatoriæ haud raro in chronicas ulceroſas mutantur. Chronicæ febres, vehementia in acceſſu, gravitate ſymptomatum in progreſſu, & durationis mora, aut incerti termini fine, a reliquis omnibus diſcrepant. Ex his aliæ ſunt ſeroſæ, quarum ſcilicet cauſa morbifica in humoribus hæret, quas Cl. Autor in cachecticas, ſcorbuticas, & celticas, (videtur enim Gallos, Italiæ tyrannos, offendere noluiſſe, quando morbum teterrimum conſueto morbi gallici nomine privet,) denuo ſubdividit. Scirrhoſæ febres ſunt, quæ viſcus quodpiam nobilius, maxime vero glandulas, obſtructas habent, aut prægreſſas, aut concomitantes, aut ſubſequentes. Ulceroſæ, a prægreſſa inflammatoria ortæ, apoſtemati partis vel internæ, vel externæ, vel utriusque ſimul, accidunt. *Altera* nobiliſſimi Operis *Pars* curam febrium pro diverſitate cauſarum diverſiſſimam ſuppeditat, cujus medelæ quamvis pauciores fontes ſuppeditet, eosdem tamen puriſſimos indicat & maxime defæcatos. Quotidianarum anchora ſacra ſunt Emetica, ſubſequentibus aromaticis incidentibus, ammoniacalibus, cum China Chinæ uſu junctis. Eadem remedia tertianam profligant, quibus tamen Sal amarum Anglicum itidem haud male convenit: Specificum in una quotidianarum ipſi eſt: Radix Bryoniæ, vino macerata addito Salis marini tantilli, quo vim ejus vomitoriam infringi arbitratur. Intermittentes continuæ, tertianæ duplicatæ, aut pernicioſæ, dictæ, venæſectionem, non omiſſo tamen Corticis peruviani uſu, imperant, interſperſis ſudorificis & anodynis, qualia ſunt Diaſcordium Fracaſtorii & Theriacales formulæ ipſi conſuetæ: veſicatoria & frigidæ potus pro exigenda neceſſitate admittuntur. Vehementes dictæ ſudorificis curantur, itidemque venæſectione, veſicatoriis, clyſteribus, diæta cibi, aquæ potu. Chronicarum panacea eſt vomitorium, quo ſubſequentis curæ uſus luculentior eſſe poſſit, ſcorbu-

ſcorbuticæ ſero Lactis chalybeati infringuntur. Celticum malum Elleboro, Colocynthide, antimonio crudo, & mercurialibus, aſſuevit. Scirrhoſæ omnis generis aperientia poſtulant. Accedit Pharmacorum catalogus, qui cum totius Libri, Practico apprime neceſſarii, doctrina comparatus, Autori famæ augmentum, ægris certam ſalutem, pollicetur.

DELL' ARITMETICA COMUNE E SPECIOſa Trattato, &c.

h. e.

DE ARITHMETICA COMMUNI ET SPECIOſa Tractatus FRANCISCI XAVERII BRUNETTI, Sacrario Pontif. Max. Clementis XII præfecti: dedicatus. Eminentiſſ. Cardinali, NERIO CORSINI.

Romæ, apud Roccum Barnabum, 1731, 4.

Alph. 1 pl. 11, cum Tabb. æn. 2.

Non quidem alius hujus Libri ſcopus eſt, quam ut introductionis loco ſit, ad legenda atque intelligenda præſtantiſſima recentiorum Autorum ſcripta Arithmetica & analytica; ſed fatendum tamen eſt, ſingularem in eo elaborando operam collocaſſe Doctiſſ. *Brunettum.* Nam non ſolum exquiſitiſſimis, ex variis diſciplinis, utitur exemplis, ad regulas ſuas illuſtrandas, & paſſim de inventionibus inventoribusque præcipuorum theorematum mentionem facit, ſed & integras addit tractationes, curioſas, jucundas, atque utiles, quas in aliis hujus generis libris fruſtra quæſiveris. Totum Opus diviſum eſt in *Partes duas.* Quarum *prior quinque* abſolvitur *Capitibus*, in complures Articulos denuo diſtributis, quæ ad Arithmeticam communem pertinent. *Capite primo* de vulgaribus Arithmetices ſpeciebus, de extrahendis radicibus quadratis & cubicis, & de calculo rabdologico *Nepperiano*, agitur; *Capite altero* de fractionibus; *Capite tertio* de algorithmo decimali,

&

& de methodo computandi, ope lapillorum, ſive calculorum, proprie ſic dictorum; *Capite quarto* de proportionibus, cum ſimplicibus, tum compoſitis, Arithmeticis, Geometricis, & harmonicis, de regula trium directa & inverſa, de regula ſocietatis, de regula compoſita, de regula falſi, tam ſimplici, quam duplicata, & de applicatione operationum Arithmeticarum ad quantitates continuas, ſive Geometricas; *Capite quinto* denique de computo Eccleſiaſtico, de feſto Paſchali, de cyclis & periodis Chronologicis, de Calendario, & ejus reformatione *Gregoriana*. Sequitur *Pars altera*, in qua Arithmeticam ſpecioſam Cl. Autor *ſex Capitibus* pertractat. *Capite primo* generatim de Algebra diſſerit, deinde de calculo quantitatum ſimplicium & affectarum, ſive incommenſurabilium, itemque de ſignis poſitivis & negativis, & de quantitatibus imaginariis; *Capite altero* de reductione æquationum tam primi, quam ſecundi, & cujusvis altioris gradus, de Problematibus indeterminatis, & de applicatione hujus calculi ad Phyſicam & Geometriam; *Capite tertio* de progreſſionibus Arithmeticis & Geometricis, de formatione potentiarum, de ſeriebus infinitis, de infinite parvis, de ſeriebus numerorum figuratorum, & de methodo applicandi ſeries ad Geometriam; *Capite quarto* de calculo logarithmico, de ſinibus, tangentibus, & ſecantibus, de trigonometria, & de uſu calculi analytici trigonometrici in Problematibus Geometricis; *Capite quinto* de combinationibus & permutationibus, & de applicando illo calculo ad ſcientiam ludorum; *Capite ſexto* denique & poſtremo de calculo differentiali & integrali. Atque hæc de ordine & inſtituto Autoris dicta ſufficiant.

DE NOVA QUADAM FACILI DELINEATU Trajectoria, & de Methodis, huc ſpectantibus, Diſſertatiuncula; Autore SAMUELE KOENIG.

Accidit aliquando caſu fortuito, ut ante oculos meos ſuper menſa horizontaliter poſita corpus promoveretur, cui aliud

aliud filo connexum, de menſa terram pendebat. Cum viderem, corpus, ſuper menſa promotum, non recto tramite procedere, ſed inde depulſum, per viam curvilineam abire; captum novitate Problematis, a natura quaſi oblati, inceſſit animum cupido, detegendi hujus viæ naturam, inprimis cum a ſummo Viro, *Jo. Bernoullio*, ad quem detuli, illud haud quaquam ſperni intelligerem, ſed dignum judicari, in quo & ſuas methodos (haud ſane fruſtra) experiretur.

Si olim Trajectoria, quia facili motu delineari poteſt, *Hugenii* poterat in ſe convertere ſtudium, eodem nomine ſe hæc Trajectoria commendare poterit Geometris; nam ductu & faciliori, & certiori, quam illa Trajectoria *Hugeniana* deſcribi poteſt. Sed eſt tamen aliud quiddam, non figura, quod me permovit, ut de hoc negotio ſcribere inſtituerem. Concinnæ ac expeditæ methodi, ad rite pertractanda hujus generis Problemata, non in multorum poteſtate ſunt, cum tamen, hoc fieri, interſit rei mathematicæ. Cum itaque mirifice hujusmodi viæ hoc exemplo doceri queant atque illuſtrari, optimo jure hoc Problema, ſibi a me hanc operam dari, flagitare videbatur.

Dabo itaque ejus ſolutionem duplicem, per Methodum ſcilicet Virium vivarum æque, ac per principia Dynamica recepta, exemplo conſummatiſſimi Mathematici, *Jo. Bernoullii*, qui ſuas ſolutiones ſemper duplici Methodo confirmat; quo ſimul ipſi Methodo Virium vivarum haud exigua accedit autoritas.

Problema.

Corpus A, alligatum funiculo AC, ſuperincumbat plano horizontali, trajiciatur autem altera extremitas hujus funis per foramen C, quo hoc planum perforatum eſt. Ibique ſub plano alligetur huic funi aliud corpus B. Quo facto, projiciatur corpus A, data quadam velocitate, ſecundum rectam AH, perpendicularem ad funem AC. Indagetur natura curvæ AMm, quam deſcribet corpus A, dum continuo niſu corporis gravis B jugiter a Tangente deflectitur.

Solutio per Vires vivas.

Dicatur longitudo funis $CA = a$; applicata ducta ex centro C ad locum M, in quo jam corpus verſatur $= x$, & erit Artic. I.

 $CB = a - x$.

TAB. V Fig. 1. $CB = a - x$. Dicatur velocitas, qua fertur corpus A, quando pervenit in $M = V$, velocitas autem, qua corpus projicitur ſecundum tangentem $AH = f$. Velocitas, quam habet corpus $B = u$, & velocitas, quam corpus B libere cadendo ex altitudine BC aquirere potuiſſet $= c$. Dicatur elementum curvæ $Mm = ds$, $Rm = dy$, $MR = dx$. Maſſæ autem dicantur A & B.

Artic. II. Quia vis viva conſervari debet, illaque menſuratur per quadratum velocitatis ductum in maſſam; vis viva, quæ ineſt corpori A, dum velocitate f ſecundum tangentem AH projicitur, una cum vi viva, quam acquirere potuiſſet, corpus B, libere cadendo ex altitudine BC, æqualis eſſe debet vi vivæ, quæ ineſt corporibus A & B, ita connexis; adeoque habetur hæc æquatio $ffA + ccB = V^2 A + uuB$.

III. Sed, quia elementa $Mm = ds$ & $Bb = MR = dx$ æqualibus temporibus percurruntur, velocitates corporum erunt, ut hæc Elementa, ſc. $ds : dx :: V : u$, adeoque $uu = \frac{V^2 dx^2}{ds^2}$. Et, ſubſtituendo hunc valorem in æquationem præcedentem, riteque illam reducendo, prodibit tandem $VV = \frac{(ffA + ccB) ds^2}{A ds^2 + B dx^2}$.

IV. Conſtat autem ex notiſſimo illo Theoremate *Newtoniano* Velocitates corporis in Trajectoria eſſe in ratione inverſa ex centro virium perpendiculariter ductarum ad tangentem. Eſt autem hac perpendiculari $CP = \frac{x dy}{ds}$, adeoque vi Theorematis erit $f : V :: \frac{1}{a}$ (nam in A ipſa CA ad tangentem perpendicularis eſt) $: \frac{ds}{x dy}$. Conſequenter erit $V = \frac{f a ds}{x dy}$ & $VV = \frac{ff a a ds^2}{x x dy^2}$.

V. Sed paulo ante jam inveneramus $VV = \frac{(ffA + ccB) ds^2}{A ds^2 + B dx^2}$, adeoque, æquando hos duos valores, habetur hæc æquatio

tio

Digitized by Google

Digitized by Google

TAB. V ad Nov. Act. Erud. A. 1735 Menſ. Septemb. pag. 402. 407

Fig. I.





Fig. IV.



Fig. II






Fig. III.

Digitized by Google

$\frac{ffaads^2}{xxdy^2} = \frac{(ffA+ccB)ds^2}{Ads^2+Bdx^2}$. Quæ rite reducta, poſitoque pro ds^2 Valorem dx^2+dy^2, dabit hanc $dy^2 = \frac{ffaadx^2(A+B)}{Affxx+Bccxx-Affaa}$.

Quia autem c deſignat velocitatem, quam grave libere cadendo ex altitudine $CB = a - x$, acquireret, erit ex formulis Dynamicis $cc = 2g.\overline{a-x}$. (g deſignat gravitatem naturalem.) Ponatur, ſimili modo velocitatem f acquiri lapſu libero gravis ex altitudine b, & erit ex iisdem formulis $ff = 2gb$, quibus valoribus in æquationem præcedentem ſubſtitutis, naſcetur tandem hæc finalis, naturam curvæ quæſitam declarans $dy^2 = \frac{baa(A+B)}{Abxx+Baxx-Bx^3-Abaa}$. Artic. VI.

Sequitur jam Solutio ejusdem Problematis per principia Dynamica, præmiſſo tantum hoc Lemmate.

Lemma.

In omni curva, cujus applicatæ ex centro ducuntur, radius oſculi (quem dicam R,) ſemper eſt $= xdx : diff.\left(\frac{xdy}{ds}\right)$. VII.

Demonſtratio.

Ducatur tangens mP, & alia infinita propinqua Mp. Demittantur ad illas perpendiculares cP, Cp. Ob triangula ſimilia MmR, MCP habetur $mp = \frac{xdx}{ds}$, & $CP = \frac{xdy}{ds}$, adeoque Pp ejus differentiale $= diff.\left(\frac{xdy}{ds}\right)$. Sed triangula Pmp, mLM ſunt ſimilia, ut attendenti facile patebit, adeoque hæc analogia locum habet. $Pp : Pm = Mm : ML$. i. e. $diff.\left(\frac{xdy}{ds}\right) : \left(\frac{xdx}{ds}\right) = ds : \frac{xdx}{diff.\left(\frac{xdy}{ds}\right)} = ML$, ſeu radio oſculi. Q. E. D.

 Scho-

Scholion.

Poſſem hanc quantitatem $\frac{xdy}{ds}$ actu differentiare, ſed malo differentiationem tantum indigitare, ob inſignem commoditatem, quæ integraturo inde redit, ut ſtatim manifeſtum fiet.

Artic. VIII. Hoc Lemmate conſtituto, ipſum Problema, retentis omnibus denominationibus, quemadmodum illas (Artic. I) aſſumſimus, hunc in modum ſolvi poteſt.

Cum elementum Mm, quod a corpore A velocitate V percurritur, ſit particula circuli, radio oſculi ML deſcripti, erit illa vis, quæ corpus normaliter ad curvam urget $= \frac{VVA}{R}$. Et hæc vis proportionalis eſt lineolæ MS, inter hoc curvæ elementum & tangentem interceptæ, uti notum eſt. Hinc jam inveniri poteſt vis centralis, agens in directione radii vectoris MC, inſtituendo hanc analogiam.

$$MS : Mn = \text{ſive } mR\,(dy) : Mm\,(ds) : \frac{VVA}{R} = \frac{VVAds}{Rdy}.$$

Adeoque $\frac{VVAds}{Rdy}$ eſt illa vis centripeta, quæ ſemper in directione radii vectoris requiritur, quo corpus in hac curva maneat. Sed vidimus jam in præcedente Solutione (Artic. IV), VV æquale eſſe ipſi $\frac{ffaads^2}{xxdy^2}$, adeoque, ſubſtituto hoc valore, erit hæc vis centralis $= \frac{Affaads^3}{Rxxdy^3}$. Sed per Lemma $R = xdx : \text{diff.}\left(\frac{xdy}{ds}\right)$. Adeoque erit $(Affaads^3) : Rxxdy^3$

$$= \frac{Affaads^3.\,\text{diff.}\left(\frac{xdy}{ds}\right)}{dx.\,x^3dy^3} = \frac{Affaa.\,\text{diff.}\left(\frac{xdy}{ds}\right)}{dx.\left(\frac{xdy}{ds}\right)^3}.$$ Quia in

hac

hac fractione denominator eſt potentia integralis numeratoris, quantitas hæc integrari poteſt. Integretur itaque, & deinde indigitetur potius differentiatio, & induet expreſſio vis centripetæ hanc formam, $-\frac{Affaa}{2dx}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$.

Cum autem in hoc caſu tenſio funis corpus A in orbita ſua retineat, erit hæc tenſio $= -\frac{Affaa}{2dx}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$, adeoque hac vi corpus B etiam retrahitur: nam tenſio ſe exſerit hinc inde æqualiter. Conſequenter vis motrix, qua corpus B ad deſcenſum animatur, erit differentia harum virium motricium ſc. $= gB + \frac{Affaa}{2dx}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$, & vis acceleratrix erit (dividendo ſc. per maſſam B) $= g + \frac{Affaa}{2dx.B}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$, (ſeu ponendo $2gh$ pro ff,) $= g + \frac{gAhaa}{dx.B}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$. Multiplicetur hæc vis acceleratrix per elementum ſpatioli $Bb = -dx$, (nam $CB = a - x$, adeoque $Bb = -dx$), & erit $udu = -gdx - \frac{gAhaa}{B}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$, &, integrando & addendo conſtantem C, erit $\frac{1}{2}uu = -gx - \frac{gAhaads^2}{xxdy^2} + C$. Ut determinetur hæc conſtans C, cogitandum, ab initio deſcenſus corporis B, quando $u = o$, x æquale fieri a, & $dy = ds$, adeoque erit in illo caſu $-ga - \frac{gAh}{B} + C = o$, conſequenter $C = ga + \frac{gAh}{B}$. Et ita æquatio inventa & rectificata hæc erit $uu = 2g.(a-x) + \left(1 - \frac{aads}{xxdy^2}\right)\frac{gAh}{B}$. Adeoque

Artic. IX.

que $VV = 2g.\overline{a-x} + 2\left(1 - \frac{aads^2}{xxdy^2}\right)\frac{gAb}{B}.\frac{ds^2}{dx^2}$. (Artic. III):

Artic. X. Sed vidimus (Artic. IV), idem $VV =$ eſſe $\frac{ffaads^2}{xxdy^2} = \frac{2gbaads^2}{xxdy^2}$, (ponendo pro ff, $2gb$). Adeoque, æquando hos valores, prodibit hæc, $\overline{2g.\overline{a-x} + 2\left(1 - \frac{aads^2}{xxdy^2}\right)\frac{gAb}{B}.\frac{ds^2}{dx^2}} = \frac{2gbaads^2}{xxdy^2}$; multiplicando duo membra per $Bxxdy^2$, & dividendo illa per $2gds^2$, habebimus hanc, $Baxxdy^2 - Bx^3dy^2 + Abxxdy^2 - Abaads^2 = Bbaadx^2$; & ſubſtituto loco ds^2 valore ejus $dx^2 + dy^2$, ac, æquatione dein rite reducta, invenietur

$$dy^2 = \frac{baadx^2.\overline{B+A}}{Abxx + Baxx - Bx^3 - Abaa}$$, prorſus uti Artic. VI invenimus.

Corollarium I.

XI. Velocitas corporis A, in quovis curvæ puncto, jam ſine negotio determinari poteſt. Vidimus $VV = \frac{2gbaads^2}{xxdy^2}$. Habuimus etiam Articulo X hanc æquationem $Baxxdy^2 - Bx^3dy^2 + Abxxdy^2 - Abaads^2 = Bbaadx^2$, quæ abibit in hanc, ponendo pro dx^2, potius $ds^2 - dy^2$, illamque reducendo; $(Baxx - Bx^3 + Abxx + Bbaa)dy^2 = (Bbaa + Abaa)ds^2 = baads^2(A+B)$, adeoque $\frac{baads^2}{dy^2} = \frac{Baxx + Abxx - Bx^3 + Bbaa}{A+B}$, &, multiplicando ambas æquationes per $\frac{2g}{xx}$, habetur $\frac{2gbaads^2}{xxdy^2}$

$$= VV = 2g\left(Ba + Ab - Bx + \frac{Bbaa}{xx}\right) : A+B.$$

Corolla-

Digitized by Google

Corollarium II.

Eodem modo tenſio funis, ſeu Vis centripeta haberi poteſt. Artic. XII.

Invenimus illam ſupra Art. VI $= -\frac{gAbaa}{dx}\,diff.\,\frac{ds^2}{xxdy^2}$.

Sed $-\frac{gAbaads^2}{xxdy^2} = \frac{gA}{A+B}\cdot\left(-Ab-Ba+Bx-\frac{Bbaa}{xx}\right)$.

Adeoque $-\frac{gAbaa}{dx}\,diff.\,\frac{ds^2}{xxdy^2} = \frac{gA}{(A+B)dx}\cdot\times\cdot\,Diff.\left(-Ab-Ba+Bx-\frac{Bbaa}{xx}\right) = \frac{gA}{(A+B)dx}\cdot\times\cdot\,\frac{Bdx+2Bbaadx}{x^3}$, &, actu multiplicando, habetur tenſio funis quæſita $= \frac{gAB}{A+B}\left(1+\frac{2baa}{x^3}\right)$.

Hinc jam facile haberi poteſt Solutio ſequentis Problematis, haud quoque injucundi.

Problema.

Habeant ſe plane omnia, ut in Problemate præcedente, excepto eo, quod corpus *B*, non jam verticaliter, ut ante, ſed ſuper curva *CBL*, deſcendat, cujus natura datur, poſtulo naturam curvæ *MmT*, quam corpus *A* ſuo delineabit curſu. TAB. V Fig. 2.

Solutio.

Retineantur omnes linearum denominationes, prout illas ante primo deſignavimus, additis adhuc inſuper his, $Bb = dr$, $BK = t$, conſequenter $bk = dt$. Artic. XIII.

Corpus *A* a tenſione funis in curva *AmT* retinetur, ſed hæc vis ſeu tenſio funis $= -\frac{gAbaa}{dx}\,diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$, (Artic. VI).

Adeoque hac vi etiam retrahitur corpus *B* in directione funis *BC*. Decomponatur hæc vis in duas alias *CP* & *BP*, quarum

rum quidem prior CP, ad tangentem BP normalis, ab illa gravitatis parte, quæ corpus ad curvam CBL adigit, deſtruitur; altera vero BP directe contraria eſt vi motrici corporis B, a gravitate oriundæ, ſecundum directionem tangentis Pb. Deſignetur gravitas per lineam BN, & decomponatur in duas alias Bn & Nn, quarum altera Nn ad curvam normalis eſt, altera autem Bn tangenti parallela ob Triangula BbK, BNn ſimilia, erit $Bb : bk :: BN : Bn$,

i. e. $dr : dt :: Bg : \frac{gBdt}{dr} = Bn$, ſeu vi motrici corporis B ſecundum tangentem, a gravitate ſola oriundæ.

Decomponatur ſimili modo tenſio funis expreſſa per BC, ſeu illa vis, qua corpus B, ſecundum directionem BC, retrahitur, ponendo $BC : BP :: Bb :: be$, i. e. $dr : -dx ::$ $-\frac{gAbaa}{dx}\, diff.\left(\frac{ds^2}{x^2dy^2}\right) : \frac{gAbaa}{dr}\, diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right) = BP.$ Adeoque vis motrix in directione tangentis, qua corpus B animatur $= \frac{gBdt}{dr} - \frac{gAbaa}{dr}\, diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$. Et $udu =$

$$\overline{\frac{gBdt}{dr} - \frac{gAbaa}{dr}\, diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)} . \frac{dr}{B} = gdt - \frac{gAbaa}{B}$$

$diff.\left(\frac{ds^2}{xxdy^2}\right)$. Conſequenter, integrando & æquationem, ut jam ante factum eſt, rectificando, prodibit $\frac{1}{2}uu = gBt + \frac{gAb}{B} - \frac{gAbaads^2}{Bxxdy^2}$. Sed, quia ſpatiola dr, ds, eodem tempore percurruntur, erit $uu : VV :: dr^2 : ds^2$, hinc jam haberi poteſt $VV = 2\left(gBt + \frac{gAb}{B} - \frac{gAbaads^2}{Bxxdy^2}\right)\frac{ds^2}{dr^2}$. Sed idem

$VV =$

Digitized by Google

$VV = \frac{2gbaads^2}{xxdy^2}$, adeoque, æquando hos valores, dividendo per ds^2, facile habetur hæc, quæ naturam curvæ exprimit, ſcilicet $Btxxdy^2 - Abaads^2 - Abxxdy^2 = Bbaadr^2$.

Hinc jam ſine negotio aliud Problema ſolvi poteſt, cujus ſolutio difficilior videri poterat. Quod ſcilicet poſtulat, ut data natura curvæ deſcribendæ AML, inveniatur curva CBb, ſuper qua corpus B deſcendens; alterum corpus A per hanc viam datam curvilineam ducat.

Solutio.

Quia curva AMm datur, in qua corpus A retinetur, vi directa verſus datum virium centrum C, etiam hæc vis datur. Nam, data orbita, in qua corpus moveri debet, & dato centro virium, etiam datur vis centralis, quæ corpus in hac orbita retinere poteſt. Dicatur hæc vis centripeta ϕ; per ϕ intelligo functionem ex indeterminata x & conſtantibus. Adeoque, quia omnis vis centralis a tenſione funis oritur, erit hæc tenſio funis $= \phi$. Et, inſiſtendo veſtigiis analogiæ, Artic. XIII expoſitæ, invenietur vis, quæ corpus B retrahit, ſecundum tangentem $Bb = \frac{-\phi dx}{dr}$. Adeoque vis motrix corporis $B = \frac{gBdt}{dr} + \frac{\phi dx}{dr}$, ejusque vis acceleratrix $= \frac{gdt}{dr} + \frac{\phi dx}{Bdr}$. Conſequenter $udu = gdt + \frac{\phi dx}{B}$, & integrando $\frac{1}{2}uu = gt + \int \frac{\phi dx}{B}$, & $uu = 2gt + \frac{2}{B}\int\phi dx$, adeoque (Artic. III) $VV = \left(2gt + \frac{2}{B}\int\phi dx\right)\frac{ds^2}{dr^2}$. Sed,

 quia

quia uu, etiam $= \frac{2gbaads^2}{xxdy^2}$, habetur hæc æquatio

$$xxdy^2\left(gt + \frac{1}{B}\int\phi dx\right) = gbaadr^2.$$

Sed ex hac æquatione eliminandum adhuc eſt dy^2, quod quo pacto commode fieri queat, quoque oſtendendum. Dicimus vim centripetam, qua corpus A in ſua orbita retinetur $= \phi$. Repræſentetur hæc vis per MC, & decomponatur in duas Cl & Ml. Quarum altera Cl ad tangentem perpendicularis conatum corporis centrifugum retundit, altera autem Ml, utpote tangenti parallela, corpus accelerat. Quia itaque Triangula MCL, MmR ſimilia ſunt, habetur $ML = \frac{\phi dx}{ds}$. Conſequenter vis acceleratrix corporis A ſecundum tangentem $= \frac{\phi dx}{Ads}$. Et ſic $VdV = \frac{\phi dx ds}{Ads} = \frac{\phi dx}{A}$, & integrando $\frac{1}{2}VV = \frac{1}{A}\int\phi dx$; ſed denuo ob ſpatiola ds, dr, eodem tempore percurſa erit.

$$VV : uu :: ds^2 : dr^2 :: \frac{1}{A}\int\phi dx : gt - \frac{1}{B}\int\phi dx,$$ conſequenter $ds^2 = \frac{\frac{dr^2}{A}\int\phi dx}{gt - \frac{1}{B}\int\phi dx} = dx^2 + dy^2$, adeoque

$$dy^2 = \frac{\frac{dr^2}{A}\int\phi dx}{gt - \frac{1}{B}\int\phi dx} - dx^2.$$ Subſtituto hoc valore in æquatione ante inventa, prodibit tandem hæc, quæ naturam cur-

qu[illegible]

Digitized by Google

quæſitæ exhibet, $\frac{xxdr^2}{A}\int\varphi dx - xxdx^2\left(gt - \frac{1}{B}\int\varphi dx\right) = gbaadr^2$.

Problema Geometris propoſitum.

Si qui forte in hæc incident, quos hæc ſpeculari juvat, tentent ſequens Problema, quo, quid valeant methodi, quibus forte utuntur, explorare poterunt.

Cogitetur, corpora *A* & *B* ſe invicem attrahere vi qualicunque data, & projici corpus *A* velocitate data, ſecundum tangentem curvæ *AH*, & ita progredi ſecundum ductum hujus curvæ *AM*, quia in concavitate curvæ movetur, adeoque ex ea elabi nequit. Eodem tempore corpus *B* projiciatur in directione data *Bb*, velocitate data, & vis, qua corpora continuo, alterum verſus alterum, propelluntur, libere agat. Doceatur natura curvæ *BL*, quam corpus *B* hoc motu deſcribet. Hoc Problema adigit ad inventionem quorundam theorematum, quæ noſſe operæ pretium erit.

Hiſtoriſche und Theologiſche Einleitung in die Religions-Streitigkeiten der Evangeliſch-Lutheriſchen Kirche, ꝛc.

h. e.

INTRODUCTIO HISTORICO-THEOLOGICA in Religionis Controverſias, quæ præcipue extra Eccleſiam Evangelico-Lutheranam ortæ; Autore JO. GEORG. WALCHIO, Theol. Doct. & Prof. Publ. Ord. in Academia Jenenſi.

Tomus II.

Jenæ, apud Jo. Meyeri viduam, 1734, 8.
Alph. 3 pl. 9.

Edidit Cel. Autor Hiſtorico-Theologicam Introductionem
in Controverſias Religionis extra Eccleſiam Evangelico-
Lutheranam ortas ante aliquot annos, ejusque recenſionem a
nobis datam eſſe nuper in *Actis* hujus *Anni Menſ. Aug. pag. 373*
ſeq. meminimus. Jam S. Rev. Vir conſtituit, ſingula capita laudatæ
Introductionis copioſius fuſiusque elaborare, & in lucem emit-
tere. Itaque in hoc *altero Tomo* Controverſiæ cum Pontificiis
agitatæ pluribus proponuntur, & multis acceſſionibus auctæ, ite-
rum exhibentur. *Caput I.* de ratione & neceſſitate Theologiæ
Polemicæ operam dandi, deque ejus mediis, ita locupletatum cer-
nitur, ut multa, quæ antea breviſſimis tradita erant, jam co-
Pag. 2 ſeq. pioſius pertractata reperiantur. Sic enim nunc demum multo
fuſius agitur de denominationibus Theologiæ Polemicæ, de
16 ſeq. vero & perverſo uſu Philoſophiæ in Controverſiis Theolo-
gicis, de inſigni Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ uſu in Theologia Po-
25 ſeq. lemica, ubi verboſius docetur, qua ratione Hiſtoria Dogma-
tum, Doctorum, Sectarumque, nec non rituum Eccleſiaſtico-
44 ſeq. rum, recte & utiliter ſit applicanda. Quod ad objectum Theo-
logiæ Polemicæ attinet, de hoc quoque argumento jam Cel.
Autor pluribus expoſuit, & de Articulis fidei, de erroribus,
eorumque autoribus, diſcrimine ipſorum diligentius indicato,
74 ſeq. commentatus eſt, auxitque ſimul notitiam illorum Scripto-
79. rum, qui ad Theologiam Polemicam faciunt. *Capite II*,
quod eſt de prudentia & cautione in Theologia Polemica &
87. Controverſiis Theologicis adhibenda, pluribus illuſtrantur re-
quiſita illius, qui ſe Controverſiis his immiſcere geſtit, tum
reſpectu intellectus, quam voluntatis: ubi de imputatione
156. conſequentiarum agitur, & hæ Quæſtiones diſcutiuntur: quid
165. Principibus facere liceat, cum quis nimio accenſus zelo fuerit,
& quomodo ſe quis debeat gerere, cum præter meritum ab aliis
191. impugnatur, & variis accuſationibus oneratur. Vehementer
etiam locupletata deprehenditur hiſtoria, ut vocantur, Metho-
239. diſtarum. *Caput III* agit de Controverſiis inter noſtram &
Romanam Eccleſiam, quod *tribus* conſtat *Sectionibus*. In *pri-*
ma origo, incrementum, & fata Papatus, ejusque ratio ac pe-
246. culiares doctrinæ, exponuntur. Itaque præmittitur primum
Cata-

Digitized by Google

Catalogus Scriptorum, qui de Monarchia, quam Pontifex Romanus ſibi arrogat, egerunt, & deinde oſtenditur, non rem antiquam eſſe, ſed novam, & ineptum eſſe, *Petrum*, ſtatuere, primum Pontificem Romanum fuiſſe. Pro cujus antiquitate quoniam Jeſuitæ cumprimis deſudarunt, Scriptores huc pertinentes copioſius commemorantur, &, qua in re conſiſtat Pontificis poteſtas Eccleſiaſtica, & quatenus ſe extendat, & nec ſecularem potentiam, nec divitias & opes, ipſi deeſſe, docetur, & tandem artes, quibus ad tantum Imperium in ſacris ſibi conciliandum uſi fuerint Pontifices, deteguntur. His præmiſſis, ad ipſam Pontificiorum doctrinam, qua ſingularem Sectam inter Chriſtianos conſtituunt, accedit, &, præmiſſa brevi Concilii Tridentini hiſtoria, eorum Dogmata ab aliis Eccleſiis diverſa dividit in theoretica & practica. Ad illa revocantur doctrinæ de Scriptura Sacra, de traditionibus, quas in rebus fidei Scripturæ Sacræ adjungunt, de Eccleſia, cujus ſententia pro principio venditatur, de Pontifice Romano, ejusque infallibilitate. His Pontificiorum principiis in religione explicatis, diſcutiuntur eorundem Dogmata, de purgatorio, de Sacramentis, eorumque numero, ac ſpeciatim de Conjugio, de pœnitentia, de extrema unctione, &c. nec non de Baptiſmo, de Confeſſione auriculari, de Sacramento Euchariſtiæ ſub una ſpecie tantum ſumendo, de uſu linguæ Latinæ in ſacris, & cœlibatu ordinis ſacri. Ad practica Pontificiorum Dogmata, in quibus quidem cum Orientali & Græca Eccleſia plerumque faciunt, ſed a Proteſtantium tamen Eccleſiis diſſentiunt, referuntur doctrinæ de invocatione Sanctorum, eorumque reliquiarum, de libero arbitrio hominis in ſacris, de juſtificatione peccatoris coram Deo, de ſatisfactione tam pro ſuis, quam aliorum, peccatis, cui quædam de indulgentiis Eccleſiæ Pontificiæ adjiciuntur, de perfecta legis impletione, de fide ſalvifica, de incertitudine ſalutis, de transſubſtantiatione, & ſacrificio miſſatico. His omnibus Cel. Autor nonnulla ſubjungit de doctrina morali, & de cultu divino inter Romanos recepto, & ex his tandem concludit, fundamentalem eſſe differentiam inter Pontificiam & Evangelico-Lutheranam Eccleſiam, nec unionem

Pag. 262. 273. 290. 301. 309. 322. 333. 377. 432. 503. 577. 634. 714.

earum fieri poſſe, oſtenditque, neminem ſalva conſcientia a Lutheranis ad Pontificios tranſire poſſe; ubi Scriptores, qui de
Pag. 769. hoc argumento egerunt, diligentiſſime afferuntur. Tandem diſquirit, qua ratione contra Pontificios diſputandum ſit, & quomodo refutandi, additis Autoribus, qui tam pro Eccleſia Romana ſcripſerunt, quam qui contra eam calamos ſtrinxerunt. *Sectio ſecunda* hujus *Capitis III* exponit Controverſias Eccleſiæ Romanæ inteſtinas. Atque hic non ſolum ipſæ Controverſiæ inter Pontificios agitatæ fuſius traduntur, ſed & Auto-
856. res in unaquaque Controverſia diligentius nominantur. Sic, præmiſſis Scriptoribus de *Janſeniſmo*, ejus origo, occaſio & præcipuæ circumſtantiæ, explicantur, defenſores ejus, eorumque diverſa genera, una cum Adverſariis ejusdem, commemorantur, ipſum Controverſiæ caput indicatur, & Controverſia de *Cœleſt. Sfondrati* libro orta exponitur. Inprimis autem Hiſtoria Controverſiæ *Queſnelliana* ita panditur, ut primo de ipſo *Queſnello*, ejusque ſcriptis, deinde de conſtitutione Unigenitus, & denique de ipſa Controverſia, inde prognata, curatius agatur. Præter Controverſias, de immaculata conceptione Mariæ Virginis, de gratia & libero arbitrio hominis naturalis in rebus ſacris, de converſione Chinenſium, & tandem de Quietiſmo, pluribus, quam ante factum fuerat, declaratas, nunc demum acceſſit expoſitio Controverſiæ de peccato phi-
1017. loſophico. *Sectio tertia* complectitur argumenta generalia Pontificiorum, quibus ad impugnandam Lutheranæ Eccleſiæ
1030. veritatem utuntur, e. g. quando clamant, novam eſſe Eccleſiæ noſtræ doctrinam, Lutheranos eſſe ſchiſmaticos, *Lutherum* impium hominem fuiſſe, nec vocationem legitimam ad Reformationem habuiſſe, &c. quæ prout omnia a Cel. Autore doctiſſime refutantur, ita ab eodem accurate afferuntur teſtimonia, in quibus ſe ipſa oppugnat Eccleſia Romana, &, ipſam Pontificiorum veritatem, quam jactant, ſuæ religionis deſtruere, demonſtratur. Tam erudite, tamque curate, hæc omnia pertractata fuerunt, ut certiſſime confidamus, eo magis hanc novam Controverſiarum cum Pontificiis editionem Sacrarum

Litera-

Digitized by Google

Literarum cultoribus, & omnibus, quibus Religio noſtra ac doctrina curæ cordique eſt, placituram eſſe, quo majoribus aucta acceſſionibus in lucem denuo emiſſa fuit.

DANIELIS VECHNERI, AURIMONTANI, Hellenolexias, ſive Paralleliſmi Græco-Latini, Libri duo. Ad exemplar Argentoratenſe recenſuit, caſtigavit, Supplementis Lipſienſibus, noviſque Acceſſionibus & Obſervationibus, auxit, vitam Autoris, doctorum Virorum de eo judicia, & novam Præfationem, præmiſit JO. MICH. HEUSINGER, Illuſtr. Gymnaſii Gothani Profeſſor.

Gothæ, ex officina Reyheriana, 1733, 8.

Alph. 1 pl. 21¼.

Quarta hæc eſt editio Libri omnium ſuffragiis probatiſſimi, utiliſſimi, digniſſimique, qui in tabernas librarias, in quibus jam pridem deſiderari cœptus eſt, revocaretur. Primum ille vulgatus eſt Francofurti A. 1610, 8, quanquam pauca exemplaria eum annum hodie præferant. Cum enim Bibliopolæ Hellenolexias inſcriptio diſplicuiſſet, quod minus popularis illa videretur; reliquis exemplaribus, quibus hederæ quaſi loco *Dan. Heinſii* Oratio de conjungendis Græcorum lingua & diſciplinis acceſſit, ut facilius conciliaret emtores, hunc titulum fecit: *Illuſtres ac perpetui Grammaticorum canones & obſervationes linguæ, tam Romanæ, quam Græcæ, quibus ſcholaſtica pubes, tam quoad Etymologiam, quam quoad Syntaxin, carere nequit, docens* (hunc Syllogiſmum *Heuſingerus* argumento eſſe putat, non *Vechnerum*, ſed mangonem aliquem, hæc ſcripſiſſe,) *utriusque linguæ inflexiones, ſignificationes, elegantias, imitationes, Autore M. Daniele Vechnero, Pædagogiarcha Goldbergenſi, Francofurti, 1611.* Iterum ſecundis *Vechneri* curis prodiit Argentorati A. 1630, 8, cum Præfatione *Matthiæ Berneggeri*, quam editionem *Heuſingerus* ideo ſecutus eſt, quod tertia, Lipſienſis,

Digitized by Google

ſis, A. 1680, 8, aliena manu poſt Autoris fata interpolata; multas Acceſſiones habet, quas *Vechneri* non eſſe, ſatis apparet. Eas vero a *Jo. Nicolao Wernero, Jo. Weizii* ex filia nepote, profectas eſſe, cum *Placcio* conjicit *Heuſingerus*, qui, ut ſuum utrique redderet, a *Vechnerianis* has ſeparavit, & extremis paginarum oris, una cum ſuis Annotationibus, exhibuit. Hinc aliquam jam partem conſtabit Lectoribus, quid nova hac editione præſtitum ſit; quæ tamen aliis etiam nominibus tribus illis prioribus longe eſt præferenda. Nam & Tabulæ, quibus Autor totius Libri Capita ſub uno conſpectu poſuerat, concinniore multo forma hic repræſentantur, & Index, qui nova cura huic editioni accommodatus eſt, paulo etiam plenior ſubtexitur. Præterea Scriptorum loca, quibus *Vechnerus* in teſtimonium utitur, diligenter & accurate indicantur, &, ubi non optimis ille exemplaribus fidem habuit, aut in verborum interpretatione erraſſe viſus eſt, Lectores admonentur. Ita *pag.* 25 notatur *Servius*, cujus fide *Lucani* verſus a *Vechnero* adſcribitur: *Occurrat Iberibus alter*, cum *Lucanus Lib. II v.* 54 ſcripſerit: *Occurrat Iberis alter.* Quanquam & *Iſidorus Hiſpal. Lib. IX Orig. Cap. II pag.* 1041 edit. *Gothofr.* ita verſum illum *Lucani* profert. *Pag.* 72 obſervat, *claudere*, abſolute poſitum a *Gellio* & *Apulejo*, non eſſe interpretandum *claudi*, ſed *claudicare*. *Pag.* 344 a *Vechnero* diſſentit, qui verbum *imitari*, Dativo junctum, in *Salluſtio* ſibi reperiſſe viſus eſt. *Pag.* 359 oſtendit, falſo Patavinitatis accuſari *Livium*; cum Latiniſſima ſint, quæ *Vechnerus* ſuſpecta habuit. *Pag.* 366 negat, *eſt*, pro *licet*, *Cicerone* autore dici. *Pag.* 371 falli docet *Vechnerum*, adverbia poſitionis, quæ vocant, apud Græcos generis & numeri terminationibus carere, affirmantem. Similem ac notabiliorem etiam ejusdem errorem in Addendis ad *pag.* 373 caſtigat, qui, Latine dici poſſe, ſibi perſuaſit, *dolus præſtandum eſt*, pro *dolus præſtandus*, *natura putandum eſt*, pro *natura putanda*. *Pag.* 380 *ſimul* Dativum regere, perperam a *Vechnero* præcipi, monet. *Pag.* 388 *ſcio, quod verum ſit*, ut vulgo nunc id dicitur, cum *Gronovio* rejicit.

Nec

Nec *Vechneri* tantum errata indicat, ſed & recte dicta ſæpe illuſtrat, pluribus argumentis & exemplis confirmat, vindicat, &, quid adoleſcentibus imitari liceat, quid Romanus ſermo reſpuat, ſubinde commonſtrat. Inſignes inprimis ſunt acceſſiones ad *Cap. VI, VII, VIII & IX Partis prioris Libri II*, de verborum ſignificatione inſolentiori, & a Grammaticorum præceptionibus diſcrepante, ubi & activa, quæ abſolute intelliguntur, abſolutaque, quæ active interpretanda ſunt, & activa, quæ paſſivorum locum, contraque, obtinent, magno numero collegit.

Eſt etiam, ubi ad alia, in quibus a Viris doctis diſſentit, digreditur, eaque adſpergit, quæ paucis hic attingere licebit. *Pag. 41 Demetrii* cognomen, *Phalereus*, male vulgo pronuntiari *Phalerēus*, penultima producta, autoritate & rationibus vincit. *Pag. 75*, non recte a Cel. *Heumanno* mutatum eſſe, putat, locum in *Dial. de cauſis corr. eloqu. Cap. X: Quod cum natura tua in ipſam arcem eloquentiæ ferat. Pag. 90 Cortium* miratur *Palmerii* emendationem in *Salluſt. Catil. IV, 1*, non tetigiſſe, qui reſcripſerit: *Igitur ubi animum ex multis miſeriis atque periculis requievi. Pag. 110* præſens tempus paſſivi verbi *interpretor* apud *Aut. ad Herenn. Lib. II Cap. XI* legi indicat, quod *Cellarius* florentis Latinæ linguæ ætatis eſſe negaverat. *Pag. 126, Horatianum* illud, *ventum erat ad Veſtæ*, ab *Heineccio* jure improbari, negat. *Pag. 129* rejicit phraſin, *ſilentium tenere*, pro *tacere*. *Pag. 239 Schwarzium* refellit, qui ad *Turſellinum* de particulis, *eo* cum genitivo minus uſitatum & probatum eſſe, adſcripſit. *Pag. 297, idem illis* apud *Ciceronem* legi, quod *Vavaſſor* in *Antibarb.* affirmat, falſum eſſe, docet. *Pag. 14 Munkeri* errorem ad *Hygin. fab. 101* coarguit, qui, *Gocle-ium* in *Obſervationibus* barbarum illud, *poſſum hanc artem*, ueris inculcare, exiſtimavit, cum *Goclenius* hoc ipſo loco id amnet & proſcribat. *Pag. 322* reprehendit *Cortii* interpreta-ionem verborum *Ciceronis Lib. IV Ep. XIII: Ab iis ipſis, qui-us tenetur*, &, *quibus* hic non tertium, ſed ſextum caſum eſſe, ontendit, ellipſi Latinis familiari, qui præpoſitionem poſt pro-omen *is* ad relativum ſubaudiunt: cujus rei exempla plura Fert, &, locum *Quintiliani* apud *Lactantium V, 7*, fruſtra *Cel-*

lario ſuſpectum fuiſſe, credit. *Pag.* 362 *Voſſium* & *Sanctium* reprehendit, qui *oportet ſervo Plauto* tribuunt. *Pag.* 410, *habeo dicere*, pro *habeo dicendum*, *oportet dicere*, apud ſequioris ævi Scriptores plures exſtare, comprobat.

Illud etiam ſilentio prætereundum non eſt, quod Cl. *Heuſingerus* aliquoties, veluti *pag.* 29, 121, 163, & 392, variantes lectiones ex Codice MSto *Quintiliani* affert, qui in Bibliotheca Sereniſſ. Principis Gothani ſervatur, quem ſe, ex voto Cel. *Burmanni* in Præfatione ad *Quintilianum*, cum *Burmanniana* editione contendiſſe ſignificat. Eandem operam præſtitit etiam *Lactantio*, cujus variantes lectiones ex ejusdem Bibliothecæ Codice membranaceo Viro Cl. *Bunemanno* ſuppeditavit, in quibus annotandis ipſius diligentiam laudat *Bunemannus* in *Miſcellan. Lipſ. Tom. III pag.* 118; quare ſe impatientius etiam *Lactantii* editionem *Bunemannianam* exſpectare ait *pag.* 345.

Nec minus gratum erit illis, qui nova hac editione uti volent, locorum quorundam emendationes, ab ipſo factas, & ad nos transmiſſas, hic attexere. In vita *Vechneri* ad *not. d* legendum eſt *Ludovici Hiſtor. Rector. Scholarumque celebr.* pro *Junckeri*, quod nomen deſcribentis errore ſubſtitutum eſſe, patet, ſi inſpicias *pag.* 385. *Pag.* 10 *d* leg. *Fabri Theſaur. edit. Stubel. Nam in Geſneriana eſt* molochus. *Pag.* 13 z leg. *Verſ.* 179. *Pag.* 25 *b* pro verbis, *Illud enim de Hiſpanis tantum*, ita reſcribe: *Illud enim, ac potius* Iber, Iberi, (*nam*, Iberus *de flumine tantum dici, obſervo,*) *de Hiſpanis plerumque, hoc de Colchica gente ſolum, legitur.* Vid. *Priſcian. Lib. VI pag.* 698. *Lib. VII pag.* 734. *Voſſ. II Anal.* 5. *Rarius* Iberi *appellantur, qui Colchidem incolebant, ut apud Liv. Epit. CI, Flor. III, 5, 21* & 28. *Tacit. VI Annal.* 33. *Pag.* ead. *i* dele verba: *quamvis non negem*, & quæ ſequuntur. *Pag.* 29 *t* lege: Salamis *vulgo, aut* Salamin, (*quam terminationem Priſcianus præfert Lib. VI pag.* 689) *quæ* Salamina *Juſtino*, cetera. *Pag.* 32 *c* lege: *Verſu* 3, *qui ita ab aliis legitur. Pag.* 39 *n* lege: *Verſu* 322. *Vide Priſcian. Lib. VI pag.* 720. *Pag.* 40 *p* lege: *Verſu* 20. *Pag.* 41 *b* adde: *Contra Priſcianus Lib. VI pag.* 709 *præſcribit* hic Adonis, hujus Adonis. *Pag.* 62 *q* lege: *Verſu* 71. *Pag.* 129 *k* pro ver-

verbis: *Libro II fruſtra quærat*, uſque ad vocem *inquirere*, reſcribe: *Lib. II Cap. 3 extr.* *Pag. 168 b* lege: *Cato apud Cicer. Lib. XV Ep. 5.* *Pag. 342 ſ* ita emenda: *Lib. V Cap. 11. In eandem ſententiam eodem Libro Cap. 26 ſcribit*, cetera. *Pag. 432 v*, inductis prioribus, repone: *Lib. III Inſtit. Orat. Cap. VII pag. 266. Sic Lib. VII*, cetera. *Pag. 504 t* verbis: *inde eſt noſtrum*, præpone: *rectius vero a jocus ducit Car. du Frêne Gloſſar. Tom. III pag. 1542 edit. Pariſin. noviſſ.*

A DISCOURSE CONCERNING THE USE AND Advantages of the Goſpel Revelation, &c.

h. e.

DE UTILITATE EXIMIA EVANGELII divinitus revelati Diſſertatio, qua ad Objectiones, in Libro, cujus index: Chriſtiana Religio æque antiqua ac creatio, propoſitas, reſpondetur; Autore HENRICO STEBBING, S. T. D.

Londini, ſumtibus Jo. Pembertoni, 1733, 8.

Plag. 4½.

Hæc Commentatio ſumma eſt eorum, quæ Cl. *Stebbingius*, verbi divini Miniſter Londinenſis celeberrimus, tribus ſermonibus, e cathedra ſacra publice recitatis, contra *Matthæum Tindalium* diſputavit. Nemini ignotæ ſunt impiæ *Tindalii* contra Religionem Chriſtianam molitiones, qui propterea Chriſtianam Religionem divinam dicere non vult, quoniam, quæ luminis naturæ opera intelliguntur religionis naturalis capita, ad ſummi Numinis gratiam conſequendam ſufficientia judicat. Deo autem indignum eſſe tuetur, legi naturæ omnibus cognitæ, præter omnem neceſſitatem, revelationem quandam ſpecialem addere. Sunt numero multi Viri maximæ dignationis in Anglia, quibus impius *Tindalii* Liber occaſionem aperuit, Reli-

Digitized by Google

gionis Chriſtianæ veritatem eruditiſſimis Commentationibus defendendi. Inter quorum quidem præcipuos *Stebbingium* noſtrum numerare non dubitamus; qui in ipſa etiam Anglia multorum fert plauſus. Solidis enim argumentis omne *Tindalianum* Syſtema evertit. Sub initium annotat, ad hanc Controverſiam finiendam non requiri, ut a priori luminis naturæ ad
Pag. 4. beatitatem conſequendam inſufficientia demonſtretur. Cum enim mundus revelatione quadam ſpeciali non ita multo ſit antiquior, difficillimum eſſe definire, quid ſibi relicta ratio in emendandis hominum moribus poſſit. Non enim dubium eſſe, quin, qui de rebus ad religionem pertinentibus e lumine naturæ recte judicarint, cognitione eorum, quæ in revelatione ſpeciali traduntur, ſæpiſſime fuerint adjuti. Sufficere ad judicium de *Tindalii* objectionibus ferendum, ſuppoſita revelationis ſpecialis exiſtentia, ex momento ſuo ponderare, quoſnam uſus revelatio, quæ pro divina habetur, polliceatur? Qua quidem methodo, ſi diſputatio inſtituatur, nullum committi circulum.
7. Non enim argumentum eſſe: *Doctrina Evangelii inſignem præſtat uſum, igitur eſt divina revelatio.* Sed reſponderi ad hanc objectionem: *Revelatio non eſt divina. Nam eſt inutilis.* In Refutatione autem hujus objectionis omnem quæſtionem huc redire, *utrum uſus, quos doctrina Evangelii promittit, ſint in aliquo pretio habendi vel ne?* Ad quam quidem Quæſtionem Doctiſſ. *Stebbingius* reſpondet.
8. Provocat præcipue ad *Rom. VIII, 3, 4.* Quo quidem loco *Paulus* docet, præcipuam Evangelii utilitatem eſſe, ut diſcamus, Jeſum Chriſtum, filium Dei, noſtra peccata ſua expiaſſe morte, atque, ut peccatores cum Deo reconciliari poſſint, effeciſſe. Quam quidem utilitatem omnium maximam
15 ſeq. merito dicit. Neque enim e lumine naturæ conſtat, Deum iis, qui conſulto & data opera peccarunt, peccata condonaturum. Sine ipſius ſummi Numinis nova promiſſione nihil certi de hoc argumento poteſt definiri. Omnia enim ad liberum ejus arbitrium redeunt. Quod etſi ſemper vult ſapientiſſimum, nos tamen non poſſumus judicare, quid ſummæ divini Numinis ſapientiæ conveniat. Illi quidem, qui duce

ſolo

Digitized by Google

ſolo naturæ lumine ad beatitatem æternam adſpirant, pœnitentia remiſſionem peccatorum & gratiam Dei ſe conſecuturos conſiderant. Sed non niſi conjecturæ ſunt, quibus hæc ſpes nititur.

Ad doctrinas de immortalitate & de precum uſu deinceps provocat. Atque obſervat, neque de hac, neque de illa, certi aliquid ex ratione conſtare. Quodſi enim vel maxime recte ſeſe haberent argumenta omnia, e lumine naturæ ad probationem harum doctrinarum prolata, ſemper tamen hoc dubium eſſe reliquum, quod peccatum homines omnes ſummi Numinis gratia reddat indignos. Pag. 19, 32, 39.

Illud denique adjungit, quodſi etiam concedatur, de remiſſione peccatorum, de immortalitate animæ, de uſu precum, e ratione conſtare, multum tamen præſtare de his omnibus ipſiſſima ſummi Numinis promiſſa habere, quam cognitione e lumine naturæ petita unice niti. Illud enim ipſum Numen, quod hæc promittit, & peccata condonare, & animæ largiri immortalitatem, & preces exaudire. 20.

ORATIO DE VANITATE LUMINIS NATURÆ, habita d. 2 Aprilis A. 1733, in communi Univerſitatis Andreapolitanæ Auditorio, cum Rectoris dignitatem annuam deponeret; Autore ARCHIBALDO CAMPBELL, S. T. B. & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Profeſſore Regio.

Edinburgi, apud G. Hamiltonum, 1733, 8.

Plag. 2½.

Doctiſſ. Autor in Oratione ſua id agit, ut *Matthæi Tindalii* refellat errores, qui in Libro, cujus index: *Chriſtianity as old as the Creation*, i. e. *Chriſtianitas rebus creati coæva*, plane ſatis & aperte negat, poſſe Deum hominibus religionem divinitus impertire, quam ipſi viribus ſuis aſſequi non poſſint. Ex quo enim præcipua religionis na- 2. 4-8.

 turalis

turalis capita recenſuit, de quibus inter eum & *Tindalium* convenit; dedita opera inquirit, num homines, nullis inſtructi adjumentis adventitiis, ipſi tantum ſuo valeant animo, ut omnia, vel maxima ſaltem, religionis naturalis capita, perſcrutari & conſequi poſſint. Tuetur, homines per ſe neque ſatis valere ad immortalitatem animæ explorandam, neque ad rectam ſummi Numinis cognitionem ſibi parandam. Quod quidem ut declaret, *Socratis* argumentum, quo animæ immortalitatem probat, ſub examen vocat, illudque ad eam probandam minime ſufficere judicat. *Socrates* in *Platonis Phædro*, animum eſſe immortalem, hac demonſtrat ratione. Quod ſe ipſum movet, quia nunquam deſeritur a ſe, nunquam moveri deſinit. Animus ſe ipſum movet. Igitur nunquam moveri deſinet; &, quod conſequens, immortalis eſt. *Cicero* maximum huic argumento ſtatuit pretium. *Licet*, inquit, *plebeji omnes Philoſophi* (ſic enim ii, qui a *Platone* & *Socrate*, & ab illa familia, diſſident, appellandi videntur,) *non modo nihil unquam tam eleganter explicabunt, ſed ne hoc quidem ipſum, quam ſubtiliter concluſum, intelligent.* Cl. *Campbellus* vero perſuaſum ſibi habet, hoc *Socratis* argumento, non animi humani, ſed ſummi, id eſt, Dei, æternitatem tantum conſtitui. Namque animam humanam nunquam fuiſſe ortam, & ſe ipſam movere, vi ſibi non conceſſa, quis tuebitur? Fatetur quidem *Campbellus*, præter rationem a *Socrate* prolatam, alias etiam ex perfectionibus ſummi Numinis, ejusque providentia, depromi ad animi immortalitatem confirmandam. Cum omnes hoc nituntur fundamento, quod Deus ſit, resque curet humanas, nemini animi poterit perſuaderi immortalitas, niſi prius fuerit cognitum, Deum eſſe, rebusque conſulere humanis. At enim vero Cl. *Champbellus* exiſtimat, homines, ſibi ſolis relictos, nullaque informatos doctrina adventitia, rectam ſummi Numinis non habituros cognitionem. *Homines*, inquit, *ſolis ſuis viribus in-* Pag. 23. *ſtructi, quemadmodum ipſi ſibi conſcii ſunt, omnes ſuos motus eſſe voluntarios, id eſt, ejusmodi naturæ, ut in ipſorum ſint poteſtate, ipſisque pareant; ita etiam judicabunt de rebus aliis omni-*

omnibus, quæ moveri cernuntur, quasque pulſu externo non cernunt agitari. Hoc certe facient judicium de omnibus quibuscunque beſtiis, ſive nantes, ſive volucres ſint, ſerpentes, aut gradientes. Idem quoque forſitan habebunt judicium de ventis & procellis, fluviis, ac maribus. Mihi autem dubium non eſt, quin illis fuerit perſuaſiſſimum, corpora omnia cœleſtia eſſe animantia, ſuaque vi & natura moveri. Pag. 24. Quæ ubi teſtimoniis aliquot, e ſcriptis paganorum Philoſophorum petitis declaravit, & uberius, expoſuit, *Ad me,* inquit, *quod attinet, cum mihi ſit perſuaſiſſimum, homines rudes, nullaque excultos doctrina, ad magna religionis naturalis capita eruenda & perſpicienda nullo modo ſufficere; non poſſum non plane & aperte declarare, me pro certo atque cognito habere, non ſolum* Tindalium *vehementer errare, ſed tantum abeſſe, ut non ſit religio divinitus revelata, propterea quod capita comprehendat, quæ homines nulla ſua poſſint indagatione explorare, ut, niſi Deus hominibus ea patefeciſſet religionis naturalis capita, quæ ipſi per ſe inveſtigando non erant, nulla unquam in hoc mundo vera extitura eſſet religio. Quod vero per animos hominum antiquiſſimorum opinio pervaſerit de immortalitate animarum, de ſummo Numine, divinaque providentia; hoc mihi argumento eſt firmiſſimo, Deum cum hominibus ſcientiam rerum olim communicaſſe, eisque divinitus, ſeu via quadam extraordinaria, res ſacras aut religioſa aliqua jura revelaſſe.*

REMARKS ON A BOOK INTITLED: CHRIſtianity as old as the Creation, &c.

h. e.

OBSERVATIONES IN LIBRUM, CUJUS index: Religio Chriſtiana comparis cum Creatione ætatis, quibus præcipuæ Objectiones, Religioni revelatæ

Digitized by Google

latæ oppoſitæ, ſub examen vocantur; Autore JOANNE JACKSON, Rectore Roſſingtonenſi in Diœceſi Eboracenſi, & Præbendario Wberwellenſi.

Londini, apud Joannem Knaptonum, 1731, 8.

Plag. 4½.

Matthæus Tindalius, Autor Commentationis, cujus index: *Chriſtianity as old as the Creation*, impio conatu non ſolum generali quodam argumento Religionis Chriſtianæ veritatem ſtudet infringere, verum etiam in ipſa Scriptura Sacra Veteris & Novi Teſtamenti ſibi viſus eſt reperiſſe, quibus contra divinitatem ejus diſputet. Doctiſſimus igitur *Jackſonus* ſuum eſſe duxit, & ad generale argumentum reſpondere, & vindicem agere dictorum Scripturæ Sacræ, quibus *Tindalius* perperam abutitur. Quocirca principe loco annotat, defendi non poſſe propoſitionem, quam *Tindalius* tuetur: religionem naturalem abſolute perfectam eſſe, cuique nihil quidpiam poſſe addi, cujus cognitio hominibus cedat ſaluti. Videlicet ne quidem de religione naturali, cum nondum eſſet corrupta, ſumma perfectio dici poteſt. Religio enim naturalis, in optimo ſuo ſtatu conſtituta, relative tantum perfecta eſt, hoc eſt, homines ad beatitatem ducit. Quod ſi autem ad creaturas hominibus excellentiores referatur, imperfecta forſitan erit, multo minus abſolute perfecta dicenda. At enim vero, cum experientia teſte conſtet, religionem naturalem præjudiciis numero multis, ſenſim introductis, eſſe obſcuratam, atque etiam nunc obſcurari, nulla dubitatio reliqua eſt, quin etiam relative ad homines religio naturalis queat dici imperfecta, & nova revelatio divina utique [illegible] optanda, quæ eam priſtino reſtituat ſplendori, & ab erroribus admiſſis præſtet immunem.

Dicta Scripturæ Sacræ, quorum ſanctitatem Doctiſſ. [illegible] *ſonus* contra *Tindalium* tuetur, ſequentia ſunt: *Gen.* XVII, 10, 11,

Digitized by Google

10, 11, XX, 6, 12, Exod. III, 22, Deut. XXXI, 23, Joſ. V, 9, Judic. XI, 30, 31, 39, 2 Sam. XXIV, 15, 1 Reg. XIII, 18, XIX, 15, 2 Reg. II, 23, 24, VIII, 10, 2 Chron. XXXIV, 23, Jer. XX, 7, Matth. V, 43, VII, 22, 23, XXIV, 36, Jo. XII, 24, Rom. XII, 20, 1 Cor. XV, 36, Hebr. VI, 17. Noſtrum inſtitutum non patitur de ſingulis Cl. *Jackſoni* Obſervationibus verba facere; & nonnullæ etiam nihil ſingulare continent. Pleræque enim *Tindalii* objectiones tam exigui ſunt ponderis atque momenti, ut nullo negotio ab omnibus iis poſſint refelli, qui vel ſemel ſerio & dedita opera Scripturam Sacram legerunt. Ne tamen exempla deſint, ſequentia annotaſſe juvabit. *1 Cor. XV, 36, 37,* Apoſtolus *Paulus*, *Stulte,* inquit, *tu quod ſeminas, non vivificatur, niſi mortuum fuerit. Et hoc, quod ſeminas, non corpus, quod naſcetur, ſeminas, ſed nudum granum, exempli cauſa tritici, aut alicujus ex ceteris.* Ad quæ quidem verba *Tindalius* annotat: At quis eſt agricola, qui ignoret, ex ſemine mortuo nihil quidquam progigni? Quaſi vero, quod *Jackſonus* obſervat, contextus non doceat, de externa parte grani ſermonem eſſe, quæ niſi corrumpatur, ſemen, quod eſt in grano, nunquam fructum feret. *2 Sam. XXIV, 15,* dicitur, ſummi Numinis juſſu ſeptuaginta millia Iſraelitarum peſtilentia fuiſſe affectos, propterea quod Rex *David*, ſuperbia motus, gentem Iſraelis numerarit. Quam quidem pœnam Deo minime dignam *Tindalius* dicit. Qui enim in gentem Iſraelis animadverti jure poteſt, cum Rex *David* tantum peccarit? Sed Cl. *Jackſonus* obſervat, & *Davidem* peccaſſe & Iſraelitas. Ab utroque igitur ſummum Numen pœnas, ſumſiſſe jure meritoque. Videlicet populus Iſraeliticus duarum rebellionum excitatarum erat reus. Etenim & cum *Abſolone* & cum *Sheba* communem fecerat cauſam, *2 Sam. XX, 1.*

Quo jure Iſraelitæ cum Canaanitis bellum geſſerint, eorumque ſibi vindicarint regionem, ſe ignorare, ſæpenumero *Tindalius* profitetur. Sed, Doctiſſ. *Jackſono* judice, ſcire poterat, Iſraelitas ſummi Numinis juſſu Canaanitas bello fuiſſe aggreſſos. Cui utique jus erat, in Canaanitas ob graviſſima ſce-

Digitized by Google

lera & ingentes ſuperſtitiones animadvertere. Quod quidem proxenetis Iſraelitis propterea facere maluit, quo Cananitarum exemplo & hi ſapere diſcerent, &, cum ad omnis generis ſuperſtitiones eſſent proclives, quantopere Deus averſetur ſuperſtitionem, intelligerent.

A DEMONSTRATION OF THE INSUFFICIency both of reaſon and Revelation, &c.

h. e.

DEMONSTRATIO, QUOD ET RATIO ET Revelatio, ſeparatim & junctim conſiderata, ad oſtendendam viam, quæ ad beatitatem ducit æternam minime, ſufficiant.

Londini, apud Joannem Roberts, 1731, 8.

Plag. 3½.

Et huic Commentationi *Tindaliana* controverſia anſam
præbuit. Cum enim *Tindalius* diſputaret, præter rationem nos nulla indigere revelatione ſpeciali, quæ doceat,
quomodo gratiam ſummi Numinis conſequi poſſimus; ii,
qui cauſam agebant Chriſtianæ Religionis, nos utique revelatione quadam divina ſpeciali opus habere, propugnabant.
Neque cum illo facit Autor noſter, neque horum ſententia
illi arridet. Ipſi enim neque ratio, neque revelatio, ſufficere videtur. Illud demum ſufficiens medium ad ſalutem
Pag. 6. æternam dicit, quod omnibus hominibus, in omnibus locis, temporibus, circumſtantiis, non ſolum doceat veram
religionem a falſis diſcernere, verum etiam vires ſuppeditet, ut veræ religionis præſcriptis non poſſit non morem
15. gerere. Contra rationem & religionem naturalem objicit, eam piis fraudibus & præjudiciis ita eſſe obſcuratam, &
etiamnunc obſcurari, ut non ſit uniuſcujuſque, ſe in religio-

ne naturali a graviſſimis erroribus immunem præſtare. De revelatione ſcripta monet, eam non in omnium atque ſingulorum hominum perveniſſe notitiam, nec ejus ſenſum omnibus patere, cum ſermone Ebræo & Græco ſit exaratata. Pag. 17 ſeq. Neque enim interpretationes ſemper acu rem tangere. Jam vero quid eſt, quod ſufficit, ut de religione vera edoceamur? *Immediata*, inquit, *inſpiratio divina, ſine qua hominibus impoſſibile eſt, obſcura & abſcondita religionis myſteria intelligere*, Hanc igitur ab omnibus eſſe 48. expetendam, qui ſaluti ſuæ velint conſulere, Deoque placere. Quibus quidem verbis Autor noſter, de cujus nomine 54. nobis non conſtat, aperte ſatis declarat, ſe e familia Quakerorum eſſe, quorum nomine hæc ſcriptio elaborata eſſe videtur. Epiſtola enim Dedicatoria ad Advocatos rationis & revelationis, huic Diſſertationi præfixa, hiſce verbis ſubſcribitur: *Your moſt ſincere and moſt reſpectful Friends.*

DISSERTATIO DE MATTHÆO TINDALIO; Autore CHRISTIANO KORTHOLTO, M. A. Ordin. Philoſ. Lipſ. Aſſeſſore, & Collegii minoris Princip. Collegiato.

Lipſiæ, literis Breitkopfianis, 1734, 4.

Plag. 3.

Eo conſilio hæc Diſſertatio a Cl. *Kortholto* elaborata eſt, ut haberet, quam S. Rev. *Urbano Godofredo Sibero*, Academiæ noſtræ ornamento egregio, de ſummis in Theologia honoribus recens collatis gratulaturus, offerret, ejusque nomine inſcriberet. In ea principe loco exponit, quo- Pag. 3, 4. modo *Jacobi II* ætate in magna Britannia de rebus ſacris ſentiendi, dicendi, ſcribendique, libertas invaluerit ſumma. Deinde de *Jo. Tolando*, *Antonio Collino*, & *Thoma Wool-* 5, 6. *ſtono*, diſſerit, qui ab illo tempore, quo impune & ſine

Digitized by Google

periculo in Anglia licuit Chriſtianæ Religionis veritatem ſcriptis impugnare, dedita opera contra cœleſtem Servatoris noſtri doctrinam impio deteſtandoque auſu diſputarunt.
Pag. 7-15. Tum de *Matthæo Tindalio*, ejusdemque vita, aliquot Ob-
17 ſeq. ſervationes recenſet, quas haud ita pridem in Anglia e ſcriptis huc facientibus excerpſit, & e ſermonibus doctiſſimo-
16 ſeq. rum Virorum didicit. Poſtremo in πρῶτον ψεῦδος Syſtematis *Tindaliani* inquirit, atque declarat, tanti non eſſe *Tindalii* objectiones, ut ab iis, qui Chriſti profitentur doctrinam, ſibi metuant. In *Actis* noſtris *Tindalii* vice plus unafecimus mentionem. Atque inſtitutum noſtrum eſt, non de eorum vita ſolum commentari, qui ſcriptis editis præclare de publica literaria & civitate Dei meruere, verum etiam referre, quæ de iis memoratu ſunt digna, qui eruditione ſua atque ingenio ad maximi momenti veritates impugnandas ſunt abuſi. Operæ igitur ducimus pretium, e Cl. *Kortholti* Diſſertatione ea excerpere, quibus *Tindalii* vitæ ratio deſcribitur, uſuri his ad ſupplenda ea, quæ jam olim in *Actis A.* 1733 *Menſ. Nov. pag.* 526 de *Tindalio* commemoravimus.

Matthæus Tindalius lucem primam adſpexit d. 10 April. A. 1656, in vico quodam Provinciæ Devonienſis, *Beer-Ferrers* appellato. Patrem habuit *Jo. Tindalium*, verbi divini Miniſtrum, inibi ab Academia Cantabrigienſi conſtitutum, matrem *Annam Halſiam*, ditiſſimam fœminam. Ad ſeptimum uſque decimum ætatis ſuæ annum ab ipſo parente ſuo literarum ſtudiis imbutus eſt. Quo quidem anno Oxonienſem Academiam petiit, atque ibidem Cel. *Hickeſii* auſpiciis literis dedit operam. Tantos in iis fecit progreſſus, ut anno ætatis ſecundo & vigeſimo Collegii omnium Animarum eligeretur Socius, atque non ita multo poſt d. 7 Julii A. 1685 Juris Doctor crearetur. Ab anno ætatis octavo & vigeſimo aulica munera geſſit, a *Jacobo II*, Rege, ipſi delata. Cui ut placeret, non ſolum Pontificiis ſacris ſe addixit, ſed & Regis cauſam ſcriptis editis propugnavit. Cum enim A. 1693 graviſſima eſſent inter Regem atque populum Anglicanum diſſidia; librum *de Obedientia Regi a ſubditis in omnibus*

bus revolutionibus debita Anglico ſermone edidit, atque anno ſequenti *de Lege nationum, atque Jure ſummorum Imperantium*, aliam ſcriptionem luci expoſuit publicæ, quam eodem anno contra *Thomæ Pinfoldii* atque D. *Oldys* objectiones defendit. Non tamen ita a *Jacobo II* ſtetit, ut utramque cum eo tulerit fortunam. Cum enim intelligeret, omnem *Jacobi II* cauſam eſſe deſperatam, neque ſe *Jacobum* defendendo fortunæ ſuæ conſulere, ſententiam mutavit, atque id egit potius, ut adverſæ parti placeret. Eam in rem religionem iterum mutavit, &, relicta Pontificia, ad Anglicanam rediit. Singulari etiam libro, A. 1706 edito, ſe Pontificiæ doctrinæ non favere, propalam teſtatus eſt. Libri index eſt: *The Rights of the Chriſtian Church aſſerted*, &c. id eſt: *Jura Eccleſiæ Chriſtianæ aſſerta contra Pontificios atque omnes alios Sacerdotes, qui independens regimen in Eccleſiam ſibi vindicant. Jo. Clerico* judice, in hoc ipſo libro ſolidis argumentis contra Pontificios doctores diſputat, Jura autem Principum Eccleſiaſtica egregie defendit. Conf. *Bibliotheque Choiſie Tom. X Artic. VII pag. 305 - 363, & Tom. XXIII Artic. VIII pag. 235.* Quem quidem cum *Anna*, Britannorum Reginæ, offerret, præmii loco 500 libras, quas vocant, Sterlingenſes accepit. *Tindalius* omnia illa, quæ *Jacobi II* temporibus geſta erant, cognita habebat atque perſpecta. Idem cauſam *Jacobi II* ipſe fortiter antea egerat, atque multum valuerat apud ejus aſſeclas. E re igitur erat Magnæ Britanniæ Reginæ, *Tindalium* ſibi muneribus devincire, cujus opera multis in rebus commode poterat uti. Neque dubium eſt, quin prudentiſſima Regina hoc munere effecerit, ut *Tindalius* deinceps in ejus atque ſucceſſorum juribus defendendis ſæpenumero fuerit occupatus. Varios enim Commentarios Politicos hanc in rem eum conſcripſiſſe conſtat. Non ſolis autem Pontificiis doctoribus adverſatur *Tindalius* in libro, cujus ſupra mentionem fecimus. Contra Eccleſiæ Anglicanæ doctores itidem diſputat, præſertim contra illos, qui inter veræ Eccleſiæ notas numerant, ut Eccleſia ab Epiſcopo regatur, & ſucceſſioni Apoſtolicæ mul-

tum tribuunt. Qua quidem occaſione cum multa acerbe dixiſſet in Epiſcopos & Epiſcopales, eorum contra ſe provocavit calamos. *Potterus*, *Hickeſius*, *Bennetus*, *Wottonus*, *Oldisworthius*, *Hillius*, *Gibſonus*, *Waterlandus*, *Berrimannus*, *Mangeyus*, & alii præcipuæ dignationis Viri, ſcriptis editis contra *Tindalii* librum *de Juribus Eccleſiæ Chriſtianæ* diſputarunt; *Tindalio* duobus ſcriptis, publicæ luci expoſitis, ſe contra tot argumenta in contrarium adducta defendente. *Tindalius* ſe Chriſtianæ Religionis hoſtem publice tum temporis nondum profitebatur. Ipſe potius in Chriſtianis numerari volebat. Cum enim *Georgius I*, Magnæ Britanniæ Rex, *Tindalio* 200 librarum annuos reditus concederet, ad finem uſque vitæ illi ſolutos, quo ejus cauſam oblata opportunitate ageret, Sacra Cœna publice in Æde Anglicana eo conſilio uſus eſt, ut, ſe Anglicanæ Eccleſiæ addictum eſſe, palam teſtaretur. Cum nemo in Anglia muneribus politicis poſſit admoveri, neque a Rege ſtipendia recipere, niſi Eccleſiæ Epiſcopali ſit addictus; ſtatutum eſt, unumquemque, cui munus aut ſtipendium aliquod confertur, ea de cauſa Sacra Cœna publice uti debere, ut Epiſcopalem ſe eſſe declaret. Quod quidem inſtitutum multis, iisque graviſſimis, abuſionibus aperit occaſionem. Non dubitant enim peſſimi homines, qui Sacræ Cœnæ myſteria privatim rident, publice iis uti, quo ſtipendium vel munus aliquod conſequantur. Ita conſtat, *Antonium Collinum* eo ipſo tempore, quo ſcriptis editis omnis Religionis Chriſtianæ veritatem aperte impugnabat, epulum ſacroſanctum in Æde Epiſcopali adiiſſe, quo ampliſſimo cuidam muneri in Eſſexia præeſſe poſſet. Neque aliter ſeſe res *Tindalii* habet. Quam enim publice profitebatur religionem, eam privatim ſceleratiſſimo auſu conviciis proſcindebat. Exſtat Epiſtola a *Jona Proaſtio* ad D. *Hickeſium*, *Tindalii* quondam Præceptorem, d. 2 Julii A. 1708 data. In ea *Proaſtius* refert, *Tindalium* ſermonibus ſuis defendere, 1) neque eſſe, neque eſſe poſſe veram aliquam religionem revelatam; 2) rationem hominibus a Deo datam eſſe ad beatitatem ducem; 3) hanc ipſam ſufficiens eſſe

eſſe ad ſalutem conſequendam adjumentum. Cum 4) Deus nihil faciat fruſtra, nullam revelationem dari poſſe. Quæ quidem poſitiones ſunt illæ ipſæ, quas deinceps in libro notiſſimo, *Chriſtianity as old as the Creation*, ex inſtituto propalam tuitus eſt. Ab anno 1728 *Tindalius* magis aperte, quam antea, Deiſtarum egit patronum. Eo anno illuſtriſſimus Londinenſis Epiſcopus, *Edmundus Gibſonus*, *Epiſtolam* edebat *Paſtoralem ad fideles Diœceſeos ſuæ Chriſtianos*, *ſigillatim ad Londini Weſtmonaſteriique incolas*, in qua contra eos, qui veritatem Religionis Chriſtianæ negant, graviter diſputat, atque invictiſſimis argumentis cœleſtem Chriſti doctrinam egregie plane defendit. Ferre non poterat hanc *Gibſoni* Diſputationem *Tindalius*. Omni enim ſolertia id egit, ut alia cives Londinenſes atque Weſtmonaſterienſes doceret. Eodemque anno & ipſe *Epiſtolam ad cives utriusque civitatis* edidit. In qua præ ceteris propugnat, Deiſtas viros eſſe probos, perverſam autem, quæ in Anglia invaluit, vivendi rationem ab Epiſcopis potius, eorumque pravo exemplo, eſſe repetendam. Quemadmodum vero *Tindalius* hiſce literis, *Edmundo Gibſono* oppoſitis, ſe Deiſtis favere, aperte declaravit; ſic A. 1730 libro edito, cujus index: *Chriſtianity as old as the Creation*; id eſt, *Chriſtiana Religio æque antiqua ac creatio*, ex inſtituto ſalutarem Chriſti impugnavit doctrinam. Opus eſſe non judicamus ſummam hujus Libri exhibere, cum in *Actis Anni 1731 Menſe Jun. pag. 252* recenſio ejus exſtet. Animus erat *Tindalio* libri hujus *alteram Partem* publicæ luci exponere, in eaque contra miracula Chriſti ex inſtituto diſputare, ſed morte præventus impia hæc conſilia implere non potuit. Die enim 15 Aug. A. 1733 diem ſuum obiit, anno ætatis 78. Utinam cum *Tindalio* & ſcripta periiſſent, publicæ luci ab eo deſtinata. Sed, quam vivus impugnavit Chriſtianam Religionem, eidem & poſt mortem voluit adverſari. *Euſtathio* enim *Budgello* manu ſua exarata ſcripta ante obitum eo tradidit conſilio, ut typis imprimi curaret. Qui quidem id nunc agit, ut *altera Pars* libri, cujus index, *Chriſtianity as old as the*

Crea-

Digitized by Google

Creation, prodeat. Idem etiam alios *Tindalii* Commentarios politici & philoſophici argumenti recudi curabit, manu quoque exaratos, & a *Tindalio* elaboratos, libros alios, e. g. de fine pœnarum infernarum Commentarium, editurus. *Tindalius* moriens *Euſtathium Budgellum* hæredem 2000 librarum fecit, ſi quidem recte ſeſe habet teſtamentum, quod hanc in rem profertur. Non deſunt enim in Anglia, qui, ab ipſo *Budgello* illud ſuppoſitum eſſe, arcte tenent atque propugnant. Sed noſtrum non eſt, hanc controverſiam finire. Illud potius obſervari meretur, quod *Budgellus* omni ſolertia id agat, ut *Tindalius* laudetur. Eam enim in rem iis nummorum aureorum atque argenteorum præmium conſtituit, qui optimis Epigrammatibus, vel Anglicis, vel Latinis, *Tindalium* celebrabunt. Novem hunc in finem elaborata Epigrammata ſcripto, cujus index, *the Bee*, jam ſunt inſerta, quibus impiis plane elogiis *Tindalius* effertur. Deo enim ſimilem eum dicere non reformidant. In (TAB. V Fig. 4.) eodem ſcripto nummus in æs inciſus reperitur, quorum aliquot inter optimos *Tindalii* laudatores diſtribuentur. In illo ab una parte *Tindalius* amictu Græci Philoſophi conſpicitur, manu libros tenens, pedibus vero Hydram calcans. Supra caput ejus Sol ſplendens eſt, cum inſcriptione: *Pellendis nubibus.* Infra nomen *Tindalii* legas, additis verbis: *ab normis ſapiens.* In altera parte ſepulchrale monumentum eſt, pyramidis formam præ ſe ferens, laurisque cinctum, cui pelicanus inſidet, qui, ut pullos alat, pectus aperit. Addita eſt inſcriptio: *Sola mihi redolet patria.* In ipſo autem monumento exſtat vox: *Immortalitati.* A dextra ejus lucerna Romana eſt, a ſiniſtra Sol occidens, & adſcripta ſunt verba: *Occaſu major.* Infra monumentum legitur: *Ob. XVI Auguſti MDCCXXXIII.*

Menſe Majo hujus *Anni pag.* 214 *lin.* 2 pro *nobis* lege *notis*; *pag.* 215 *lin. penult.* pro *antea* lege *autem*; *pag.* 218 *lin. ult.* pro *ha* lege [illegible]; *pag.* 219 *lin. prima* pro a *A* lege *aA*; *pag.* 222 *lin.* 6 dele [illegible]; *pag.* 227 *lin.* 13 *ſeq.* pro $\frac{r}{B}$ *Tdx* lege ubique $\frac{1}{B}$ *Tdx*, $\frac{1}{A}$ *Tdx*.

Hoc ipſo *Menſe Septembri pag.* 411 ad marginem *lin.* 7 pone: *TAB. V Fig.* 3.

*)o(*

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCXXXV.

ROBERTI STEPHANI THESAURUS LINguæ Latinæ. Editio nova, prioribus multo auctior & emendatior.

Tomi IV.

Londini, typis & impenſis Sam. Harding, 1734, fol. maj. Tom. I Alph. 8 pl. 17, Tom. II Alph. 7 pl. 13, Tom. III Alph. 7 pl. 11, Tom. IV Alph. 6 pl. 17.

Eam habuit jam quondam Græca lingua felicitatem, ut a Grammaticis & Schola potiſſimum Alexandrina in variis Voluminibus, quæ Lexica appellamus, quod ad vocabula attinet & loquendi genera, explicata fuerit & poſteris transmiſſa. Contra ea, qui idem negotium illuſtrandæ Latinæ linguæ gratia inter veteres ſuſceperint, habemus ſane pauciſſimos, ſi quidem ullos, qui ſuperſint. Lætiora vero hac in parte recentioribus temporibus fata habuit Latini ſermonis amplitudo. Nam, quo pauciores poſt renatas literas, & noſtro inprimis Seculo, Græcis condendis Lexicis ſtudium ſuum dicarunt, eo plures in componendis Lexicis Latinis operam ſuam ſtudiumque collocarunt. Quo in numero non ſane ultimum locum tenuit *Robertus Stephanus*, qui *Theſauro Linguæ Latinæ*, ſeu *Foro Romano*, reliquis Lexicorum conditoribus palmam omnino dubiam reddidit. Sed, cum multa in eodem vel omiſſa, vel perperam allata, propter inopiam

Digitized by Google

librorum ſatis accurate expreſſorum, eo, quo *Robertus* vixit, tempore recentioris tempeſtatis Viri & accuratioribus & pluribus libris inſtructi animadvertiſſent, jam diu in optatis fuit eruditis, ut Theſaurus ille a ſcoriis, ut ita dicamus, ſuis purgatus iterum prodiret in lucem. Nec defuerunt, qui animum ad hanc ipſam rem appulerunt, & novam *Stephaniani* Fori Romani editionem moliti ſunt. Nam, præter *Carolum* & *Henricum Stephanos* ac *Miltonum*, ineunte hoc,quo vivimus, Seculo *Sodalitium Baliolenſe*, quod Oxonii eſt, inprimisque *Ladolphus Kuſterus*, in perpoliendo ampliandoque *Roberti* noſtri Theſauro de induſtria elaborarunt. Quoniam vero horum omnium labores & conatus vel injuria temporis vel fatum immaturum, intercepit, denuo tanto tamque egregio Operi manum admovendam duxerunt Viri, quos Cantabrigia habet in Anglia, doctiſſimi. Sunt illi, quemadmodum ex ſubſcriptione Dedicationis huic Theſauro ad Regem Britanniarum præmiſſæ, perſpici poteſt, *Edmundus Law*, *Joannes Taylor*, *Thomas Johnſon*, & *Sandys Hutchinſon*. His igitur Viris *Roberti Stephani* Theſaurum Linguæ Latinæ emendatiorem & auctiorem res debet literaria publica, & ſine dubio gratiſſimo lætiſſimoque animo debebit. Nam ita ſunt in hoc negotio verſati, ut, quæ a *Stephano* erant omiſſa, adderent, quæ ab illo perperam dicta, emendarent, & inprimis Autorum locos curatius afferrent, adjectis Libris, & Capitibus, aut Verſibus. Quod quo facilius aſſequerentur, illa, quæ Viri doctiſſimi in *Fabro* perpoliendo attulerant, diligentiſſime in uſus ſuos converterunt, &, quemadmodum antea ex *Stephano* *Faber* locupletatus fuerat, nunc illum ex hoc partim auxerunt, partim emendarunt. Quocirca, licet illum, quem præſcripſerat ſibi *Robertus* in Theſauro ſuo, ordinem in noviſſima hac editione retinendum duxerint, reprobato illo ac rejecto, qui eſt in *Fabro*, quoque derivata & compoſita ſimplicibus ſuis & primitivis, nulla habita ratione literarum initialium, ſubjiciuntur, tamen ex hoc ipſo fonte plerumque hauſerunt, quæ in *Stephano* adhuc deſiderabantur, & quæ Autorum ſuppeditavit lectio, *Stephani* ætate in Bibliothecarum latebris

Digitized by Google

bris delitescentium. Quo pertinent *Phædrus*, *Syrus*, aliique a *Borrichio* annotati, inprimisque Inſcriptiones, & alia id genus monumenta. Quo factum eſt, ut non ſolum complures novæ voces in hac demum editione acceſſerint, verum etiam novæ vocum interpretationes pæne innumerabiles. Ea enim, quæ in *Fabri* Theſauro a Cel. *Geſnero* primum edito leguntur, nunc in *Stephano* quoque reperiuntur, exceptis iis, quæ in noviſſima *Fabri* editione a laudato Viro hoc ipſo anno in lucem emiſſa denuo acceſſerunt. Mirum in modum etiam locupletarunt *Stephanum* Patrum, quos vocamus, Eccleſiaſticorum teſtimonia & loquendi genera, quæ, uti a *Roberto* prorſus omiſſa fuerant, ſic nunc, præeunte *Fabro*, recepta ſunt, & ſuo quæque loco allata. Ipſa ſcribendi ratio, quam orthographiam appellamus, perperam ante tradita, & a *Stephano* exhibita, in multis pariter verbis immutata eſt. Sic pro *accerſo*, & *author*, quæ *Robertus* dederat, nunc cum Criticis recentioribus, & id quidem rectius, ſcribitur *arceſſo*, & *auctor*. Pari ratione in compluribus locis alia plane ac nova nunc traduntur, rejectis iis, quæ Autor præceperat, e. g. in v. *Andatabata*. Cumque noſtra maxime ætate de puritate linguæ Latinæ inter Criticos diſputatum fuerit, ea quoque doctiſſimis Editoribus annotare nonnunquam viſum fuit. Atque huc ſpectant, quæ in v. *intercedo* monentur. Vulgo hoc verbum ita ſolet uſurpari, ut *intercedere* notet *deprecari pro aliquo*, de quo ſignificatu acquieſcunt in Cel. *Geſneri* ſententia, qui eum non ſolum in priore, ſed & noviſſima, *Fabri* editione improbaverat, quippe idoneis exemplis nondum probatum. Et ſane, quamvis in eo adſtruendo fruſtra laboraſſe videantur *Borrichii*, tamen, ne plane barbarus & antiquis inauditus habeatur, intercedit *Macrobius* Autor non ſpernendus, qui *Saturnal. Lib. II Cap. 3* dixit: *Si obtinueris, & pro nobis intercede*. Verbum *revertor Ciceronis* ætate in præterito extuliſſe Romanos *revertit*, non *reverſus eſt*, contendunt Critici, & Cel. *Heineccius* primos adhibuiſſe affirmat *Aſconium Pedianum*, *Phædrum*, &c. Atque huic etiam opinioni accedere videntur Angli, quando, *Cellarium* ſecuti, ex

Digitized by Google

Hirtio & *Phædro* afferunt, nec meliora tradente *Fabro.* Sed immerito damnari perfectum *reverſus eſt*, & aurea ætate eximi, *Cornelius*, Scriptor caſtiſſimus, probat *II, 5, 2: Minus diebus triginta in Aſiam reverſus eſt.* Optandum tamen eſſet, ut Viri doctiſſimi in hoc genere majorem nonnunquam diligentiam & accurationem adhibuiſſent, & ſolicitius annotaſſent barbaras vel voces, vel vocum notiones, a Criticis notatas. Quod ſi factum fuiſſet, plura vel rectius dicta, vel copioſius, afferri potuiſſent. Nihil enim monuerunt Angli de illa ſignificatione vocis *perſona*, qua hominem ſonat quemcunque, quæ tamen, autore *Borrichio*, in *Fabro* ſiſtitur. Omiſſa eſt illa notio particulæ *juxta*, qua notat *ſecundum oraculum*, &c. quam vero hoc ſenſu non ſolum *Hieronymus* & *Solinus*, teſte *Fabro*, ſed & *Juſtinus*, non ſemel habet, *I, 7, 1, II, 12, 15, & XII, 3, 11.* Nec tactus eſt ille ſignificatus nominis *proximus*, quo vulgo pro *alio homine* adhibetur. Nam tametſi duo illi *Quintiliani* loci, qui in *Fabro* pro eo ſtabiliendo allegantur, recte ita accepti fuerunt, ut vicinum, non alium quemvis hominem, deſignent, tamen hoc magis neceſſarium fuiſſe videtur, quædam hic monere, quod in *Fabro*, ne recentiſſime quidem edito, refragante, huc quoque invita Minerva tractum fuit *Terentianum* illud: *proximus egomet mihi*, ita quidem, ut dubium nobis non videatur, quin hic ſignificatus mere ſit Biblicus & Eccleſiaſticus, nec Romanis priſcis unquam auditus. Adjectivum *prolixus*, & adverbium *prolixe*, quando de ſermone & oratione id ætatis frequentatur, pro barbaro habetur ab inſtauratoribus purioris Latinitatis. Quocirca non negligendus penitus eſt in Lexicis hic ſignificatus, qui, quoniam ne in *Fabro* quidem vel rejectus fuit, vel ſtabilitus, barbarorum numero eximitur *Macrobio* & *Gellio*, quorum hic adverbium *prolixius XII, 1*, ille vero adjectivum *prolixus*, *Saturn. III, 7*, ſenſu, quem diximus, illo poſuerunt. Idem dicendum de nomine *ſuperfluus*, quando pro *ſupervacaneus* collocatur, quod, licet nec Angli, nec *Faber*, annotaverint, tamen ex *Plinio* jam produxit *Cellarius*, cui jungi poteſt *Seneca Epiſt. XLVI.* Negare quidem non poſſumus, corruptam Scriptorum lectionem, a

Stephe-

Digitized by Google

Stephano repræſentatam, doctiſſimos Editores multis in locis ſuſtuliſſe, & meliorem, a Criticis ope Codicum exhibitam, ſubſtituiſſe. Sed in his quoque quædam remanſiſſe, ex *Stephano* ſine dubio eliminanda, obſervavimus. Provocaverat *Robertus* ad probandum adverbium *pacate* ad *Julium Cæſarem*, ex eoque protulerat verba, *pacate per provinciam iter facere*. Et, quanquam *Cellarius* jam monuerat, non inventum eſſe locum in *Cæſare*, tamen in *Fabri* Theſaurum hæc ipſa translata fuerunt a *Stubelio*, & additus locus *Cæſaris Lib. I Cap. VI de Bell. Gall.* Atque hoc etiam, ni' fallimur, duce ipſum locum *Cæſaris* adjecerunt Angli, cum tamen in *Cæſaris* editionibus, quas vidimus, omnibus non *pacate*, ſed *ſine ullo maleficio*, legatur, ita, ut rectiſſime reſectus hic ſit locus in noviſſima *Fabri* editione; ubi vero, quoniam *Petronii* tantum autoritas, quam *Andr. Borrichius* produxit primus, laudatur, aureæ nos ætati verbum inſerimus *Ovidio* autore ex *Pont. I, 2, 109*:

Denique, ſi moriar, ſubeant pacatius arva
Oſſa, &c.

Corrupta etiam & minus proba lectione *Ovidii Epiſt. Heroid. VI, 153*, retinuerunt Editores nomen *ſuccuba*, a *Roberto* propinatum, pro quo emendatiores libri & editiones habent *ſubnuba*, quemadmodum recte etiam confirmat *Faber*. Perperam porro Lexicographi omnes eruditis obtrudunt nomen *lapicidina* in ſingulari, quod plurali tantum numero uſitatum fuiſſe, conſtans evincit uſus Autorum. Itaque & *Roberti* & *Fabri* Theſauro indignum eſſe exiſtimamus ſingularem numerum, quem nobis inculcant. Inſignis æque in utroque Theſauro nævus conſpicitur in v. *advocare*. Inter varias hujus verbi notiones illam quoque *Stephanus* adduxit, qua eſt *advocati officio fungi*, & ad eam probandam attulit *Senecæ* verba *de Brevit. vit. Cap. II*: *Hic advocat, hic adeſt, ille periclitatur, ille defendit*. Sed quis non videt, graviter lapſum eſſe *Stephanum*, cum *advocare Senecæ* ſit *amicos advocare* & *rogare*, non autem *advocati officio fungi*, quod potius verbum *adeſſe* hoc in loco ſignificat. Nihilo ſecius ſine ulla mutatione aut nota Angli barbaram retinuerunt notionem; nam ita eam

minime; vero *ſein mächtig ſeyn*. Verbum *ſpeculor* omnia Lexica derivant a *ſpecula*, & proprie notare clamant, *e ſpecula proſpicere*. Nolumus quidem hanc ſententiam penitus rejectam; quo minus tamen eidem ſine ulla dubitatione ſubſcribamus, ſignificatus hujus verbi a nemine, quod ſciamus, obſervatus prohibet, qui cum valeat *in ſpeculo intueri*, tum fortaſſe non ſine cauſa pro proprio accipi poteſt, ita, ut *ſpeculor* a *ſpeculum* deſcendat, & hoc nomen familiam ducat rectius, quam *ſpecula*. Sic enim hoc verbum legitur in *Seneca Nat. Quaeſt.* I, 16: *Speculabatur illam libidinem oris ſui, ſpectabat ſibi admiſſos pariter in omnia viros.* Tantum vero abeſt, ut hæc, quæ dicta ſunt, eo nomine a nobis commemorata fuerint, quod de præſtantia utriusque Theſauri detractum eſſe velimus, ut hæc ipſa, pro communi literas promovendi ſtudio annotata, Viris doctiſſimis non ingrata fore ſperemus. Cum enim ipſi Editores Angli ſe fateantur plurima in *Stephano* reliquiſſe feliciori Seculo tollenda; injurii ſane in humanitatem eruditiſſimorum Virorum eſſemus, niſi eos qualicunque monita noſtra æqui boni facturos confideremus. Neque quisquam tam iniquus rerum erit æſtimator, qui invidus ſit ingentem illam laudem, quam nova hac editione Stephani ſibi pepererunt, denegaturus. Quod niſi quidquam amplius in evulgando iterum *Roberto* præſtitiſſent, quam quod Autorum locos ſecundum Libros, Capita, vel Verſus, a *Stephano* [illegible]tum non ubique præteritos, curatius allegaſſent, immortali ſane beneficio & merito prorſus incomparabili orbem eruditorum ſibi obſtrinxiſſent. Cum vero huic promerito accedant inſignes Emendationes, Explicationes plurimæ, Supplementa innumera; neminem humanitatis paulo ſtudioſiorem adeo inhumanum exiſtimamus, quin maximas ſit & immortales gratias Editoribus *Stephani* habiturus. Iis enim debemus, quod nunc in *Stephaniano* Theſauro quoque cernantur literarum Notæ, quæ priſcorum Romanorum nomina & dignitates in veteribus monumentis deſignabant, a *Sertorio Urſato* collectæ. Iisdem debemus, quod in *Stephano* acceſſerint publicæ Romanorum formulæ, earumque explanationes, ex *Piliſco*, *Spanhemio*, aliisque

que

que hauſtæ, nominatis ubique Autoribus, qui breviſſimis tradita declarant uberius. Quid? quod errores, non ab ipſo *Stephano* tantum, ſed & ab aliis Lexicographis, commiſſos, aperuerunt. Vulgo formula, *ad umbilicum ducere*, ex *Horatio Epod. XIV*, 8, affertur, eundem errorem errante *Fabro*. Sed omnes, ut rectiſſime obſervarunt Angli, *Horatii* editiones, ne *Stephanica* quidem excepta, *adducere ad umbilicum* conſtanter legunt. Ex quibus ſatis ſuperque apparet, dignam omnino hanc Theſauri *Stephaniani* editionem eſſe, quæ omnibus etiam atque etiam commendetur, dignam quoque, quæ in Germania typis iterum exſcribatur, præſertim ſi, qui remanſerunt, nævi tollerentur, &, quæ ex Criticis addi poſſent, adjicerentur. Dubium ſane nobis eſt nullum, quin *Stephanus* hac ratione longe ſit anteceſſurus *Fabrum* & locutionum copia, & obſervationum multitudine. Ceterum hæc ipſa editio nitidiſſime ſatisque accurate exſcripta eſt, & in Præfatione Lexicorum Latinorum, quæ poſt renatas literas prodierunt, hiſtoriam continet, quæ, ut ipſe Autor fatetur, locupletior evaſiſſet, ſi Cel. *Walchii Hiſtoria critica Linguæ Latinæ* citius ipſi innotuiſſet. Sic enim ſolummodo agitur *de Catholico Joannis de Janua, de Papiæ Vocabulario, ſive Erudimento elementario, de Hugutione, ſive Ugutione, de Joannis de Garlandia Synonymis & Æquivocis, de Simone de Janua, de Mammothrepto, de Gemma Gemmarum, de Neſtore Dionyſio, de Joannis Tortellii Dictionario vocum Latinarum, de Juniano Majo, de Joannis Reuchlini Breviloquo, ſeu Dictionario Latino, de Nicolai Perotti, Sipontini, Cornu copiæ, de Calepino, de Marii Nizolii Theſauro Ciceroniano, de Baſilii Zanchii Epithetorum Latinorum Theſauro, de Roberti Stephani Theſauro, de Cœlii Secundi Curionis Foro Romano, de Theodoſii Trebellii Promptuario univerſæ Linguæ Latinæ, de Stephani Doleti Commentariis, de Marci Frid. Wendelini Medulla Latinitatis, de Roberto Conſtantino, de Joſepho Laurentio, de Georg. Matth. Kœnigio, de Fabri Theſauro*, aliisque, qui ex *Stephano* ſapuerunt. Præmiſſa etiam eſt vita *Roberti Stephani*, ex Hiſtoria *Stephanorum* & Annalibus Typographicis deſumta.

Digitized by Google

LES MONUMENS DE LA MONARCHIE Françoiſe, &c.

h. e.

MONUMENTA FRANCICÆ MONARCHIÆ, quæ Franciæ Hiſtoriam complectuntur, cum iis cujusque Regni Figuris, quibus injuria temporum pepercit, per R.P. BERNARDUM DE MONTFAUCON, Benedict. de Congreg. S. Maur.

Tomus V.

Pariſiis, apud Julium Michaelem Gandovin & Petrum Franciſcum Giffart, 1733, fol.

Alph. 5 pl. 5, cum Tabb. æn. 58.

Complectitur hic *Tomus V*, qui eſt univerſi Operis ultimus, monumenta, quæ illuſtrant res *Henrici II*, *Franciſci II*, *Caroli IX*, *Henrici III*, atque *Henrici IV*, qui cognominatus eſt *Magnus*, Regum Franciæ. Quorum quidem Regum ævo tanta vis eſt invecta vel lignearum, vel ænearum, Tabularum, quæ pugnas, obſeſſas aut captas urbes, cædes, ſeu carnificinas, colloquia, conventus, omnisque generis ſpectacula, exhibent, ut Cel. Autori neceſſe fuerit delectu uti, & ea maxime momenta proferre, quæ veſtium ar-
Pag. 6. morumque modos varios repræſentant. *Henricus II*, gnarus, non diuturnam ſibi fore cum Imperatore pacem, Burgundiam inviſit, ut eam propugnaculis & copiis contra Cæſareos muniret, &, ſuperatis Alpibus, in Pedemontium deſcendit, atque, illinc Lugdunum redux, Reginam ibi uxorem invenit. Tam magnifice Lugdunenſes Regem ſuſceperunt, ut, inter alia ſpectacula claſſica, pugna ludicra committeretur, Rege in maxima navium ſedente, in cujus medio aula grandis erat, & cujus exterior facies paraſtatis erat ornata, quemadmodum eam prima
9. Figura refert æri inciſa. Inde Rex, Lutetiam ingreſſus, ſpectaculi tantum cauſa arcum fieri juſſit, qui *S. Antonii* vicum ante Turricularum Palatium occupavit, & portæ formam cujusdam

juſdam urbis retulit. Cum Regina Scotiæ, ſoror *Franciſci Guiſii*, defuncti Regis uxor, in Franciam trajeciſſet, filiam ſuam, *Franciſco Delphino* deſponſatam, *Mariam*, inviſura, maximo ſplendore ac pompa Rothomagi ab *Henrico* excepta fuit. Ex qua ſolennitate in quinque Tabulis inciſis exhibendos curavit Cel. *Montfaucon* unicornes, ſeu equos unicornium more cornutos, qui currum trahunt religionis, quam exhibet mulier, manu tenens Eccleſiam, comitantibus ipſam plurimis aliis fœminis coronatis. Pone currum vir comparet, parvam ſtatuam gerens B. Virginis & Jeſu infantis. Qui unicornes ducunt, Orientalium more veſtiti ſunt. Deinde ſequuntur elephantes, ſive equi elephantorum ritu compoſiti, qui geſtant vaſa ignea, ſive arma, ſive turriculas, in quarum feneſtris quidam ſpectantes cernuntur. Tum viſitur currus, qui felicis fortunæ currus inſcribitur, apertus totus, equorum bigæ junctus. In curru ſedet vir, Regi vultu ſimilis. Pone illum in eminentiore ſede conſpicitur fortuna alis, quæ Regem coronat, & in anteriore currus parte quidam pueri & puellæ, Regem comitantes. Poſt Regem eques incedit juvenis quiſpiam, qui *Franciſcum Delphinum* repræſentat. In ſpectaculo, quod in ipſo Sequana fluvio propoſitum, & fluvii triumphus appellatum eſt, Neptunus eſt Deus cum tridente, qui ſuper aquas in curru ſedet. Amphitrite vero in altera parte Tritonibus inſidet. Marini quoque Dii alii conſpiciuntur, magnis piſcibus aut monſtris vecti. Profertur etiam Tabula *Henricum II* in lecto decumbentem, & lethali vulnere ſaucium, referens, ex tabula lignea, ipſo tempore facta, deſumta, in qua *Henricus* decumbit in ædibus regiis Turricularum. Prope cervical ejus eſt Cardinalis Lotharingus, extenſis manibus infelicem caſum deplorans. Paulo ulterius eſt *Catharina* Regina, junctis manibus lachrymans. Inter ambo, ſed retro, poſitus eſt *Montmorancius*, Conſtabularius, petaſum capite geſtans, quemadmodum hæc in tabula veteri diſerte notantur. Junior Princeps, qui in eodem latere extremam fere partem occupat, *Franciſcus Delphinus* eſſe videtur Autori, & tres fœminæ, quæ a tergo viſuntur, *Margarita*, Regis ſoror, *Eliſabetha*, &

Pag. 11 ſeq.
62.

Digitized by Google

Claudia, Regis filiæ, quarum illa Hiſpaniarum Regi, hæc vero Lotharingiæ, Duci nupſit, &c. *Franciſci II* tempore Amboſiana conſpiratio contigit, quæ in tabula lignea eodem tempore delineata refertur. In ſuperna parte viſitur Amboſianum oppidum cum ponte Ligerim trajiciente. In altera autem latere Noſæum caſtellum conſpicimus, ubi *Caſtelnovus* & ſocii cum *Nemoroſio* Duce deditionis pacta ineunt, & poſtea Amboſiam ducuntur. In ima tabulæ parte *Pardillanus* & *Renaudius*, ſe armis impetentes, exhibentur. In tabula veteri & in explicatione ſubjuncta hæc referuntur, a præcipuis Hiſtoriæ Scriptoribus non memorata. *Renaudius*, in *Pardillanum* irrumpens, ab equo ſuo ſe arrigente dejicitur. *Pardillanus* ſclopetum minorem explodere tentat; ſed ſclopetus ignem non concipit. *Renaudius* pedes ipſum iterato gladii ictu confodit & interimit. Ipſe *Renaudius* ſclopeti ictu, a quodam ex *Pardillani* ſequacibus emiſſo, lethali vulnere afficitur. Nota vero ad imum veteris illius tabulæ poſita, refert, a *Renaudio*, ictu mortifero confoſſo, eum, qui ſclopetum emiſerat, gladio interfectum eſſe. Poſtquam *Caſtelnovus* captus, & *Renaudius* occiſus erat, aliquot Reformatorum Duces, ut Amboſiam invaderent, acceſſerunt. In altero latere quidam Reformatorum equites ad portam occupandam accedunt, & a præſidiariis repelluntur. In altero autem latere pedites in ſylva ab equitibus Catholicis profligantur, ubi ſimul obſervatur, ex pugnatoribus utriusque partis alios petaſis, alios galeis, capita tegere. Ad Colloquium, quod tempore *Caroli IX* Poſſiaci religionis cauſa, inter Pontificios & Hugonotos habitum eſt, illuſtrandum profertur tabula, in qua inſculptum & delineatum fuit eo ipſo tempore Concilium. Rex in ſuperna tabulæ parte viſitur ſedens, & ad ſiniſtram ejus ſedet Regina, mater ipſius. Ad dexteram Regis eſt *Alexander*, frater ejus, qui poſtea *Henricus* appellatus eſt, ad cujus dexteram eadem linea eſt Rex Navarræ. Ad ſiniſtram Reginæ matris eſt *Margarita*, Regis ſoror, & ad ſiniſtram iſtius Regina Navarræ. Regii ſanguinis Principes, & poſtea Proceres, poſteriores ordines occupant. Qui in conſeſſum admiſſi fuerunt, ſuis in locis

[Margin notes: "Pag. 81 ſeq." beside line 2; "105." beside the line beginning "capita tegere."]

Digitized by Google

locis deſignantur in tabula. Duodecim Miniſtri Reformatorum oblonga veſte ſtant, dum ceteri omnes, qui ad Colloquium convenerunt, ſedent. Quemadmodum pugna Drocenſis in Pag. 130.
multis fuit tabulis delineata, ſic duas potiſſimum delegit Autor, quæ Conſtabularii cladem, *Condæum* Principem captum, & *Guiſii* Ducis victoriam, referunt. In prima tabula conſpicitur prima acies, quæ ſtat immota, Duce *Guiſio* rem bene gerendi occaſionem captante, & clades mediæ aciei, cujus Dux Conſtabularius captus fuit, fuga Germanorum peditum hoſtem non expectantium. In ſecunda tabula prima acies denuo cernitur *Guiſio* Duce, qui equitum agmen emittit, a quo profligantur plurimæ turmæ Francorum *Condæani* exercitus. In ſuprema tabula *Helvetii* Regii, ſæpius impetiti, & a *Condæis* perrupti, ordines ſemper reſtaurant, cum contra Germani pedites *Condæani*, Francos pedites ſui exercitus fractos videntes, ne expectato quidem hoſte, fugam capeſſunt. Germani etiam Equites *Condæani* receptui canunt. In ima tabula Princeps *Condæus* in ſylva captus conſpicitur. Præfectus vero maris fugaces turmas excipit, & in ordines redigit. Celebris illa 133.
Aureliani obſeſſio ſic in tabula exhibetur. Dux *Guiſius* in Flumentaneo ſuburbio, quod ceperat, obambulans ſiſtitur obſervandi cauſa. Jam Turriculas expugnaverat, ubi pyria tormenta contra urbem directa conſpiciuntur. In ima tabula hinc Franci, Vaſcones, & Hiſpani pedites, inde vero Helvetii, obſervantur. Inſtituit *Henricus III* Equitum Ordinem San- 249.
cti Spiritus, cujus creationis tabula ex ſcriniis *Gagnerianis* educta traditur. In ea Nivernenſis Dux genu flexus comparet, quia primus ille Principum & Procerum ordinem & torquem accepit. In ima tabulæ delineatæ parte hæc *Gagnerii* nota legitur: Prima cerimonia Ordinis Sancti Spiritus, inſtituti ab *Henrico III*, Rege Franciæ & Poloniæ, apud Auguſtinianos Pariſinos A. 1579 Eques, qui ſupra Sancta Evangelia ſacramentum præſtat, eſt *Ludovicus Gonzaga*, Princeps Mantuanus, Dux Nivernenſis, *Ceverinus*, Cancellarius, librum tenet, ut Eques Ordinis. Ipſe *Henricus III* in tabula depicta cum 311.
pretioſioribus veſtibus cernitur, palliolum humeris geſtans,

Digitized by Google

quod ultra cubitum non multum deſcendit: hæc enim ipſius ævo palliorum forma fuit. Inaures geſtat, femoralia admodum brevia ſunt. In ſchemate altero veſte nigra ejusdem formæ viſitur, manum libro impoſitum tenens. In utraque
Pag. 329. vero imagine Ordinem Spiritus Sancti geſtat. Sub *Henrico IV* comparet tabula, proceſſionem, quam unionis Principes ob Cardinalis *Borbonii* mortem fecerunt, memorans, in qua Carthuſiæ Prior conſpicitur altera manu haſtam, altera crucifixum, tenens. Parvus ille Fulienſis, qui in ſpectaculo claruit, is ipſe eſſe videtur Autori, qui ſclopeti ictum emittens, alio caput convertit. Hic obſervantur quoque plurimi Capucini, Auguſtiniani, Chordaligati, cum aliis armatis viris intermixti.
366. *Henricus IV*, A. 1594 Lutetiam ingreſſus, eo ipſo tempore in tabula ænea ſculptus exhibetur. Rex, & armatorum galeam geſtantium turma, per portam novam ingreſſi, juxta fluvium gradiantur. Ipſe Rex repræſentatur lorica armatus, petaſum pluma ornatum capite geſtans. Qui primi in Regia turma incedunt, viginti quinque vel triginta Germanos illos, qui petaſos formæ ſat ſingularis geſtant, vel occidunt, vel in flumen
432. conjiciunt. Denique *Henrici IV* in ſchemate ſtans ſiſtitur, menſæ innixus, in qua petaſum ejus formæ, quæ tunc in uſu erat, depoſuit, veſte nigra, thorace & inflatis femoralibus indutus, mediocris ſtaturæ, recte compoſitis membris. Clauditur & hic *Tomus V* Indice rerum ſatis copioſo.

CHRIST. HENR. TROTZ, JCTI, TRACTAtus Juris de Memoria propagata, ſeu de Studio veterum memoriam propagandi.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. Kroon, 1734, 8.
Alph. 1 pl. 20.

Occaſionem elegantiſſimo libro huic præbuit *l. 16 de uſu & uſufr. leg.* quæ anxiam & meticuloſam Romanorum diligentiam poſt fata memoriam ſuam conſervandi deſcribit. Hinc in memoriam revocavit ſibi Conſultiſſ. Autor, jam nitidiſſimis

diſſimis *Gothofredi* & *Wachtleri* Opuſculorum editionibus, quas pulcherrimis elaboratiſſimisque Præfationibus non tam inſtruxit, quam mirifice ornavit, percelebris, triſtem & damnatam memoriam, juſtiſſimum atrociſſimorum delictorum vindicem. Denique progreſſus eſt ad veniam, quam judices capitalium criminum reis nonnunquam facere ſolent, & ſic memoriam reſtitutam reperit. Enatæ inde ſunt *tres* Operis *Sectiones*. *Prior*, quam jam perluſtrare aggredimur, memoriam propagatam exhibet. *Altera* & *tertia*, ſucceſſu temporis, damnatam & reſtitutam memoriam exponent. Subſidia fere habuit nulla Autor, niſi quæ priſcæ Hiſtoriæ & Antiquitatis divitiæ ipſi ſuppeditarunt. Raro incidenter aliquid monuit Scriptor, cujus ſuo loco honorificam fecit mentionem. Plurima indefeſſæ Autoris debentur induſtriæ, qui optima quæque ex ampliſſima Antiquitatum ſupellectile ſelegit, juſto ordine diſpoſuit, & nonnunquam novas legum & veterum Scriptorum interpretationes attulit. In *novem Capita priorem* de memoria propagata *Sectionem* partitus eſt Conſultiſſ. Autor. *Caput I* de *Studio veterum memoriam ſui propagandi* agit; *Caput II Liberos firmiſſima memoriæ conſervandæ fulcra eſſe*, oſtendit; *Caput III Honori nominis* conſecratum eſt; *Caput IV Conditionem nominis ferendi* explicat; *Caput V Memoriam priſtinæ dignitatis* ſiſtit; *Caput VI*, *Memoriam poſt fata honorandam atque tuendam eſſe*, docet; *Caput VII Officia viventium*, *memoriam defunctorum violatam defendendi*, perſequitur; *Caput VIII* de *Memoria defunctorum ab injuriis vindicanda* tractat; *Caput IX* de *Legatis & fideicommiſſis memoriæ conſervandæ cauſa relictis* exponit. In quibus ſic verſatur Autor, ut in tanto præſtantiſſimarum rerum apparatu difficile ſit optima ſelectiſſimaque dare Lectoribus. Id enim ſalva veritate & ſecundum animi conſcientiam ingenue fatemur, vix eſſe quidquam in hoc Libro, quod non ſit ſelectiſſimum. Nihilo minus, priſtini moris tenaces, quasdam Libri particulas cum Lectoribus noſtris communicabimus. Impenſe laudandi illi ſunt, qui eo dies noctesque cogitationes ſuas intendunt, ut, poſteaquam has mortalitatis exuvias depoſuerint, nomen

Digitized by Google

men ipſorum nunquam emoriatur, ſed cum ipſa certet immortalitate. Hoc inſigne memoriam ſuam propagandi ſtudium commode
Pag. 4. definit Conſ. Autor per *appetitum, ſolidis virtutum fundamentis ſubnixum, famam bonam ad ſeros poſteros propagandi, nominisque claritatem poſteritati commendandi.* Inde conceptæ formulæ: *Semper meminero. Dum ſanitas conſtabit, pulchre meminero.*
8. Jureconſulti ſcrinium Principis & Archivum memoriam appellant, quibus præerat memoriæ magiſter, cujus nomen in *l. 11 C. de excuſat. muner.* & marmoribus fre-
24 ſeq. quentiſſime occurrit. Mirifice nobis placuit peramœna atque jucunda excurſio, qua perverſos veterum inclareſcendi
31. modos recenſet, & juſtiſſime notat: Nullum profecto gravius memoriæ propagandæ obſtaculum objiciunt, præterquam calumniatores, qui falſis fictisque criminibus nomini noſtro æternam infamiam inurere conantur. Hanc calamitatem experti ſunt tres JCti inter Romanos exquiſitiſſimi, quos immeritis conviciis proſciderunt ſceleratiſſimi peſtilentiſſimique homines. Digni erant Triumviri illi, qui nanciſcerentur tam fortem gloriæ ſuæ vindicem, & graviſſimum ſcelerum, ipſis præter jus fasque objectorum, ul-
33. torem. Primum inter illos locum aſſignat *Antiſtio Labeoni*, viro bono, & ſtrenuo libertatis propugnatori, quem *Horatius inſanum, novatorem Pomponius*, appellavit. Sed ſola invidia obſtitit *Labeoni*, juncto autoritatis præjudicio. In-
35. primis inſaniæ maculam *Labeoni* affictam, quam neminem tentaſſe ſcribit, (tentavit autem, etſi breviter, Conſ. *Jenichius* noſter in Commentatione *de efficaci mulierum teſtimonio* p. [illegible]
39. ed. ſecundæ,) ab ipſo abſtergit. Secundum locum tribuit *Priſco Javoleno*, quem *Plinius* junior, extrema adductus malitia, inter inſanos & mente captos retulit, quem breviter defendit contra *Plinianam* injuriam, & inter antiquos id feciſſe *Franciſcum Sarmientonem Lib. II Select. interpret. Cap. XI*, monet. Adeo ut uno eodemque tempore bini Viri, *Trotzius* ſcilicet, & *Jenichius*, amice conſpirarent in vindicanda *Javoleni* fama, improbe læſa a calumniatore inſigni, *Plinio*. Unum, vellemus, omiſiſſet *Trotzius* argumentum, quo *Javoleni* ſimplicitatem

laudi-

Digitized by Google

laudibus celebrari a *Plinio Lib. VII. Epiſt. XV.* ait. In ea enim, quam in partes ſuas vocat, Epiſtola non de *Priſco Javoleno*, ſed de *Priſco Neratio*, loquitur *Plinius*, cujus frequens & aſſidua in *Plinianis* Epiſtolis mentio fieri ſolet. Adjungit his Pag. 40. Duumviris *Alſenum Varum*, quem, priusquam JCtus evaderet, ſutrinam exercuiſſe perhibent. Sed vix veroſimile eſſe arbitratur Conſ. Autor, quemadmodum ſutor intra tam breve & exiguum temporis ſpatium Philoſophi acutiſſimi, Grammatici non ſpernendi, œconomi & patrisfamilias optimi, atque JCti ſummi, laudem gloriamque conſequi poſſit. Præterea non conveniunt *Horatii* interpretes, *ſutor* an *tonſor* ſit legendum, & utrum *Horatius* JCtum intellexerit, vel ne? Tum res portento ſimillima videtur, ſutorem tam ſubito in arctiſſimam Magnatum familiaritatem ſe inſinuaſſe, & eorum adjutum gratia ad ſplendidiſſimam Conſulatus dignitatem adſpiraſſe. Deinde patris *Alſeni* memoria, uti conjicit *Bertrandus*, apud *Dionem* celebratur, quod de ſutoris patre, homine nauci, vix dici poſſet. Denique incerta *Acronis* ætas hanc fabulam certiſſime refellit. Variis præmiis ad immortalitatem hominum 57 ſeq. animos accendebant Quirites. Pertinent huc cognomina Viris bene merentibus a Senatu tributa, ſtatuarum ponendarum honos, domus extructio ex publico, jus ſedendi in primo loco, inuſitata in publico utendi pompa, privilegium vacationis a tutelis, legationibus, & publicis neceſſitatibus. Neque mortis ſolatia invidebant ſuis. Quorſum referebant ſum- 59. tum funeris publicum, orationes funebres, in laudem clarorum Virorum ſolenni feſtoque die habitas. Præterea nomi- 72. na celebrium hominum carmini ſaliari, & faſtis inſcribebant, & picturis, Inſcriptionibus, atque numiſmatibus, magnorum Virorum conſervabant memoriam. Præcipua cauſa, cur Imperatores, liberis deſtituti, vivi ſpirantesque ſucceſſores ſibi deſignarent, fuit, ne leges eorum immutarentur. Unde ſolennem legibus formulam adſcribebant, *ne lex abrogetur.* 105. Multum lætabantur Romani uxorum fœcunditate, neque jucundum & fauſtum hunc operis conjugalis ſucceſſum in

Digitized by Google

nummis & monumentis ſepulchralibus ſilentio prætermittebant.
Egregia eſt apud *Feetwoodum* inſcriptio:

Conjugio lætus Placidæ, numeroque frequenti
Natorum exſultans vivax.

Atque adeo inviſa erat Quritibus ſterilitas, ut parum felicis uteri uxores domo exigerent, & alias ſumerent prolis pro-
Pag. 114. creandæ gratia. Veteres per ſalutem filiorum juraſſe, ex *l. 4*
115. *de jurejur.* obſervat. Graviſſima imprecationis formula fuit:
120. *Ultimus ſuorum moriatur.* Elegans non minus, quam lugubris, illa, a legum conditoribus perſæpe uſitata, formula eſt: *Si quod abominor,* qua præmaturam hæredum ſuorum mor-
150 ſeq. tem cogitatione contemplabantur. Legi meretur egregia hæc Obſervatio, qua *legem 22 C. de adminiſtr. tutel.* explicat, in qua tres rationes affectionis allegat *Conſtantinus*, ob quas tutori alienationem domus pupillaris interdicit. Prima eſt, in qua pater defecit, altera, minor crevit, tertia, in qua majorum imagines aut videre fixas, aut revulſas videre, ſatis eſt lugubre.
151. Penatibus & locis, in quibus nati fuerant Romani, ſacri ali-
160. quid ineſſe, credidiſſe eosdem, probat. Imo, antiquiſſimis temporibus legem fuiſſe, ne ſpolia hoſtium, aut alia ornamenta, ædibus affixa, a novis emtoribus revellerentur ex *l. 41 §. 1, 7,*
183. *8, 9 & 12, de Legat. I,* & *l. 21 §. 2 de Leg. III,* didicit. Inter cauſas, cur nonnulli legiſlatores SCtis nomen ſuum præponere noluerint; refert primo, quod horrerent nomen præmittere legi, cui non poſſet adſcribi: bonum factum. Deinde, ut memoria exciderent tempora illa, quæ ad tam ſalutarem ſeveritatem
294. tem leges provocaverant. In infligendis pœnis tritum illud legibus proverbium ſervandum eſſe monet: Si perſonarum conditio patiatur, & pro qualitate dignitatis reos eſſe puniendos. Sic in crimine repetundarum reum juvat generis claritas. In ipſo homicidio in conditionem perſonæ inquirunt leges, præſertim ſi ultimus gentis ſuæ ſit, aut inſigni artificis lau-
337. de clarus ſit. Infauſtum fuit legum autoribus mortis vocabulum, & tam horrendum, ut pro mori dicerent: *Excedere; abire; ſi quid mihi humanitus contingat ſi; mihi per conditionem humanam contigerit; ſi quid ei acciderit.* Præcipue

Prin-

Principum obitum propter fictionem divinitatis exceſſum dicebant, *Si Princeps ab hominibus ereptus eſt; Si Auguſta inter homines eſſe deſierit.* Pag. 338.

Tres fuiſſe rationes, quare fœminæ maritos lugeant, autore *Harmenopulo* obſervat, ne confuſio fiat ſeminis atque ob debitum pudorem & honorem marito. 419.
Cauſæ devotionum ſunt gloria poſt fata, honores, præconia, ſtatuæ, cultus divinus, oraculorum reſponſa, & voluntas Diis placendi. Has devotiones omnes, niſi pro patriæ ſalute fiant, damnandas eſſe, recte cenſet Autor. 428.
Inter alia præmia, quibus militum animos ad fortitudinem & heroica facinora perpetranda impellebant, præcipue hoc eminet, quod bello cæſorum nomina, mortis quaſi neſcia, nunquam ex albo militum delerent, præſcripta defunctorum nomini Græca litera Θ. 446.
Locum difficilem *Gen. IV, 15*, ita cum Anglis quibusdam, qui ſententiam ſuam in *the univerſal Hiſtory from the earlieſt account of time to the preſent, pag.* 74, aperuerunt, ita explicat, ſignum illud *Caino* a Deo datum non fuiſſe notam corpori impreſſam, ſed miraculum quoddam, ſive externum ſignum, quod Deus *Caino*, vix homicidii veniam ſperanti, ideo dederit, ut eo facilius crederet, cruentam fratris mortem vindicaturum neminem. 465.
Apud Græcos paterfamilias, elato occiſi hominis cadavere, teſtandi odii & ſuſpicionis amoliendæ cauſa, ſonora voce, coram univerſa adſtantium corona ad ſepulchrum exclamabat: *Non feci.* 468.
Neque minus notari debet feralis ille clamor, quem agnati apud Germanos, vindictæ teſtificandæ cauſa, excitare ſolebant, cum ſcilicet unus ex proximis ter tumulum evaginato gladio feriret, alta voce illud *Wraeck*, *Wraek*, *Wraek*, exclamans. 505.
Variis modis defunctis infertur injuria, 519.
1) in laudatione funebri & invidioſis orationibus; 520, 526.
2) ſepulturam denegando; 3) cenotaphium non erigendo; 527.
4) funus ducentes turbando; 5) cadaver defuncti ob debita detinendo; 528-531.
6) hæreditatem ſuſpectam reddendo; 532.
7) bona defuncti ſub haſta vendendo; 8) luctum negligendo; 533-540.
9) querelam inofficioſi teſtamenti male inſtituendo; 541.
10) hæreditatem recuſando; 11) calumniando 542-544.

Digitized by Google

Pag. 545. defunctum, liberisque paterna delicta objiciendo; 12) defun-
546, 547. cti viduæ ſtuprum inferendo. Certiſſimum famæ evertendæ
539. ſignum Belgis ſemper viſum fuit clavium in Sarcophago de-
poſitio, in Belgio perquam uſitata. Scilicet uxor, hæreditatem mariti adire recuſans, ob debita, vel ante matrimonium vel durante illo contracta, quotidiano veſtitu induita ante cadaver, ad tumulum uſque, clavibus domus in Sacrophago depoſitis, ſic procedere tenebatur, ut hoc pacto creditoribus declararet, ſe
565. penitus abdicaſſe hæreditate mariti. Pulchre proſpiciebant ſibi veteres, ne quis ſepulchrum, æternam illam domum, violaret, & horrendis exſecrationibus devovebant ejusmodi viola-
566. tores. Graviſſimæ exſecrationis formulæ erant: MALE. PEREAT. INSEPVLTVS. IACEAT. NON. RESVRGAT. CVM. IVDA. PARTEM. HABEAT. SI. QVIS. SEPVLCHRVM. HVNC. VIOLAVERIT.
567. QVISQVIS HOC SVSTVLERIT AVT LAESERIT, VLTIMVS SVORVM MORIATVR.
569. Livorem & avaritiam palmarias ſepulchri violandi cauſas fuiſſe, conjicit Cel. Autor. Eo uſque progreſſi ſunt impii homines, ut contumeliæ cauſa ornamenta, inſcriptiones, & ſtatuas ſepulchrales, corrumperent, luto conſpergerent, locoque moverent. Hinc in lapidibus ſequentes Inſcriptiones occurrunt: *Hoſpes ad hunc tumulum ne meias, oſſa precantur. Qui hinc minxerit cacaveritque, Deos Deasque iratos habeat.* Ipſe *Conſtantinus* violationibus hiſce infeliciſſimam præbuit occaſionem, qui A. 333 omnes aras ac imagines, quibus & gentilium ſacra ornata erant, dirui juſſerat, quo prætextu nequiſſimi homines omnia ornamenta, & ipſa ſepulchra fœde deſtruebant, donec eorum malitiæ per *l. 2 C. Th. de*
595 ſeq. *Sepulchr. viol.* obex poneretur. In privatorum funeribus ludos celebratos, munera gladiatoria edita, venationes inſtitutas, & ferarum certamina inventa fuiſſe, ad memoriam illorum refricandam, deque his certaminibus caviſſe in teſtamentis, mortalitatis ſuæ memores, late probat Autor. Verba *ſpectaculum celebrare* in *l. 16 de uſu & uſufr. leg.* denotant ludum funebrem

brem frequente populo edere, ad memoriam alicujus renovandam propagandamque. Et verba in eadem lege, *memoriam celebrare*, significant *manes colere, memoriam conſervare.* Sub finem libri monet Conſultiſſ. Autor, ſalva conſcientia ritus illos, quos anniverſariis diebus celebrare in Legatis memoriæ cauſa relictis præſcripſerant olim teſtatores, hodienum ab iis, qui purioribus ſacris nomen dederunt, uſurpari poſſe, eosdemque imitari formulam precum pro Magiſtratu vel Principe ſibi præſcriptam. Sed quorſum dilabimur? Finis tandem imponendus eſt libri optimi, ex cujus perlectione inſignem voluptatem percepimus, recenſioni. Paucos legimus libros, qui cum hoc conferri poſſunt. Regnat in illo ſubactum judicium, concinnus ordo, vaſta & diffuſa lectio, & ſolida Jurium cognitio. Sæpe abit Autor ab aliorum opinionibus, ſed ea moderatione, quæ & hominem ingenuum, & liberalibus artibus inſtructum, & JCtorum priſcorum imitatorem, decet, quam utinam imitarentur proletarii & capite cenſi Scriptores, qui dum ab aliorum ſententiis divortium faciunt, plenum conviciorum & calumniarum agmen contra Adverſarios ſuos educunt, impotentiam animi ſui clare produnt, & cordatiorum riſui ludibrioque ſe exponunt. Uno verbo, ex eorum numero liber hic eſt, qui & inſtruunt, & honeſta oblectatione perfundunt Lectoris animum, dignus, qui integer ab omnibus, qui memoriam ſuam ad ſeram poſteritatem propagare cupiunt, perlegatur.

Pag. 639, 640.

DE PRÆCIPUIS HUMORIBUS, QUI HUMANO in corpore reperiuntur, deque eorum hiſtoria, qualitatibus, & officiis, Exercitatio JOSEPHI DEL PAPA, Regiæ Celſitudinis Joannis Gaſtonis, Magni Ducis Etruriæ, Archiatri, nec non in Piſana Univerſitate Publici Medicinæ Profeſſoris.

Florentiæ, ex Typographia Magni Ducis Etruriæ, apud Tartinium & Franchium, 1733, 4.

Plag. 13.

Digitized by Google

Non minori ſcholas Medicorum beneficio obſtrinxerunt induſtrii Collectores, poſtquam Theoreticis *Joſephi del Papa* opuſculis conquirendis & publici juris faciendis animum appulerunt, quam quod practicas caſuum rariorum & Conſultationum ſchedas ſuperiori anno ab interitu vindicaverint. Humorum, qui corporis humani ambitum perambulant, indolem legesque motuum, ad quas illi circuitus ſuos celebrant, dubium eſt, majorine animo aggreſſus fuerit exponendam, an feliciori eventu declaratam dederit Cel. Autor. Præfatur quædam de antiquo humorum quaternione ex Scholis Arabum, maxime Avicennæ, cujus fundamenta, quadruplicem ſanguinis vena extracti faciem, partium nutriendarum, diverſiſſimos humores poſtulantium, diverſitatem, aliaque, ſubruit. Sanguinis vero, univerſalis iſtius corporum animatorum humoris, analyſin tentaturus, quem ſcilicet diſſimilarem, partiumque conſtituentium multitudine variantem, declarat, generalia præmittit de Fluidorum indole, diſputatione prorſus Metaphyſica & transſcendentali, utpote quæ evincat, cum materia prima non poſſit eſſe liquida, ſed ſolida, impenetrabilis, & quæ omnium corporum, fluidorum æque ac conſiſtentium, eſſentiam ingrediatur, inde humorum indolem idea liquidi, id eſt, conſiſtentis, explicari neutiquam poſſe, quin potius experimentorum fide certum ſit, minimam omnis fluidi, vel ſubtiliſſimi, moleculam eſſe duram, imo duriſſimam, utpote quam dividere ulterius non poſſis, & cui virtus penetrandi corpora denegari nequeat. Fluidorum autem diverſitas a pondere ſpecifico, quod moleculæ ineſt, varioque earundem cohærendi modo, dependet. Cumprimis vero ſanguis, cum facillime concreſcat, ſoliditatis ſuæ argumentum hoc ipſo exhibet, utpote qui non niſi motum ſuum exercens, liquidi faciem inducit. Fluiditatis adeoque corporum, & in ſpecie ſanguinis, cauſas exponit tres, motum, calorem, &, quæ utriusque fomes eſt, aquam, non illam, quæ ſanguinis vena extracti fluidior pars eſt, cui reliquæ innatant, nam ad ignem concreſcit, ſed illam, quam deſtillatione ſanguinis vere adeſſe demonſtramus, non concreſcentem igne, & qualis urinæ materia eſt, utpote quæ itidem a ſero ſanguinis,

guinis, vitelli ovorum conſiſtentia præditi, quam maxime diſcrepat. Quo autem ſanguinis hiſtoriam penitius evolvere poſſit, chylificationis materiam, inſtrumenta, cauſas, delibat, &, qua ratione ſuccus iſte lacteus in purpuram mutetur, exponit, nec fermenti *Williſiani* virtutem, nec aeris pulmonici impetum, aut nitrum ejus, quidpiam conferre, aſſerens. Primaria ſanguinis affectio, *motus*, dependet a virtute cordis, qua purpuræ iſtius vitalis, ſeſe ipſam intrinſeco impetu circumagentis, volubilitas ſuſtinetur, ulteriusque adaugetur. Neque vero cordis elater, vel a ſanguinis acrimonia, fibras ejus ſenſiles vellicante, vel ab igneis moleculis, eidem innaſcentibus, dependet. Multo minus aſſentitur illis, qui mechanice negotium explicant, quibus ſcilicet cor ſemper in ſtatu violento verſari videtur, quandoquidem nolit vitam haberi tumultuariam, & a comminatione rupturæ fibrarum cordis dependentem. Fibræ vero motrici primus ad movendum impetus Autori, *vel eſt ebullitio quædam, inter fibras muſculorum excitata, ob admixtionem ſanguinis cum nerveo liquore, ut probabile admodum eſt, ſive alia quavis potentia explicata & cognitu perdifficilis.* Pag. 25. Quicquid ejus ſit, ſanguinis, ad quietem properantis & concreturi, niſi exiſteret a tergo motor exſuperans, naturalis eſt quædam a motu primo, quem cor dederat, declinatio, inde, qui concitatus egreſſus fuerat arterioſus, tardus redit venoſus, ſed paulatim ſenſimque a vivacitate ſua deflectens. Jucundiſſima inſtituitur quædam motuum humoris plantarum comparatio cum circuitu ſanguinis in animantibus. Ardua omnino res eſt, caloris in ſanguine perpetis ſibique conſtantis, ſi velit corpus ſanum eſſe, rationem exponere velle. Neque enim vel innatus cordi cœleſti igni ſimilis calor, nec aeris per pulmones afflatus nec *Carteſiana* flammula, nec *Williſianum*, cordis fermentum, nec anima quæpiam ſenſibilior, huic phænomeno declarando ſufficientem Autori lucem accendit, neque, quam probabilis videatur ſententia, motum primum cordis in animalibus, quorum ova, vel intra uterum, vel extra eundem, excluduntur, dependere ab incubatu, adeoque motum cordis peregrino calore ſemel inchoatum, ſufficere poſſe per totam anima-

Digitized by Google

animalis vitam omni ex parte Autori ſatisfecit. Largiendo enim inchoari cordis primum pulſum ab externo matris fotu, non conſentit, illum calorem tota vita continuari poſſe. Sed totam ſic definit negotium. Cor motu ſuo motus ſanguinis cauſa eſt, & viciſſim motus ſanguinis motus eſt cauſa cordis, quandoquidem villi, in cerebro arteriolarum pulſu exagitati, fluidum nerveum neceſſario in fibrarum cordis cavitates concutant, unde motus & calor. Nec mirabitur quispiam, ſapientiſſimum architectum ex ſimplici motuum lege vitalitatis corporum metra compoſuiſſe, qui *Archimedis* vitream ſphæram, Tarentini *Architæ* columbam volantem, *Alberti Magni* caput loquens, non pro figmentis habet. Reliqua ad methodum Mechanicorum erudite admodum & ingenioſe exponuntur.

OBSERVATIONES IN VETERUM PAtrum & Pontificum Prologos & Epiſtolas Paſchales, aliosque antiquos de ratione Paſchali Scriptores. Accedit Diſſertatio de Cyclo Lunari DIONYSII & BEDÆ.

Amſtelodami, apud Joannem Boom, 1734. 4.
Alph. 2 pl. 10.

In his Obſervationibus nec Prologi, nec Epiſtolarum textus, continentur, Obſervationes tantum exſtant. Igitur ad manus ſit, neceſſe eſt, alterutra editio Operis *Petaviani* de doctrina temporum, quarum hic Pariſienſis perpetuo citatur; nec non *Bucherii* Commentarius de doctrina temporum in *Victorium Aquitanum*. Ordinem vero Chronologicum ſequuntur veterum hæc
Pag. 1. Opuſcula. Primo hinc apparet loco Prologus *Theophili* Alexandrini Epiſcopi, ad *Theodoſium* Imperatorem, de Paſchate
2. anni 387. *Petavius* hunc Prologum a *Dionyſio Exiguo* verſum exiſtimabat. Ex *Caroli du Freſne* vero editione Chronici Paſchalis diſcimus, hunc Prologum conſtituere ipſam
3. Chronici Paſchalis Præfationem, immutatum tamen ab hujus Chronici Autore in his, quæ placitis ipſius contraria erant, ac ideo,

ideo, ſuppreſſo *Theophili* nomine, ut ſuum editum. Sequuntur
Obſervationes in *Ambroſii* Epiſtolam 83 ad Epiſcopos, per Æmi- Pag. 17.
liam conſtitutos, de eodem Paſchate anni 387. Articulo primo 18.
breviter ex *Bucherio* & *Ambroſio* diſquiritur, quo anno hanc
exararit Epiſtolam, ac contra *Bucherium* probatur, non A.
381, ſed 385, vel 386, eſſe datam. Hic obſervabis, laterculum, 20.
pag. 20 exſcriptum, nihil differre ab eo, quem *pag.* 4 vi-
dere licet. *Pag.* 21 *lin.* 5 pro *XXI* legas *XXII.* Paulo 25.
poſt diſquiritur, an menſis Pharmuthi Ægyptiorum, & primus
in lege deſignatus, vel novorum dictus, in hoc anno concur-
rant, aut an non abſurdum ſit, menſem, quo in Æpypto metun-
tur frumenta, etiam apud Chriſtianos pro primo menſe & no-
vorum computare. Proferuntur hinc Obſervationes in Epiſtolam 36.
Innocentii I, Papæ, ſcriptam ad *Aurelium,* Carthaginienſem, A.
C. 413, de Paſchate anni 414. *Petavius* credebat, agi de Paſcha- 37.
te anni 403; *Bucherius* vero ac *Noriſius* pro anno 414 mili-
tant. Hoc anno verendum erat, ne Paſcha luna XXIII celebra-
retur. Tum leguntur Obſervationes in *Cyrilli* Prologum Paſcha- 41.
lem, ſcriptum pro Cyclo XCV annorum. Occaſione hujus 47.
Prologi mentio fit duplicis circuli LXXXIV annorum, unius,
ſaltum Lunæ quovis XII Cycli anno, e. g. 12, 24, 36, 48, al-
terius unoquoque XIV Cycli anno, e. g. 14, 28, 42, 56, haben-
tis. De Cyclo *Hippolyteo* verba faciens, anno 222 eum pu- 54.
blicatum, ac iſtum, LXXXIV annorum, A. 214 incipere, dicit.
Cycli vero XCV annorum *Cyrilli* initium in annum 437 figa- 68.
tur. Iterum docemur, Paſcha ad Aprilis 25 extenſum, 73.
non tamen ex menſe primo, ſeu novorum, in ſecun-
dum tranſiturum. Quando *Cyrilli* verba de ſaltu Lunæ 25, 86.
explicantur, videri poſſit, unum diem menſi lunari re vera
addi, & ſic annum hunc lunarem uno die abundare, cum tamen
re vera per ſaltum Lunæ unus dies ex menſe lunari auferatur,
& ſic annus lunaris uno die ſit defectivus. Accedunt his Ob-
ſervationes in Epiſtolam *Cyrilli,* Alexandrini, de Paſchate du- 92.
bio anni 444. In hujus Epiſtolæ prima parte ad Synodum
Carthaginienſem reſcribit, ſe ad illorum petitionem mittere
Acta authentica Synodi Nicænæ. *Petavius* opinatur, eſſe Epi- 93.

Mmm ſtolam

ſtolam ſcriptam A. 419, agereque de Paſchate anni 420. Alteram. Epiſtolæ partem, agentem de Paſchate dubio, *Cyrillo* plane abjudicat *Petavius*, cui tamen a *Bucherio* plene vindicatur.
Pag. 97. Paulo poſt probabilibus valde argumentis aſſeritur, has duas Epiſtolas, unam datam A. 419, alteram A. 443, vitio deſcriptoris
109. in unam coaluiſſe. Magna accedit huic Epiſtolæ autoritas, nitenti literis, quas angelo dictante perceperat *Pachomius*, Monachus, quo ſciamus Lunam primi menſis in anno communi &
111. Emboliſmo. Proferuntur jam Obſervationes in *Paſchaſini* Epiſtolam, ſcriptam A. 443, ad *Leonem*, Papam, de Paſchate anni 444.
117. Rigidiſſime hic demonſtratur, limitem Paſchalem ultimum Ro-
119. manis fuiſſe Cal. 11 Maji, h. e. 21 Aprilis. His ſubjectæ ſunt Obſervationes in Epiſtolas *Leonis*, Papæ, de Paſchate anni 455. *Leo*, Papa, pertæſus autoritatis Patriarcharum Alexandrinorum, in materia Paſchali prævalentium, jam A. C. 453 *Opilione* V. C. Conſule, die 16 Cal. Julii duas ſcripſit Epiſtolas, unam ad *Martianum*, Imperatorem, alteram ad *Eudociam*, Imperatricem, *Theodoſii* Junioris viduam, id intendens, ut autoritate Imperatoris Alexandrini eo adducerentur, ut ſententiam ſuam de Paſchate anni 455 mutarent, & cum Pontifice & Eccleſia Ro-
120. mana conſentirent. Ac, cum eodem anno *Martianus Leoni* reſcripſiſſet, Alexandrinos quam accuratiſſime hanc in rem inquiſituros, *Leo* A. 454 *Aetio* & *Studio* Coſſ. die 6 idus Jan. tertiam Epiſtolam ſcripſit ad Legatum ſuum, *Julianum*, Coenſem Epiſcopum, quo hanc rem apud Imperatorem urgeret. *Theophilus*, Alexandrinus, in laterculo centenario hoc Paſcha fixerat in die 8 Cal. Maji, hoc eſt, 24 April. Luna 21. Sed Latinorum limes ultimus erat d. 11 Cal. Maji, ſeu 21 April. In his Obſervationibus *pag. 128*, nec non *pag. 100*, videmus, eundem plane eſſe Autorem hujus libri, & Obſervationum in *Proſperum Aquitanum*, quæ ſemeſtri ſpatio ante publicatæ ſunt, & quarum nos mentionem fecimus in *Novis Actis Anni 1734*
131. *Menſ. April. pag. 164*. Pergimus ad Obſervationes in Epiſtolam *Proterii*, ſcriptam A. 454 ad *Leonem*, Papam, de Paſchate anni 455. Hujus Epiſtolæ anſam præbebat *Proterio*, Alexandrinorum Epiſcopo, Mandatum Imperatoris *Martiani*, qui, literis *Leonis* motus, *Proterio* ſcripſerat, quosdam

Digitized by Google

dam exiſtimare, diem feſti Paſchalis anni 455 non diligenter fuiſſe adſcriptam, eidemque præceperat, ut in rem inquireret. Succedunt Obſervationes ad Epiſtolas *Leonis*, Papæ, de Paſchate anni 455, poſtquam Reſponſum *Proterii* acceperat. *Leo*, Papa, acceptis tum *Proterii*, tum *Martiani*, Epiſtolis, non audebat repugnare, ſed coactus Paſcha per Occidentem indicebat Cal. 8 Maji. Hac de re duarum Epiſtolarum unam ad *Proterium*, alteram ad Epiſcopos, per Gallias & Hiſpanias conſtitutos, dabat. Ultima ſcripta eſt *Opilione* Coſ. A. 454 die 5 Cal. Aug. Has excipiunt Obſervationes in Prologum Paſchalem *Victorii Aquitani*, ſcriptum A. C. 457. Prologo huic præmittitur *Hilarii*, tum adhuc Archi-Diaconi Romani, poſt *Leonis* in Pontificatu ſucceſſoris, Epiſtola ad *Victorium*, qua illum exhortatur, ut inquirat in diſſenſionum utriusque Eccleſiæ originem, remediumque illis afferat. Prologus ipſe reſponſoria eſt ad *Hilarii* Epiſtolam, insimulque Præfatio in Canonem *Victorii*. De ſaltu Lunæ verba faciens, hæc eruit. In trium Cyclorum, Romanis uſitatorum, primo LXXXIV annorum ſaltus Lunæ, ſeu annus defectivus, collocabatur ab Editoribus anno unoquoque Cycli XII, ab aliis anno unoquoque Cycli XIV. In Cyclo CXII annorum quovis anno XVI. In Cyclo XCV annorum quovis XIX. Obſervatur hinc, duplicem exſtitiſſe Cyclum CXII annorum, alterum *Hippolyti*, (de quo *Blanchinius* doctiſſimum edidit librum Romæ A. 1703, fol.) alterumque, cujus Autorem ignoramus. Quoniam exiſtimabat, omnia melius digeri poſſe, ſi a primo anno mundi progrediens, in ſua deſcenderet tempora, ſtatuit *Victorius*, ex *Euſebii* & *Proſperi* Chronicis calculum ducendo, Conſulatum *Conſtantini* & *Ruſi*, hoc eſt, annum 457, concurrere cum anno a mundo condito 5658, conditumve eſſe mundum d. 8 Cal. April. hoc eſt, 25 Martii; Lunam vero die 4 exiſtentis mundi, id eſt, d. 5 Cal. April. vel 28 Mart. plenam, hoc eſt, decimam quartam in inchoatione noctis exortam. Pulchram poſt inſtituit Editor comparationem inter annos & dies exorti mundi, Chriſti capti, Solis creati, & Salvatoris reſurgentis. Duplex detegit initium Cycli Lunæ, quorum differentia in ſequentibus quam ſæpiſſime repetitur.

Pag. 140. 144. 149. 150. 158. 162, 163. 176.

Pag. 182. petitur. Schema exſtat Cycli Lunaris *Victoriani*, cum luna-
tionibus a Luna Januarii uſque ad Lunam Paſchalem, additis
Paſchatibus cum ſuis Lunis, nec non feriis in Cal. Jan. præ-
tereaque Lunis XIV Paſchalibus *Victorianorum* & *Alexandri-*
187. *norum*. Ex *Victorii* opinione limes Dominicarum Paſchalium
citimus d. 22 Mart. ultimus d. 24 April. & ſpatium, intra quod Do-
188. minicæ Paſchales vagantur, dierum 34. Ordine ducimur ad Obſer-
vationes in Epiſtolam primam *Dionyſii Exigui*, de ratione Pa-
189. ſchæ ſcriptam A. 525. *Dionyſius* per totam hanc Epiſtolam
Cyclum decemnovennalem Alexandrinorum, eorumque regu-
191. las, limites, &c. Concilio Nicæno tribuit. Non vero edidit
Dionyſius periodum magnam 532, ſed 95, annorum, con-
205 ſeq. ſtantem 5 Cyclis decemnovennalibus Alexandrinorum. Ex
Jo. Guil. Jani Hiſtoria Cycli *Dionyſiani*, edita Vitembergæ A.
1718, 4, variis e MStis diverſa argumenta titulorum Paſchalium
211. exhibentur. Jam comparent Obſervationes in Epiſtolam ſecun-
dam *Dionyſii Exigui*, de ratione Paſchæ, ſcriptam A. 526. Hæc
216. Epiſtola apologiam Cycli *Dionyſiani* continet. Obſervationes
tamen hæ, comparationem ogdoadis & hendecadis Lunaris cum
237. Solari valde claudicare, docent. Hinc de duplici Autor Cyclo
tractat, ac ex Epiſtola regulam exhibet, qui anni utriusque Cy-
cli ſint communes, quive embolimæi, ac qui unius Cycli anni re-
239. ſpondeant alterius annis. Tum exhibentur Obſervationes in *Iſido-*
ri, Hiſpalenſis, *Cap. XVII Lib. VI* Originum, de Cyclo Paſchali.
241. *Iſidori* Cyclus hoc Capite ab eo editus eſt XCV annorum, con-
248. flatus e V Cyclis decemnovennalibus. Porro proferuntur Obſer-
vationes in *Ceolfridi*, Abbatis, ad *Naitonum*, Pictorum Regem, Epi-
ſtolam, quæ exſtat apud *Bedam* in *Hiſt. Eccleſ. gentis Anglorum Lib.*
V Cap. XXII. Ceolfridus hic claruit A. 680. *Naitono*, expetenti ſi-
bi ab Anglis ampliorem Cyclorum Paſchalium elucidationem,
253. hanc Epiſtolam reſcribebat. Inde legimus Obſervationes in *Be-*
da librum de ratione temporum, cujus eſt *Cap. I* de temporis di-
viſione. Hora conſtat 4 punctis, 10 minutis, 40 momentis; ergo
punctum unum $= 15'$, minutum unum $= 6'$, momentum unum
$= 90'' = 1' \, 30''$. *Pag. 255 lin. 9* pro *LXV* lege *CCCLXV*. De
260. ſaltu Lunæ valde notabilia habentur, qui loco XI Epactarum,

XII

XII in initio novi, vel fine præcedentis Cycli addi facit. Hinc
initio Cycli Epacta o. Datur dein regula, qua methodo diſci Pag. 261.
poſſit, quotus annus Cycli decemnovennalis ſit datus, quotus Cy-
clus, quæ Epacta, qui concurrentes, an Biſſextilis, quæ Indictio.
His proximæ ſunt Obſervationes in *Bedæ* Librum de natura 263.
rerum, & ratione temporum. Habet is 70 Capita, videturque 264.
ſcriptus A. 725. Non ſequitur ſeptuagintaviralem, ſed textum He-
braicum. *Cap. III* eſt de minutiſſimis temporum ſpatiis. Gradus 265.
unus dividitur in punctos 12, punctus unus in momenta 40,
momentum unum in oſtenta 60. Hinc ergo punctus unus
$= 5'$, momentum unum $7'' 30'''$, oſtentum unum $= 7''' 30''''$.
Cap. XV, veteres Britannos anno Lunari uſos, annum incepiſſe 274.
8 Cal. Jan: quo die nunc Natales Domini celebrant, edocet.
Cap. XLIII, quare Luna aliquoties major, quam computatur, ap- 288.
pareat, oſtendit. *Beda* in hoc Capite contra objectiones, quæcun-
que ſint, Synodo Nicæna, ejusve concluſis, reſpondet. *Cap. XLVII* 301.
de annis Dominicæ incarnationis agit. Ubi *pag. 303*, Salvatorem
paulo plus, quam 33 annis, in carne vixiſſe, aſſerit *Beda*.
Pag. 304 error *Bedæ* circa annum Chriſti 34, ejusve characte-
res, detegitur, haud typographicus, ſed qui magni eſt momen-
ti. Tandem in fine harum Obſervationum additur Index Au- 328.
torum veterum, qui de ratione Paſchatos egerunt, quorum memi-
nit *Beda*. His ſubjecta eſt Diſſertatio de Cyclo Lunari *Dionyſii* 330.
& *Bedæ*, ejusque natura & conſtitutione. Eſt hic Cyclus Lu-
næ-Solaris 19 annorum, ab enneadecaeteride tamen Alexan-
drinorum differt, hinc a *Dionyſio* Lunaris dictus, a *Beda* fu-
ſius explicatus. Duo conſtruxit Editor Schemata: 1) exhi-
bet hujus Cycli diſpoſitionem juxta ordinem annorum Cycli
decemnovennalis; incipit enim ab anno decemnovennalis 1,
Lunaris 17, datque Neomenias per omnes annos Cycli Lunaris;
2) monſtrat diſpoſitionem ætatum Lunæ in primo die men-
ſium per omnes Cycli annos, itidem juxta ordinem annorum
Cycli decemnovennalis. Clare diſtincteque explicatur, quid 354.
Beda velit per Lunam Januarii, Februarii, Martii, &c. quod
unico exemplo clarius fore arbitramur, e. g.:

Digitized by Google

Anno Cycli Decemn.	Anno Cycli Lunaris.	Luna 1a nata	Luna 2a nata	Luna 3a nata	Luna 4a nata
1	17	Dec. 24	Januar. 23	Febr. 21	Mart. 23
2	18	Dec. 13	Januar. 12	Febr. 10	Mart. 12
3	19	Januar. 1	Januar. 31	Mart. 1	Mart. 31
4	1	Dec. 21	Januar. 20	Febr. 18	Mart. 20
		dicitur Luna Januarii.	*dicitur Luna Februarii.*	*dicitur Luna Martii.*	*dicitur Luna Aprilis.*

Pag. 357. Exceptio notanda in nonnullis caſibus, quos Obſervator expli-
cat. *Pag. 365 ſeq.* perbene declaratur, quid *Beda* per locum
395. inter Calendas vacuum & congruum velit. Probabiliter con-
cluditur, non *Dionyſii*, imo ne *Beda* quidem, temporibus aurei
399. numeri uſum obtinuiſſe. Datur Tabella, ad formam illius, quæ
exſtat *pag. 237*, ubi tamen non a Neomenia Jan. ſed a 15
Luna Paſchali, dierum in quovis anno numerus computabatur.
Tandem totus Liber tribus Diagrammatibus concluditur, quorum primum eſt Cycli Lunaris ex *Beda*, in quo Lunæ embolimææ nullius menſis Lunæ eſſe dicuntur. Continet hoc per Cyclum decemnovennalem integrum ſingulorum menſium Lunas; ſecundum, ex *Anonymi* Libro de computo petitum, a *Muratorio* inter Anecdota Latina *Tom. III pag. 173, 174* edito, exhibens ætates Lunæ in Calendis menſium Cycli Lunaris, a Luna Septembris repetiti, juxta ordinem annorum in Cyclo decemnovennali; tertium, ex eodem libro deſumtum, exhibens Neomenias Cycli Lunaris, ſed a Luna Septembris repetiti, juxta ordinem annorum, in Cyclo decemnovennali.

GUILIELMI IRHOVII, A. L. M. PHILOS. Doct. & V. D. M. Eedeni, de Palingeneſia veterum, ſeu Metempſychoſi ſic dicta Pythagorica, Libri tres.

Amſtelodami, apud Henr. Vieroot, 1733, 4.
Alph. 3 pl. 3.

Plures

Plures jam fuerunt, qui negarent, vere tribui *Pythagoræ* ſententiam illam decantatiſſimam de animarum per plura corpora migratione, ſed nemo tantam dedit operam, tantoque ſtudio incubuit, ut æquaret Cl. noſtri Autoris induſtriam. Is enim magno hoc in Opere nihil agit aliud, quam ut communem illam de *Pythagora* narrationem oſtendat eſſe a vero remotiſſimam. *Tres* doctus hic labor implevit *Libros*, quorum *primus duodeviginti* habet *Capita*. Horum in *primo* doctiſſime ediſſerit etymologiam atque homonymiam τῆς μετεμψυχώσεως, prolatisque in medium de ea locis veterum, hanc, inde confectam, exhibet definitionem: *Eſt animæ humanæ poſt depoſitum per mortem unum corpus transmeatio in aliud, vel humanum, (ſive maſculinum, ſive fœmininum,) vel brutum, in æternum reiteranda*. *Capite ſecundo* vitam *Pythagoræ*, ex veterum monumentis contractam, ſiſtit, adjunctis priſci ævi narrationibus de migratione ipſius *Pythagoræ*, per quæ & quot corpora migrare ipſi contigerit. *Capite tertio* recenſet alios & Philoſophos & populos, inter quos hæc de varia animarum migratione opinio pervagata fuiſſe fertur. Hinc profeſſus in *quarto Capite*, ſe hoc in Opere tria demonſtraturum, primum, falſo tribui *Pythagoræ* hancce ſententiam; deinde, falſo item eam tribui ceteris, ſive Philoſophis, ſive populis; denique, Symbolice eſſe eam Metempſychoſin capiendam atque interpretandam; ſine mora *Capite quinto* & *ſexto* oſtendit, ſententiam illam de migratione animarum non poſſe conſiſtere cum certis & exploratis *Pythagoræ* doctrinis de ſtatu poſt hanc vitam piarum mentium. Ipſum namque *Aureum Carmen* docere, *Pythagoricam* hanc eſſe doctrinam, quod animæ piorum ſtatim poſt mortem deferantur in cœlum: idque confirmari a compluribus certiſſimæ fidei Scriptoribus. *Capite ſeptimo* manifeſtum facere ſtudet, nec *Pythagoræ* de impiarum animarum egreſſu e corporibus dicta poſſe conciliari cum metempſychoſi. Eas enim docebat in tartara dejici, meritisque ibi affici ſuppliciis. Imo nec illa, quæ de earum conditione animarum, quæ nec ex toto juſtæ, nec omni ex parte vitiis onuſtæ, docuit *Pythagoras*, in eadem ſede morari poſſe, cum metem-

metempſychoſi, docet *Capite octavo.* Statuiſſe enim *Pythagoram*, illas mediæ ſortis animas in inferiori aere degere ſubtilioribus inductas corporibus, factaque per varios gradus purgatione, pervenire tandem ad ſuperos. *Capite nono* pluribus agit de autoritate *Aureorum Carminum*, deque conſenſu eruditorum, quod hoc ſit veriſſimum Compendium doctrinarum *Pythagoræ.* Cum igitur in hoc monumento non modo nulla fiat metempſychoſeos mentio, ſed etiam ea tradantur, quæ eam ſubvertunt; hinc concludit, doctrinam iſtam a *Pythagorica* Philoſophia eſſe quam maxime alienam. *Capite decimo* ex eo abjudicat Samio Philoſopho hanc ſententiam, quod is ſtatuit, mortem eſſe homini (ad animam quod attinet,) aditum ad vitam beatiſſimam. Ita vero eum ſtatuiſſe, multorum veterum confirmat teſtimonio. *Capite undecimo* deſcribit *Pythagoricum* ritum ſepeliendi mortuos, & hinc argumentum petit novum ad opinionem vulgarem de metempſychoſi *Pythagoræ* refellendam. Scilicet in albis veſtibus efferri mortuos volebat hic Philoſophus, ſignificans, mentem defuncti nunc veniſſe ad primigeniam ſuam naturam & ad priſcam perfectionem. Qua oblata occaſione, docet Noſter, ritum iſtum poſtea permultarum gentium factum fuiſſe communem. *Capite duodecimo* eo argumento ſuam conſtabilit ſententiam, quod *Pythagorei* ſtatuerunt, mentem e corpore emiſſam omni carere natura corporea. *Capite decimo tertio* & *decimo qudrto* contendit, cultum & honorem, ex inſtituto *Pythagoricæ* diſciplinæ mortuorum animabus tribuendum, ſatis docere, animarum in alia corpora tranſgreſſionem ab iis Philoſophis non eſſe traditam. Jam, cum vulgo credatur, ob creditam metempſychoſin *Pythagoram* interdixiſſe ſuis cæde & eſu animantium, hoc quoque falſum eſſe, *Capite decimo quinto* pugnat, & in *duobus* proxime ſequentibus *Capitibus* alias reddit cauſas abſtinentiæ ab eſu quorundam animantium *Pythagoricæ*. *Capite decimo octavo*, eodemque poſtremo, negat, *Pythagoram* metempſychoſeos reſpectu vetuiſſe ſuos uti fabis, ſimulque interpretatur hoc ejus præceptum magno doctrinæ apparatu, quem Lectoribus noſtris permittimus inſpiciendum.

Digitized by Google

ciendum. In *ſecundo Libro* contendit pereruditè, nec aliis jure tribui ſententiam de peregrinatione animarum poſt exceſſum e corpore, adeoque id nec de Ægyptiis probari poſſe, (de quorum cura circa defunctorum corpora diligentiſſime agit,) nec de *Pherecyde*, nec de *Empedocle*, nec de Chaldæis, nec de Perſis, nec de Arabibus, nec de Brachmanibus, nec de Druidis Gallorum & Britannorum, nec de Germanis priſcis ac Getis, eorumque magiſtro *Zamolxe*, nec de *Orpheo*, nec de *Platone*, nec de Stoicis, nec de Phariſæis Judæorum, (ubi & reſpondet ad duo, quæ e Novo Teſtamento objiciuntur, loca, videlicet *Matth. XVI, 14, & Jo. IX, 2,*) ſed potius contrarium. Quæ ſingula ſingulis copioſe perſequitur *Capitibus*. *Ultimo* in *Capite* hujus *Libri*, quod eſt *duodecimum*, *Origenem* quoque docet injuſte accuſari a nonnullis ejusdem opinionis. *Tertio Libro* per *ſex priora Capita* docet, Metempſychoſin *Pythagoricam* capi oportere ſenſu Symbolico, & hac occaſione fuſius exponit *Pythagorica* de ortu & natura poſtque mortem ſtatu humanarum animarum dogmata. *Capite ſeptimo*, quod eſt extremum, originem vulgaris fabulæ aperit, tumque operoſiſſimo ſuo labori finem imponit. Unum fortaſſe *Caput* deſideraverint curioſiores, quo commemorare Cl. Autor potuiſſet alios, qui ante ſe venerunt in eam mentem, ut putarent, falſo tribui *Pythagoræ* metempſychoſin proprie dictam. Certe, ita jam ſtatuiſſe *Ambroſium Rhodium*, Chriſtianenſis in Norvegia Gymnaſii Profeſſorem, *Whitelocum Bulſtrodium*, Anglum Equitem, *Joannem Baptiſtam Criſpum*, Neapolitanum, & *Juſtum Gothofredum Rabenerum*, popularem noſtrum, docent edita ſuperioribus annis in vicinia noſtra *Acta Philoſophorum Tom. I pag. 379, & Tom. II pag. 787, 791 & 945 ſeq.*

FRANCISCI FABRICII ORATOR SACER. Acceſſit Heptas Diſſertationum Theologico-Oratoriarum.

Lugduni Batavorum, apud Sam. Luchtmans, 1733, 4.
Alph. 2 pl. 6.

Digitized by Google

Qui jam ceteros Theologi hujus Leidenſis, ſeptuagenario jam majoris, libros Theologicos, quos in Præfatione commemorat, non ſolum recenſuimus, verum etiam ſuo merito laudavimus, nec prætereundum ducimus hunc ipſius *Oratorem ſacrum*. Eſt hæc Oratio pro Academica concione habita duodecim abhinc annis, cum Oratoriæ Sacræ Profeſſor crearetur: quod quidem ſibi contigiſſe primo hac in Academia, tum in Præfationis exordio, tum *pag. 82*, docet. Continet autem iſta Oratio, octo & octoginta paginas una cum Annotationibus, quibus large illuſtrata eſt, implens, præcipua Eccleſiaſticæ Eloquentiæ capita, præceptaque dat & formandi Orationem ſacram, & habendi. Habes igitur totam artem Homileticam breviter nervoſeque deſcriptam: cui adjectas Autor voluit ſeptem, ad idem argumentum pertinentes, Diſſertationes. Prima enim eſt *de Methodo in Orationibus ſacris obſervanda*; altera *de Benedictionis formula Orationi ſacræ præmiſſa*; tertia *de Exordiis Orationis ſacræ*; quarta *de Precibus ante explicationem ſacri Textus habendis*; quinta *de Oratione ſacra intra certum temporis ſpatium limitanda*; ſexta *de Benedictione ſacerdotali*; ſeptima *de Formulis Precum*. E ſingulis nonnihil decerpemus, ſalivam noſtris moturi Lectoribus. Scilicet in *prima* graviter eos impugnat, qui, Oratori ſacro non eſſe curæ debere certam methodum, contendunt, ſimulque commendat Oratori futuro Eccleſiaſtico ſingularem ſtili curam, ut cum perſpicue, tum ornate, dicendi polleat facultate. Homileticæ vero methodi inter doctores ceteris omnibus longe præfert *Sal. Tillium*. In *ſecunda* obſervat, benedictionem præliminarem, qua hodie Concionatores uti ſolent, veteribus Eccleſiæ Doctoribus non fuiſſe uſitatam, imo nec Chriſto & Apoſtolis: recte tamen eam ſervari docet, cum & Apoſtoli ſingulis ſuis Epiſtolis benedictionem hujuſmodi præmiſerint. In *tertia* Exordiorum uſum defendit luculente, prolatis & rationibus, & Patrum Eccleſiæ autoritatibus. Affert tamen & caſus quosdam, quibus omitti queat exordium, haberique ſacra Oratio *ἀπροοίμιος*. In *quinta* (nam *quarta* nos haud morabitur, lectu licet haud indigna,) rationes profert partim ab ipſo Oratore

tore ſacro, partim ab Auditoribus, repetitas, cur horæ unius ſpatio definiri oporteat Orationem Eccleſiaſticam. Concedit tamen, dari tempora, quibus Oratori liceat eſſe longiori. In *ſexta* agens de finali ſacri Oratoris benedictione, copioſiſſime (a *pag.* 261 uſque ad *pag.* 293) elucidat notabilem illum locum *Num. VI,* 24 - 27. Addit, hanc ipſam formulam in Eccleſiis Reformatis uſurpari in exitu concionis conſueviſſe diu, donec non ita pridem ab hoc laudabili more multi receſſerint, & illam *Pauli* 2 *Cor. XIII,* 13, ſuam fecerint: quod quidem libertati Chriſtianæ cenſet eſſe relinquendum. In *ſeptima Diſſertatione,* quæ & ultima eſt, accurate diſputat *de Formulis precum Eccleſiaſticarum.* Ac initio hanc arripit occaſionem §. 3 - 8, interpretandi locum illum *Hoſ. XIV,* 3: *Accipite vobiscum verba, & revertimini ad Jehovam, rependentes juvencos labiorum veſtrorum;* & illum *Pauli* 1 *Cor. XIV,* 14, ubi oratio dicitur eſſe triplex, una, quæ fiat *lingua;* altera, quæ *ſpiritu;* tertia, quæ *intelligentia.* Hinc obſervat, in Veteri quoque Teſtamento fuiſſe certas precandi formulas, earumque in numerum refert *Pſalmos Davidicos.* E Novi Teſtamenti tabulis ipſam profert *Orationem Dominicam.* Docet item ex Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumentis, ſemper Eccleſiæ placuiſſe adhibere in publico certas precum formulas. Tum oſtendit utilitatem & prope neceſſitatem formularum publicarum, nec ſine nota (§. 27) dimittit eos Eccleſiæ Batavæ Doctores, qui inde a viginti quinque annis invexerunt morem ex tempore fundendi preces e Cathedra ſacra. Opponit his contrariam ſententiam ipſius *Calvini:* in caſibus tamen extraordinariis liberam precandi rationem concedens. Ceterum, cum multi ſint, qui ſpernant formulas precum præſcriptas, eorum argumenta recitat, recitataque refellit, accuratis adhibitis diſtinctionibus. Adducit denique pro formulis precum ſolennibus *Hornbeckium,* Patres Synodi Veſalienſis, A. 1568 habitæ, *Voetium, Ameſium, Rivetum,* ejusque in Academia Lugdunenſi Collegas, *Lud. Cappellum, Amyraldum, Binghamum, Prideauxium,* & *Marckium:* qui tamen ſinguli non in univerſum rejiciunt libertatem precandi interdum e proprio ingenio.

Digitized by Google

M. TULLII CICERONIS ORATIONES pro Archia, in Catilinam, poſt reditum, pro lege Manilia, pro Milone, emendatæ & illuſtratæ a CHRISTOPH. AUGUSTO HEUMANNO.

Iſenaci, apud M. G. Griesbachium, 1735, 8.

Alph. 1 pl. $16\frac{1}{2}$.

Edidit Cl. Autor ante biennium *Ciceronis Orationem pro Milone*, quanta maxima poterat induſtria ab ſe recognitam & emendatam illuſtratamque: ac nos eam editionem recenſuimus in *Actis A. 1733 Menſ. Octobr. pag. 461 ſeq.* Divenditis exemplaribus cum recudi eam opus eſſet, *octo* adjunxit alias *Orationes* ſummi Oratoris, quas dudum pari diligentia pertractarat, illam videlicet *pro Archia*, *quatuor Catilinarias*, *duas poſt reditum* habitas, & celebratiſſimam illam *pro lege Manilia*. Non autem ſolum hic iterum exhibet luculentam illam Præfationem ad *Milonianam*, verum etiam octo ceteris præponit longum præloquium, in quo de ſingularum harum Orationum pretio differit, eosque, qui antea fuerant in eas commentati, nominat, ſuum ſimul expromens de ſingulis judicium. Colophonem huic præloquio imponit *Livii* narratio de morte *Ciceronis*, quam *Seneca* pater poſteritati conſervavit, & quidem partim emendata, partim interpretationibus illuſtrata. Noſtrum nunc eſſe putamus, cum Philologicarum, tum Criticarum Cl. Editoris Annotationum aliquot proferre ſpecimina. Ac prioris generis hæc ſunt. *Pag. 5 repetere* ſenſu neutrali, id eſt, redire vel regredi. Adjicimus locum *Virgilii Æn. VI, 241: Huc repetit.* *Pag. 7 humanitas*, id eſt, eruditio. *Pag. 8 periculum*, id eſt, actio forenſis, *ein Proceſs*. *Pag. 27 exiſtere*, id eſt, provenire, in lucem prodire. *Pag. 40 ruſticus*, id eſt, illiteratus, indoctus. *Pag. 61 nequitia*, id eſt, inertia, qua quis non eſt idoneus ad munus ſuum rite obeundum. *Pag. 85 importunus*, id eſt, crudelis. *Pag. 92 regius*, id eſt, tyrannicus.

cus. *Pag. 99 pertimeſcere*, ſenſu neutrali. *Pag. 101 res publica*, id eſt, utilitas reipublicæ. *Pag. 122 beatus*, id eſt, dives. *Pag. 129 ſuperare aliqua re*, neutraliter, id eſt, abundare. *Pag. 140 reſiſtere*, id eſt, ſubſiſtere, remanere. *Pag. 143 prælium commiſſum*, id eſt, prælium initum, *die nun angegangene oder angefangene Schlacht*. *Pag. 167 audire aliquem*, id eſt, audire de aliquo. *Pag. 226 non modo*, id eſt, non dicam. *Pag. 328 cum* pro *cum tamen*: qua occaſione Noſter locum aliquem *Livii* interpretatur, qui admodum male habuit Criticos. *Pag. 397 verus*, id eſt, æquus. *Pag. 411 cupidus*, id eſt, avarus. Quid ſit Latinis *ſuo jure*, docetur *pag. 409*. Quid ſit *arbitria funeris ſolvere*, *pag. 294*. Non *Ciceronem*, (*Orat. III Catil. Cap. V*,) ſed *Salluſtium*, verum protuliſſe & ſincerum exemplar Epiſtolæ *Catilinæ*, oſtendit Noſter *pag. 151*. Idem *pag. 104* diſcrimen explicat inter *Gallus* & *Gallicanus*, *Hiſpanus* & *Hiſpanienſis*, *Græcus* & *Græcienſis*. De phraſi hac: *Latet mihi*, ſententiam exponit ſuam *pag. 75* & *282*. Arbitratur videlicet, defendi eam autoritate *Ciceronis* haudquaquam poſſe, ac duo loca *Ciceronis*, in quibus ea exſtare creditur, perperam adduci ad id probandum. *Latet me* vero dici poſſe concedit per Græciſmum. *Pag. 45* defendit ſcripturam veterum Codicum, in *Orat. pro Archia Cap. XI* pro *hortatus ſum* habentium *ἀρχαϊκῶς hortavi*. *Pag. 43* ſtatuit, *Livio* haud injuria tributam eſſe ſtili Patavinitatem. *Pag. 42 Epigramma* in *Orat. pro Archia* non ſignificare cenſet id, quod Poetæ vocant eo nomine, ſed inſcriptionem proſaicam: quales *Gruterus* in illuſtriſſimo ſuorum Operum exhibuit. Venimus ad Criticas Annotationes, & primo loco docemus, plura ex his Orationibus ejecta eſſe a Cl. Editore Gloſſemata. E. g. *Orat. I Catil. Cap. V n. 10* hoc par verborum exterminat: *tuorum comitum*; & *Cap. VI n. 3* hæc verba, quæ valde cruciarunt Criticos: *quod privatarum rerum dedecus non hæret in fama?* ab aliena profecta eſſe manu, nihil dubitat. E corruptis quoque harum Orationum locis pauca producemus una cum Cl. Editoris emendatione. *Gravius Orat. II Catil. Cap. II* cum ita e MStis ediNnn 3 diſſet:

 diſſet:

diſſet: *quem amare in prætexta calumnia cœperat*, faſſus eſt, non eſſe ſanum hunc locum, ſed non excogitavit correctionem. Noſter docet, pro *calumnia* ſcribi oportere *alumnum*, addens, *alumnum* dictum olim fuiſſe ſervulum, domi natum, domino eximie carum. In *Orat. II Catil. Cap. IV* pro: *aliis fructum libidinum, aliis mortem parentum, pollicebatur*, ita reponit: *aliis fructum libidinum, mortem parentum, pollicebatur*, hoc eſt, pollicebatur, ſe auxilio futurum, ut, necatis parentibus, patrimonio ſuo poſſent potiri ac frui. In Orationis ejusdem *Cap. X* pro *ſeminarium Catilinarium* ponit *ſeminarium Catilinarum*, hoc eſt, ager, e quo multi ſunt proventuri Catilinæ. In *Orat. pro Lege Manilia Cap. VIII* perobſcurum quendam locum illuſtrat, pro *fuiſſe* ſcribens *fugiſſe*, & hujus ſcripturæ veſtigia demonſtrans in vetuſto quodam Scholiaſte. Similis occurrit crux Criticorum in *Cap. IX*, ubi nullo ſenſu legitur: *Atque ita reputo*. Reſcribit Noſter: *Atque ita fore puto*. Commemoramus ante, quam hinc diſcedimus, in exitu Præfationis a Cl. Viro promitti ſimilem editionem trium Orationum *Ciceronis* Cæſarianarum, quas vocant veteres Grammatici, earum ſcilicet, quas *pro Dejotaro*, *pro M. Marcello*, & *pro Ligario*, habuit. Denique neſcire Lectores noſtros nolumus, hoc ipſo tempore prodire in publicum confectam ab eodem Autore verſionem harum Orationum Germanicam.

ANT. BLACKWALLII DE PRÆSTANTIA Autorum claſſicorum Commentatio. Latine vertit, atque Animadverſionibus inſtruxit, GEORG. HENR. AYRER. Accedit ejusdem Diſſertatio de Comparatione eruditionis antiquæ ac recentioris; itemque JOANNIS LUCÆ, de Monumentis publicis Latine inſcribendis, Oratio.

Lipſiæ,

Digitized by Google

Lipſiæ, apud Jacobum Schuſterum, 1735, 8 maj.
Alph. 1 pl. 10.

Cum ipſe egregio humanitatis in literas amore eſſet affectus doctiſſimus harum lucubrationum Interpres & Editor, quo magis eo etiam alios accenderet, publicatas eas cum omnibus inſtituit communicare. Nactus enim elegantem libellum, Anglice conſcriptum, hoc titulo: *An Introduction to the Claſſics, containing a ſhort Diſcourſe on their excellencies and directions, how to ſtudy them to advantage, by Antony Blackwall. The fourth edition. London, 1728,* quem enarravimus antea in *Supplem. Actor. Tom. X Sect. IX pag. 430 ſeq.* & ſtudioſus nimirum illius etiam ſermonis, & Britannorum antea in peregrinatione hoſpes, diligere cœpit Scriptoris illius ingenium, his ipſis ſtudiis, & mirifica veterum librorum admiratione, flagrantiſſimum. Quamobrem Latine, concinno caſtigatoque ſermonis genere uſus, vertit; quæ *ſecundo* libelli *Volumine* traderentur, præcepta Rhetorica, tanquam inter noſtrates multa Scriptorum celebratione protrita, haud ſane improbando judicio, reſecavit: exemplarium veterum fidem in omnibus *Blackwallii* dictis ſedulo exquiſivit & produxit, recentibus exemplis, multimoda lectione, & optimis literis, pleraque colluſtravit: &, quæ magnopere facere ad quæſtionem eam viderentur, non copioſe minus adjecit, quam accurate. Inſcripſit totam eam operam honori atque nomini Illuſtriſſimi adoleſcentis, *Ludovici Sigfridi*, Comitis Vicedomini *ab Eckſtædt*, cui noſtra in Academia, ſplendidiſſimo probatæ indolis, acuti ingenii, virtutisque avitæ, ſpecimine, literarum ſtudiis operam navanti, comes ipſe Vir doctus & cuſtos additus eſt. Qua in re vetuſtis exemplis, *Reineri Reineccii*, Viri mirifica olim doctrina præditi, neque unquam Germaniæ pœnitendi, aliorumque multorum, probandus eſt, qui, cum eam Reipublicæ operam, in cuſtodiendis nobiliſſimis adoleſcentibus, exhiberent, ſimul literarum ſtudia ſcriptis adjuverunt ſuis. Defenderat autem *Blackwallius* primo Græci ſermonis & La[illegible] præ Anglico atque alio quovis hodierno, præſtantiam. Deinde veterum Scriptorum præclara ingenia, ſumma ſtudia, & illuſtrem in ſcribendo curam, prædicaverat

&

& comprobaverat exemplis. Mox perſpicuitatis laudem, illis fere ſingularem, præ noſtris hominibus, aſſeruerat. Subſidia etiam doctrinæ, illorum temporum peculiaria, oſtenderat: ſimul acutum eorum in concinnitate ſermonis & numero judicium, & uſum ex illis petendum inſignem, in omni vita, ſive ad Rempublicam accedas, ſive verum atque honeſtum umbraticus ſecteris, ſive Sacris Literis legendis intentus ſis denique, commendaverat. Poſtremum docuerat, quis in illis legendis tenendus ſit modus, atque quo ſit ordine procedendum, quæve hac in re tibi conquirenda præſidia, & qui recentiorum e numero eorum ſimillimi, atque adeo ſint maxime legendi. Quæ omnia *Ayrerus* noſter Capitibus ſuis diſtinxit, & Animadverſionibus illuſtravit. Atque ea in re ita eſt verſatus, ut *Blackwallii* de Græci Latinique ſermonis præſtantia ſententiam multorum teſtimoniis confirmaret, in quibus & *Gabriel Barrius*, qui diras imprecatus eſt illis, ſi qui futuri eſſent, qui ſua ſcripta Latina vulgari ſermone redderent. Quod de Anglica lingua adhuc imperfecta faſſus erat Autor Anglus, id aliarum etiam exemplo comprobat Noſter; atque in reliquis eadem diligentia, eisdemque rei librariæ copiis, utitur. Hac diſquiſitione abſoluta, cum hujus fere libri argumentum totum ad eam quæſtionem pertinere animadverteret, ſuper qua jam olim eruditi diſceptarunt, antiqui Scriptores, an recentiores, primas literarum in gloria teneant? Diſſertationem adjecit *de Comparatione eruditionis antiquæ & recentioris*. Qua mediam viam ita inſtitit, ut ſemper vetuſtatis obtrectatores fuiſſe, & laudatores ſemper, monſtraret: *Taſſoni, Perralti*, aliorum, hanc in rem ſcripta percenſeret, neque improbatis iis omnibus, quæ Gallus alter diſputaverat, neque defenſis iis, quæ abludere palam eſt. Poſt illa quandam hujus controverſiæ hiſtoriam contexuit, & ſuum ad extremum judicium, medium quodammodo inter illos diſceptantes, adjecit. In fine Operis recuſa eſt *Joannis Lucæ de Monumentis publicis Latine inſcribendis* Oratio. Hæc omnia, ut ſingulari cura [illegible] inſtituta elucubrataque, ita non eſt dubium, quin optimis [illegible]ris magno uſui ſint futura.

THEO-

THEOLOGIÆ ZOHARICÆ SPECIMEN; Autore GOTHOFR. CHRISTOPH. SOMMERO, *Gothano.*

Gothæ, 1734, 4.
Plag. 19.

Clariſſimus Autor, Theologiam Chriſtianam cum veteri Judaica amice convenire, monſtraturus, nonnullos fidei Articulos fundamentales, de imagine Dei, de peccato originis, de Chriſto, ejusque perſona, officio, regno, de animæ poſt mortem ſtatu, de reſurrectione & vita æterna, in hoc ſpecimine exhibet, cui ſimile integrum Syſtema pollicetur. Illo autem non modo ſucceſſio doctrinæ ſalutaris, per Secula Chriſti nativitatem proxime antecedentia, eandemque mox excipientia, demonſtrabitur, errores hodiernorum Judæorum corrigentur, & veritas ipſa ab oppugnationibus reliquorum puræ & veræ religionis hoſtium vindicabitur. Et methodo quidem hac utitur, ut theſin aliquam Theologicam præmittat, eamque dein ex *Zohare*, antiquiſſimo Judæorum monumento, & veterum Rabbinorum teſtimoniis, probet. Cum vero liber ille, ex quo, ceu præcipuo fonte antiquæ orthodoxiæ, hanc ejus partem derivavit, in dubium vocetur, de ejus autoritate in Præfatione ample diſſerere inſtituit, & de nominis ratione, de duplici *Zohar*, antiquo & novo, de illius ætate, de Autore, R. *Simeon Ben Jochai*, de ſtilo, libri argumento, verſione, at imperfecta *Knorrii a Roſenroth*, & aliis quibusdam ſpeciminibus verſionis *Zoharicæ*, agit. Qua occaſione *Conradi Ottonis*, Linguæ Hebraicæ Profeſſoris Altorffini, Ex-Judæi, fidem Chriſtianam aliquamdiu profeſſi, tandem vero ad religionem paternam refugæ, librum, quem occultorum detectionem inſcripſerat, animo tamen in Chriſtianos maligno & fraudulento, *pag. 16* percenſet. Ceterum multis Scripturæ Veteris & Novi Teſtamenti locis lucem in hoc Opere affundere conabitur, & præſenti exquiſitas varias Obſervationes attulit, quarum nonnullas annotabimus. Nempe *pag. 35, 36, 37*, docet, quid vox *Metatron* Judæis

Ooo ſignifi-

ſignificet. *Pag.* 42, 43, 46, 49 *ſeq.* quid de *Schechina* veteres Judæi tradiderint, fuſe exponit. *Pag.* 40 aquarum in Feſto Tabernaculi effuſionis ſenſum myſticum profert. *Pag.* 44, antiquitatem *Zoharis* ex luſibus Cabbaliſticis, qui in eo occurrunt, non labefactari, contra diſſentientes monſtrat, ibique, *Pſalmum II* de Meſſia a veteribus Judæis intellectum fuiſſe, probat. *Pag.* 55 Sephirarum myſterium recenſet, quod tamen jam in Præfatione, adjectis duabus Iconibus arboris Cabbaliſticæ, copioſe & erudite fecerat. *Pag.* 85 de Meſſiæ adventuri ſignis Judæorum ſententiam, ſimulque *Zoroaſtris*, Perſæ, de eo vaticinium, allegat. *Pag.* 93, per duplicem Meſſiam quid veteres Judæi deſignarint, oſtendit. *Pag.* 123 convivii juſtis in cœlo parandi ſenſum parabolicum monſtrat. Ceterum optamus, ut doctus Autor conſenſum illum veteris Eccleſiæ Judaicæ cum religione orthodoxa, in ceteris fidei capitibus, quem nonnulli exiguo loco habent, porro, juſtis cautionibus adhibitis, demonſtrare conetur.

MEMOIRES POUR SERVIR A L'HISTOIRE, &c.

h. e.

COMMENTARII, HISTORIÆ CELEBERrimorum in Republica Literaria Virorum inſervientes. Accedunt Catalogi Librorum, a ſingulis editorum, de iisque judicia.

Tomus XXI, XXII & XXIII.

Lutetiæ Pariſiorum, apud Briaſſonium, 1733, 8.

Tomus quiſque habet plag. 18, & totidem plag. dimid.

Accedite huc, Lectores, qui copioſius deſcriptam legere geſtitis vitam, ac ſimul cognoſcere ſcripta, *Cœlii Secundi Curionis*, m. A. 1569 d. 24 Nov. *Jo. Franciſci Buddei*, m. A. 1729 d. 19 Nov. *Nicolai Rigaltii*, m. A. 1654 Menſ. Aug. *Nicolai Sagundini*, qui in Seculo XV vixit, ſed cujus annus mortis eſt incognitus; *Jo. Frontonis*, m. A. 1662 d.

17 April.

Digitized by Google

17 April. *Angeli Roccæ*, m. A.1620 d. 8 April. *Stephani Doleti*, ob Atheïſmum combuſti A. 1546 d. 3 Aug. *Jo. Franc. Regnardi*, m. A. 1709 Menſ. Sept. *Beſſarionis*, Cardinalis, m. A. 1472 d. 18 Nov. *Jo. Haleſii*, m. A. 1656 d. 19 Maji; *Jo. Lud. Vivis*, m. A. 1540 d. 6 Maji; *Fortunati Scacchi*, m. A. 1643 d. 1 Aug. *Lud. Boivinii*, m. A. 1724 d. 22 April. *Uberti Folietæ*, m. A. 1581 d. 5 Sept. *Ægidii Andreæ de la Roque*, m. A. 1687 d. 3 Febr. *Matthæi de Larroque*, m. A. 1684 d. 31 Januarii; *Marquardi Freheri*, m. A. 1614 d. 13 Maji; *Dan. Whitby*, m. A. 1726 Menſ. Majo; *Emanuelis Schelſtratii*, m. A. 1692 d. 6 April. *Davidis Martini*, m. A. 1721 d. 9 Sept. *Ponti Thiardi*, m. A. 1625 d. 23 Sept. *Helii Eobani Heſſi*, m. A. 1540 d. 5 Oct. *Bartholomæi Facii*, m. A. 1467; *Franciſci Carpentarii*, m. A. 1702 d. 22 April. *Lucæ Dacherii*, m. A. 1685 d. 29 April. *Laur. Pignorii*, m. A. 1631 d. 13 Junii; *Phil. Cluverii*, m. A. 1623; *Joannis Baleſdens*, m. A. 1675; *Jac. Peletarii*, m. A. 1582 Menſ. Julio; *Roberti Garnierii*, m. A. 1590; *Nic. Hier. Gundlingii*, m. A. 1729 d. 16 Dec. *Epiphanii Ferdinandi*, m. A. 1638 d. 6 Dec. *Jacobi Zeni*, m. A. 1481; *Eduardi Pocockii*, m. A. 1691 d. 10 Sept.

In *altero* horum *Tomorum* vita ſiſtitur *Gilberti Genebrardi*, m. A. 1597 d. 16 Febr. *Franciſci Pinſſonii*, m. A. 1691 d. 10 Oct. *Ant. Deuſingii*, m. A. 1666 d. 29 Januarii; *Adami Blacvodæi*, m. A. 1613; *Burchardi Volderi*, m. A. 1709 d. 28 Martii; *Jo. Druſii*, m. A. 1616 d. 12 Febr. *Franc. Sanſovini*, m. A. 1586; *Nic. Hug. Menardi*, m. A 1644 d. 21 Jan. *Ælii Everardi Vorſtii*, m. A. 1624 d. 22 Oct. *Adolphi Vorſtii*, m. A. 1663 d. 8 Oct. *Jo. Gelidæ*, m. A. 1558 d. 9 Febr. *Jac. Caſſagnei*, m. A. 1679 d. 19 Maji; *Iſaaci Newtoni*, m. A. 1727 d. 30 Martii; *Varini Favorini*, m. A. 1537; *Scipionis Carteromachi*, m. A. 1513 d. 16 Octobr. *Pauli Tallemantii*, m. A 1712 d. 30 Julii; *Franciſci Tallemantii*, m. A. 1693 d. 6 Maji; *Jo. Theodori Schenckii*, m. A. 1671 d. 21 Dec. *Franciſci Godwini*, m. A. 1633 Menſe Aprili; *Barthol. Amuli*, m. A. 1565 d. 21 Junii; *Jac. Billii*, m. A. 1581 d. 25 Dec. *Jo. Marshami*, m. A. 1685 d. 25 Maji; *Guil. Ballonii*, m. A. 1616; *Ant. Poſſevini*, m. A. 1611 d. 26 Febr. *Jo.*

Digitized by Google

Franc. Vaillantii, ſive *Valentis*, m. A. 1708 d. 14 Nov. *Nic. Ciſneri*, m. A. 1583 d. 6 Mart. *Rob. Burhillii*, m. A. 1641; *Eduardi Brerewodi*, m. A. 1613 d. 4 Nov. *Joannis d'Aubry*, m. A. 1667; *Antonii Sadeelis*, m. A. 1591 d. 23 Febr. *Arnaldi Pontaci*, m. A. 1605 d. 4 Febr. *Joſephi Mariæ Suareſii*, m. A. 1677 d. 8 Dec. *Nic. Durandi Villagagnonis*, m. A. 1571 d. 9 Januarii; *Laur. Humfredi*, m. A. 1590 d. 11 Febr. *Caſp. Contareni*, m. A. 1542 d. 24 Aug. *Petri Ryerii*, m. A. 1658 d. 6 Nov. *Augerii Gislenii Busbequii*, m. A. 1592 d. 28 Oct. *Eliæ Ashmoli*, m. A. 1692 d. 26 Maji; *Jeremiæ Drexelii*, m. A. 1638 d. 19 Aprilis; *Mart. Ant. Delrii*, m. A. 1608 d. 19 Oct. *Lud. Cappelli*, & Senioris, qui mortuus A. 1586 d. 6 Jan. & Junioris, m. A. 1658 d. 18 Junii; *Jacobi Cappelli*, m. A. 1624 d. 7 Sept.

In *tertio* horum *Tomorum* deſcripta exſtat Vita *M. Ant. Cappelli*, m. A. 1625 Menſe Septembri. Fuit hic Ordinis Minoritarum Monachus, ac tempore excommunicationis Reipublicæ Venetæ A. 1606 ſcripſit pro Republica illa contra Papam, *Paulum V*, ſed poſtea in caſtra Papæ rediit, proque defendenda Pontificis majeſtate multa edidit. Ac Diſſertationem ejus *de Appellationibus Eccleſiæ Africanæ ad Romanam ſedem* recudi curavit, ſuæque *Introductionis in Hiſtoriam Literariam Theologicam Tomo III pag. 41 ſeq.* inſeruit S. Rev. *Pfaffius*, multisque Notis & Obſervationibus illuſtravit, paſſimque refutavit: cujus quidem rei notitia ad Cl. Autorem noſtrum non pervenit. Sequitur Vita *Georg. Henr. Gœzii*, Superintendentis Lubecenſis, m. A. 1729 d. 25 Martii. Hujus hic memorantur centum & quinquaginta duo ſcripta, quibus addendæ plures ejus *de Selneccero* Diſſertationes. Deſcribitur hinc Vita *Adami Littletoni*, Theol. Doct. & Prodecani Weſtmonaſterienſis, m. A. 1694 d. 1 Julii; *Ubbonis Emmii*, primi Rectoris Academiæ Groningenſis, m. A. 1625 d. 9 Dec. *Olivierii Maillardi*, Monachi Minoritæ, m. A. 1502 d. 13 Junii. Fuit hic Concionator zeli multum, ſcientiæ perparum, habens, ac ſæpe ita auditores alloquens: *Invito vos ad omnes diabolos.* Sermones ejus ſacri ſunt fabularum pleni ac nugarum. Indulgentias tamen rejecit, his uſus verbis in una Concionum ſuarum:

Suntne

Digitized by Google

Suntne hic portatores Bullarum? Certe ibi eſt magnus abuſus, & miror, quod Prælati non opponant remedium. Durandus *dicit, quod de Indulgentiis nihil habemus certum in Sacra Scriptura. Legatis* Baſilium, Hieronymum, Auguſtinum: *nihil dicunt de Indulgentiis. Ita dicunt doctores moderni, & aſſerunt, quod materia Indulgentiarum ſemper fuit dubia. Sed diceret aliqua mulier: Pater, ego neſcio, ſi ſint bonæ: nonne melius eſt capere, poſtquam Epiſcopus miſit? Credo, quod capiunt partem ſuam, & omnes ſunt fures. Heu! Sunt aliqui Bullatores, qui dicunt, quod, ſi ſcirent, quod pater eorum* (Indulgentias) *non cepiſſet, nunquam orarent pro eo. Ad omnes diabolos.* Ejus increpationis publicæ en hoc exemplum: *Eſtne pulchrum, quod uxor unius Advocati, qui emit officium ſuum, & non habet decem Francos in reditibus, vadat ſicut una Principiſſa, & quod talis portet aurum in capite, & in collo, & in zona. Vos dicitis, quod hoc eſt ſecundum ſtatum veſtrum. Ad omnes Diabolos ſtatus ille, & tu ipſa. Et vos, Domine* Jacobe, *abſolvitis eas in tali ſtatu, & tam leviter. Dicetis forte: Maritus noſter non dat nobis tales veſtes, ſed nos lucramur ad pœnam noſtri corporis. Ad triginta mille diabolos talis pœna.* Sequitur Vita *Alexandri Piccolominei*, Polyhiſtoris. Nam non ſolum linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ, peritus erat, ſed etiam Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Philoſophiæ, & Matheſeos. Factus eſt Archi-Epiſcopus Patrenſis, ac dein Coadjutor Archi-Epiſcopi Senenſis, deceſſitque A. 1578 d. 12 Martii. Primus Italico ſermone ſcripſit de argumentis Philoſophicis: id quod ei vitio vertitur, injuſte quidem, a *Joanne Imperiali.* Edidit præſtantiſſimas Comœdias. Indignus vero ſacra ejus perſona liber eſt, quem *de ſexu muliebri* emiſit, docens quippe in eo *Naſonianam* amandi artem. Qui ſequitur, *Franciſcus Piccolomineus*, m. A. 1604, Profeſſor Philoſophiæ in pluribus Academiis fuit per tres & quinquaginta annos. Ex *Andreæ Theveti*, Franciſcani Monachi, magni peregrinatoris, m. A. 1590 Menſe Nov. vita cognoſcimus, eum eſſe referendum inter literatos judicio carentes. Numerari idem ſolet

Pag. 53.

54.

Digitized by Google

inter doctos impoſtores. Certe libri ejus ſcatent falſiſſimis narratiunculis. Vita ſequitur *Guil. Cambdeni*, in cœlibatu mortui A. 1623 d. 9 Nov. Ejus Deſcriptiones Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, ita inter ſe differunt, ut prima ſit optimæ notæ, altera mediocris, tertia minimæ bonitatis. Quare Poeta quidam ita cecinit:

Perluſtras Anglos oculis, Cambdene, duobus,
Uno oculo Scotos, cæcus Hibernigenas.

Antonius Sherley, magnus miles, mortuus paulo poſt annum 1631, edidit aliquot Itineraria. Ejus frater, *Thomas Sherley*, m. A. 1627 d. 23 Julii, in itinere ſuo Perſico tranſiit ad ſacra Romana, miſſusque a Rege Perſarum A. 1604 Legatus in Europam, non ſolum ab Imperatore *Rudolpho* ornatus fuit titulo Comitis Sacri Romani Imperii, ſed etiam Romæ a Papa, *Paulo V*, magnifice habitus. Nihil cum ſcripſerit, tamen ob fratrem ſuum modo laudatum, & ob fata ſua ſingularia, huc translata eſt hiſtoria ejus a Cl. Autore noſtro, *Niceronio*. Sequitur Vita *Stephani Pavillonii*, Advocati generalis Parlamenti Pariſienſis, & Collegæ Academiæ Francicæ, m. A. 1705 d. 10 Januarii; *Thomæ Cornelii*, Tragici & Comici excellentis, m. A. 1709 d. 9 Dec. *Hieronymi Bignonii*, Advocati generalis Pariſienſis Parlamenti, & primarii Regis Bibliothecarii, qui in Epitaphio vocatur *eruditorum princeps & pater*, m. A. 1656 d. 7 April. *Jo. Maldonati*, Jeſuitæ, Profeſſoris Salmanticenſis, hinc Pariſienſis, multum agitati vexatique, quod doctrinam de immaculata conceptione Mariæ non habebat pro Articulo fidei, m. A. 1583 d. 5 Jan. cujus omnia Opera poſt mortem demum ejus fuerunt edita; *Rudolphi Agricolæ*, m. A. 1485 d. 28 Oct. *Nicolai Fareti*, m. A. 1646 Menſ. Sept. *Roberti Creyghtoni*, Epiſcopi Bathenſis in Anglia, m. A. 1672 d. 21 Nov. *Petri Martyris Anglerienſis*, Protonotarii Apoſtolici, mortui circiter annum 1525; *Petri Martyris Vermilii*, m. A. 1562 d. 12 Nov. Notatu dignum, *Petrum Martyrem* fuiſſe utriusque prænomen in Baptiſmo acceptum. Sequitur Vita *Ludovicæ Labeæ*, m. A. 1555, cujus exſtant Opera poetica, fœminæ pulchritudine & eruditione pari, ſed minus caſtæ, ſui tamen corporis copiam facientis potiſſi-

Digitized by Google

potiſſimum literatis hominibus; *Julii Cæſaris Scaligeri*, m. A 1558 d. 21 Oct. *Joſephi Juſti Scaligeri*, m. A. 1609 d. 21 Januarii; *Jo. Ludovici Guezii Balzacii*, m. A. 1654 d. 18 Febr. *Joannis Pricæi*, m. A. 1676; *Nicolai Lloydii*, m. A. 1680 d. 27 Nov. *Dionyſii Salvagnii Boeſſii*, Conſiliarii Status Regis Galliæ, m. A. 1683; *Jo. Geneſii Sepulvedæ*, m. A. 1572; *Thomæ Brownii*, Medici, autoris *Religionis Medici*, m. A. 1682 d. 19 Oct. *Thomæ Brownii*, ſive *Brunonis*, Theologi, qui Diſſertationem *de Therapevtis Philonis* edidit, m. A. 1673 d. 6 Dec. *Franciſci Bernerii*, magni Mogolis Archiatri, qui pluribus ſcriptis expoſuit noviſſimam Mogolici regni hiſtoriam, itemque *Compendium* emiſit *Philoſophiæ Gaſſendianæ*, m. A. 1688 d. 22 Sept. *Joannis Bernerii*, Medici, qui, cum ſcripſiſſet *Anti-Menagiana*, a *Menagio* vocatus fuit *antagoniſta levis armaturæ*, m. A. 1698 d. 18 Maji; *Gabr. Faerni*, m. A. 1561 d. 17 Nov. *Guil. Eſtii*, Theologi Academiæ Duacenſis, m. A. 1613 d. 20 Sept. *Chriſtophori Davenportii*, Franciſcani Monachi, & Reginæ Angliæ Capellani, m. A. 1680 d. 31 Maji; *Ludovici Dureti*, *Caroli IX*, Regis, Archiatri, m. A. 1586 d. 22 Januar. *Henrici Bluntii*, m. A. 1682 d. 9 Octobr. cujus filii fuerunt *Thomas Pope-Blount*, cujus notiſſima eſt *Cenſura celebriorum Autorum*, & *Carolus Bluntius*, plurium libellorum ſcriptor, qui, cum cupita conjuge potiri non poſſet, A. 1693 ſe ipſe interfecit. Claudit hoc agmen *Petrus Gyllius*, m. A. 1555.

LETTRE CRITIQUE SUR LE DICTIONAIRE de BAYLE.

h. e.

EPISTOLA CRITICA DE DICTIONARIO BÆLIANO.

Hagæ Comitum, 1732, 12.

Plag. 20.

Quam nactus ſit Epiſtolæ hujus componendæ occaſionem, exponit Autor nobis incognitus in Præfatione. Cum ſcilicet *Animadverſiones* edidiſſet in *Dictionarium Moreria-*

pum

num, & quidem A. 1719 in *primum* ejus *Tomum*, A. 1720 in *ſecundum*, & A. 1721 in *tertium*, ibique libere judicaſſet, in *Balii Dictionario* multa reperiri in Atheorum gratiam ſcripta, multa item obſcœna, ac ſcripſiſſe eum odio accenſum erga Pontificios & amore erga Reformatos, nullum denique facere diſcrimen inter Hiſtoricos, adeoque ſæpe niti teſtimoniis fide indignis; quidam id ipſi vitio vertit, contendens, pauciſſimos eſſe nævos in *Baliano* Opere. Noſter igitur, contrarium demonſtraturus, hanc A. 1725 ad eum dedit Epiſtolam, quam publico nunc ſubjicit conſpectui, ut omnibus appareat, permultos celebratiſſimo illi Operi ineſſe errores. Quæ ſi benevole excepta fuerit, integrum ſe Opus editurum eſſe promittit *Animadverſionum criticarum in Balianum Dictionarium.*

Ac ſane multa hic deprehendimus, quæ falſo *Balius* tradidit: e quibus potiora nominabimus. *Fabrum* quidem, Stapulenſem, ſcribit Doctorem fuiſſe Facultatis Theologicæ Pariſienſis. At Noſter clariſſimis probat argumentis, id falſum eſſe. Quanquam facile ignoveris *Balio*, ubi ex Autore noſtro didiceris, eundem errorem erraſſe *Car. Molinæum*, *Bezam*, *Sammarthanum*, *Spondanum*, *Dupinium*, *Rich. Simonium.* Addit vero & hunc errorem *Balius*, *Fabrum* illum titulo ſuo Theologico privatum fuiſſe ob doctrinas hæreticas. Quanto partium ſtudio flagret *Balius*, Noſter demonſtrare ſtudet a *pag. 50* uſque ad *pag. 109* e ſolo Articulo de *Bracheto Milletierio.* Quia enim is, cum antea Sacerdos Reformatorum fuiſſet, tranſiit in caſtra Pontificia, ideo peſſima quæque de eo literis mandaſſe *Balium.* Eodem modo ſe geſſiſſe eum in Hiſtoria *Natalis Bedæ*, *Cayeti*, *Andreæ* & *Antonii Goveanorum*, *Antonii Arnaldi*, *Ludovici Abellii*, *Florimundi Remondi*, diffuſiſſime oſtenditur doctiſſimeque. Certe de *Remondo* diſſeritur *pag. 329 - 410*, ubi & de vita ſcriptisque ejus copioſe exponitur, ac rurſus *pag. 435* - 444. Hæc ipſa vero copia oſtendit, nimis propenſum eſſe noſtrum Autorem in Pontificios, nec ipſum carere ſuæ partis amore ac ſtudio. Præterea annotantur hic falſæ *Balii* narrationes de *Moſe Amyraldo*, de *Joanne Agricola*, de *Beza*, de *Goulartio*, de *Margarita Valeſia*, Regina Navarræ, aliisque, quorum nomina exhibet præmiſſus Index Alphabeticus.

✾ ✾ ✾

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXXXV.

JOANNIS HARDUINI, E SOCIETATE Jeſu, Opera varia, cum Indicibus & Tabulis æneis.

Amſtelodami, apud Henricum du Sauzet, & Hagæ Comitum, apud Petrum de Hondt, 1733, fol. Alph. 8 pl. 15.

Notius eſt inter eruditos *Joannis Harduini* nomen, quam ut multis verborum lenociniis a nobis commendari debeat: notiora etiam ſunt ejusdem Viri doctiſſimi in Rempublicam literariam merita, quam ut nunc commemoranda videantur copioſius. Sed, quod ſummis quibusque ingeniis proprium quaſi eſt, ut, via, quam terunt omnes, relicta, in avia delabantur, & ingenioſis magis, quam veris, Commentationibus nomen ſuum eruditorum multitudini quærant eximere, idem in *Harduino* obſervari, is demum in dubium vocabit, qui laudati Viri monumenta, plus ingenii, quam ſoliditatis, præ ſe ferentia, nunquam evolvit. Declarant id, quod jam nunc diximus, & confirmant Opera hæc varia, ex quibus ſummi Viri ingenium mirabile clariſſime perſpicitur. Cui rei ut nos fidem faciamus, pro inſtituti noſtri ratione breviſſimis indicabimus, quæ in hoc Volumine contineantur *Harduini* Opera, & quid ſingulis fere inſit mirifici. Primum locum occupant

Digitized by Google

Athei detecti, quorum in numero Autor omnes illos reputat, qui, ubi de Deo diſſerunt, nunc eum ut realitatem, nunc ut ens præciſe, nunc ut verum, ut bonum, ut pulchrum, ut rectum in genere, ut eſſentiam omnium eſſentiarum ac veritatum, ut illud, quod decet, vel quod neceſſe eſt eſſe, conſiderant, & ad hæc omnia complectenda nomen adhibent *infinitum*, vel *ens infinite perfectum*. Quod licet multi doceant Philoſophi, tamen *Harduinus* ex ingenti eorum numero undecim ſelegit, eosque non ex Reformatis aut Lutheranis, quoniam hi in Gallia non habent libertatem ſacra peragendi, ſed ex Pontificiis & ſuæ Eccleſiæ addictis, ad unum omnes. Sunt autem ſequentes *Cornelius Janſenius*, *Ambroſius Victor*, ſive *Andreas Martin*, *Ludovicus Thomaſſinus*, *Franciſcus Malebranchius*, *Paſchaſius Queſnel*, *Antonius Arnaldus*, *Petrus Nicolle*, *Blaſius Paſcal*, *Renatus Carteſius*, *Antonius le Grand*, *Silvanus Regis*. Ex horum virorum ſcriptis variis Autor ea decerpſit, ex quibus eos Atheiſmi convinci poſſe judicat, & ipſi tractationi ſingularem Indicem adjecit, ex quo, tanquam ſummario, Dogmata Philoſophorum illorum cognoſci poſſint, in hoc Opere ſigillatim notata. His Atheis proxime ſubjiciuntur
Pag. 259. *Reflexions importantes, qui doivent ſe mettre à la fin du Traité intitulé Athei detecti*, ubi cumprimis id agit Noſter, ut *Carteſianam* Philoſophiam Atheiſmi ſuſpectam red-
273. dat. Sequitur *Platon expliqué, ou Cenſure d'un écrit de M. l'Abbé Fraguier, inſeré par M. l'Abbé d'Olivet, dans la Traduction des Entretiens de Ciceron ſur la nature des Dieux.* Eo opera Autoris in hoc Volumine ſpectat, ut oſtendat *Platonem* non ſolum a Polytheiſmo non liberum, ſed ejusdem autorem eſſe ac propugnatorem. Nam, licet interdum vocem Θεὸς in ſingulari uſurpet Philoſophus, tamen, id non niſi de multis Diis capiendum, complures alii ejusdem *Platonis* loci, qui pluralem habent numerum, *Harduino* comprobare videntur, qui & erroribus annumerat, quando titulum li-
276. bri primi *Moſaici Geneſis* de creatione mundi explicatur, propterea quod ex mente Vulgati nihil aliud notet, niſi Genealogiam Patriarcharum, quemadmodum liber *Moſis* ſecun-

dus

dus vocatur *Exodus* ab exitu Iſraelitarum ex Ægypto. Unde, quando in Codice MSto adductus liber inſcribitur γένεσις κόσμȣ, hanc inſcriptionem exiſtimat profectam ab homine *Platoniſmo* imbuto. Quarto loco comparet *Pſeudo-Virgilius*, Pag. 280. ſive *Obſervationes in Æneidem.* Negat, ingenio, ni fallimur, plus juſto indulgens, *Harduinus*, *Æneidem* a *Virgilio* ſcriptam eſſe, & ſuæ opinionis has fere rationes initio profert. Deliberatum fuiſſe *Virgilio*, poſt edita *Georgica* prodere carmine res geſtas non *Æneæ*, ſed *Cæſaris Auguſti.* Jam vero *Georgica* anno U. R. 735 ſcripta eſſe, cum *fulminaret Auguſtus Euphratem bello*, ut ipſe canit Poeta: & *Virgilium*, teſte *Plinio*, anno U. R. 740, vel eodem illo anno, ut Scriptor ejus vitæ vetuſtus memorat, obiiſſe. Itaque vel ante *Georgica*, vel intra quinquennium, *Æneidem* ſcriptam dici oportere, cum *Servius* teſtetur, *Æneidem* opus eſſe annorum undecim. Deinde, ſi *Æneis Plinii* ævo exſtitiſſet, illius ſane mentionem feciſſet, quia plus tricies *Georgica* & *Eclogam octavam* laudet. Quando autem idem *Plinius Lib. VII Sect. XXXI* memorat, Divum *Auguſtum* Carmina *Virgilii* cremari contra teſtamenti ejus verecundiam vetuiſſe, non potuiſſe, per Carmina *Plinium* indicare *Æneidem*, quippe quæ Carmen potius dicenda ſit; nam Carmen dici, quantæcunque magnitudinis ſit, quod in unico verſatur argumento, ut epicum poema quodlibet: Carmina vero dici, cum plura & diſparia tractantur argumenta, ut in *Bucolicis* & *Georgicis.* Porro *Virgilium* in *Georgicis* docere, Trojanos duce *Tithono* in Italiam miſſos eſſe, at in *Æneide* profugi quidam ſub *Ænea* id feciſſe dicuntur. Quæ vero veterum teſtimonia de *Æneide Virgilii* habemus, e. g. *Ovidii*, *Juvenalis*, *Statii*, *Silii Italici*, *Martialis*, *Propertii*, *Quintiliani*, &c. nec non Scriptorum Eccleſiaſticorum, æque ſuppoſititia judicat, ac Scriptores ipſos. Scripta igitur *Harduino Æneis* videtur poſt annum 1230, & 282. eo ſpectaſſe vatem unice, ut doceret, fato evenire omnia tam bona, quam mala, nihil eſſe, quod fatis poſſit obſiſtere. Cumque exemplum illuſtre, ſeu materia inſignis quærenda fuiſſet, 283. ubi ea fati poteſtas ſola valuiſſet, Autori id ſuppeditaſſe cen-

Digitized by Google

ſet victoriam Chriſtianæ religionis de *Moſaica*, Chriſtianis ſacris Romæ receptis poſt exciſum templum Hieroſolymitanum, & civitatem ſanctam ſuccenſam. Quam vatem comminiſcitur convertiſſe in fabulam, ob eamque rem finxiſſe, pro Hieroſolymis incenſis, Trojam ſuccenſam; pro Chriſtiana religione inde poſtea Romam advecta a Chriſtianis, Trojana Numina ab *Ænea* in Italiam poſt Trojam crematam deducta: pro Judaiſmo extincto & Synagoga abolita, *Turnum* occiſum, & ſuſpendentem ſe *Amatam* præ deſperatione. Itaque hanc non Epicam proprie eſſe, in qua veram oportet eſſe actionem, ſed totam Romanenſem, ut Galli vocant, (*un pour Roman*) affirmat, etſi concedat, in ſenſu arcano veram proponi actionem. Ad vitia *Æneidos* refert fictum argumentum, fictas perſonas, res fictas, actionem geminam, non unam, quod juſtam excedat menſuram, & annum ſaltem integrum poſtulet, quod Numina, quæ in *Æneide* inducuntur, non ſunt, ut in *Homero*, naturæ dona quædam inſignia, ſed mere ludicra & fabuloſa, ut ligneolæ atque avtomatæ hominum effigies, (*des Marionettes,*) quod Dii ex machina ſæpiſſime oriuntur, quod ſcatet vocibus audacter fictis, inanibus epithetis, commutationibus caſuum prorſus inſulſis, ſolœcis denique, quæ vix tironi in
Pag. 284. ſcholis Grammaticæ vel Poetices magiſter ignoſceret. Unde totum Carmen, Gallice prius exaratum, vocat prorſus inelegans, abſque poeſi vera, ſola conſtans pedum menſura, ſive ſtructura, quam verſificationem vocant, eaque perſæpe barbara, obſcura, plena verbis prorſus alienis, audaci commutatione caſuum, contra Latini ſermonis uſum, tantum diſſimile *Georgicis* opus, quantum æs auro diſtat. Quæ quidem omnia ita comparata ſunt, ut faciliori negotio refutari poſſint, quam excogitata ab Autore videntur. Interim, ut, quæ dixit Noſter, probet, ſingulos percurrit *Æneidos* libros, & ex iis Barbariſmos, Solœciſmos, Galliciſmos, & id genus alia monſtra, producit. Nos pauciſſima notabimus, ex quibus de reliquis facile judicari poterit. *Lib. I v. 5, Arma cano*, dictum putat imperite pro *bella cano*, idemque valere, ac ſi Gallice dicatur, *Je chante les piques & les mousquets.* *Verſ. 7, terris & alto,*

Digitized by Google

to, veretur, ut Latinum ſit. *Verſ.* 77, *Connubio jungam ſtabili*, ſolœcum appellat, quia in *connubio* ſecunda producitur ex verbo *nubo*. Ad *Verſ.* 100 ita commentatur: *Verbum* oppetere *ſolitarie poni abſque ſubſtantivo mortem & necem, barbarum eſt.* *Verſ.* 202, *ante-malorum* ficta vox dicitur, pro *anteriorum malorum*, audacter, & nove, & barbare. *Verſ.* 569, *Trojæ urbem* pro *urbem Trojam*, ſolœcum e Gallicismo pronuntiat, *la ville de Troie.* *Verſ.* 657, *nata Priami*, inquit, *dictum barbare eſt, non Latine, ut & Lib. II verſ.* 527. *Eſt ea loquendi forma vulgaris Seculi decimi tertii.* *Lib. III verſ.* 473, *vento ferenti*, pro *vento ſecundo*, dictum eſt barbare; nam quid eſt ventus ferens, niſi forte Gallicismus eſt? & *verſ.* 475. *conjugio ſuperbo*, epitheton puerile eſt, inſulſum præterea. Ad *verſ.* 576 delirat vates, cum metri cauſa fortaſſis *liquefacta ſaxa*, dicit, pro igne percocta vel exuſta. *Lib. IV verſ.* 116 *confieri* ficta vox audacter, pro *confici*, ſic metro cogente. *Verſ.* 221 *Amantes* ſine regimine poſitum abſolute Gallicismus eſt, *des amans.* Ad *verſ.* 229 ita: gravidam fuiſſe imperiis *Virgilii* ætate Italiam, quis intelligat? At re ipſa ſignificat vates, id quod ſua ætate cernebat, Chriſtum in Italia regnaturum, plena ac veluti fœta regnis, ſive ditionibus, quæ eſſent diverſis ſubjectæ Principibus, regno ſcilicet Neapolitano, Statu Eccleſiaſtico, Ducatu Medionalenſi, Mantuano, Veneto, Genuenſi, & aliis, eademque bellum aſſidue depoſcente factionibus, Guelforum ac Gibellinorum, quæ Seculo XIII Italiam quatiebant, circa annum 1228 ac deinceps. *Lib. V verſ.* 436, *tela* pro cæſtibus dici, ratio non patitur: nec, *tela exire*, pro eludere, ſive evitare, leges Grammaticæ ſinunt. *Lib. VII verſ.* 111, *penuria edendi*, pro inopia ciborum edulium, craſſus Barbariſmus eſt, metro cogente admiſſus. *Verſ.* 505, *peſtis aſpera*, pro furia *Alecto* exaſperans occulte ruſticos, barbara, & obſcura, metri cauſa, oratio eſt. *Verſ.* 543, *convexa per auras cæli*, dictum perquam inepte & inuſitate, abuſione vocis *convexa*, minime probabili. *Lib. VIII verſ.* 3 quid eſt, quærit *Harduinus*, *impellere arma*? ego quidem neſcio. Si poſitum id eſt, pro *ut commovit* homines ad arma capeſſenda, Pag. 299.

 dictum

dictum eſt obſcure & barbare, non Latine. *Verſ. 29, turbatus pectora bello*, Græciſmus eſt; Latine loquentibus improbandus, ut Gallis Belgiſmus. *Verſ. 72, Tyberi genitor*, pro Tybri pater, dictum inepte, metri cauſa, ut ſi de Epiſcopo dixero, *Reverende genitor*, pro *Reverende Pater*. Ad *verſ. 259 ſeq. In nodum complecti*, quid ſit, neſcio, *angere oculos*, inſana oratio eſt: & *inhærens* inane verſus complementum. Angit guttur, & facit ſiccum ſanguine: elidit autem oculos, ſcribi oportuit. *Lib. XI verſ. 73. Læta laborum*, pro gaudens tali labore, non eſt oratio congrua, ſed ſolius metri cauſa audacter projecta. *Lib. XII verſ. 334 Thraca* pro *Thracia* dictum eſt æque impudenter, ac ſi quis *Galla* pro *Gallia* dixerit. *Verſ. 609* acceptus hic mos e ſacris libris. Judaicus enim ille mos fuit, *ſciſſa veſte* in luctu procedere. Sed, relicto *Pſeudo Virgilio*, ad *Pſeudo-Ho-*
Pag. 328 ſeq. *ratium* pergendum eſt. In his *Animadverſionibus Criticis* Noſter oſtendere conatur, *Horatii Poetæ nihil ſupereſſe genuinum præter Epiſtolas & Sermones.* Primum argumentum inde repetit, quod *Plinius*, qui ſolus ipſi inſtar oraculi habetur, nuſquam commemorat Odas *Horatii*. Deinde ex ipſo *Horatio* varios producit locos, ex quibus ſibi perſpexiſſe videtur, ipſum *Horatium* Odas ſibi abjudicaſſe, e. g. quando *Lib. I Epiſt. I* initio ſic canit:

Prima dicte mihi, ſumma dicende Camena,
Mæcenas,

ubi, interprete *Harduino*, prima *Camena* ſignificat Satyras ſive Sermones, ſumma vero ſive altera Epiſtolas. Præterea ſcribendi genus in Sermonibus & in Epiſtolis adeo diſſimile eſſe putat Lyrico in Odis, difficillimum ut ſit, in utroque eundemque vatem ſe cum pari virtute exercere. Et quamvis
329. *Quintilianus Lib. X Cap. I, Horatium* Lyricorum fere ſolum eſſe legi dignum, judicet, tamen Noſter non dubitat mentiri *Fabium*, niſi de ſua ipſius ætate, hoc eſt, de Seculo deci-
330. mo quarto, loquatur. Denique neminem enumerare ſe putat verſus modulationis, ſive numeroſi ſoni, expertes; alios ſine cæſura in medio: plurimos proſæ ſimiliores, quam poeſi, nonnullos una ſyllaba redundantes: quosdam deſinentes in

prono-

pronomen *qui*, vel in conjunctivam particulam &; in aliis voces diſſectas, ut pars earum priorem verſum compleat, altera ſequentem inchoet; ſtrophen cum ſtrophe in plerisque illigatam, alioquin ſenſu carituram, &c. His quaſi præmiſſis, ad ipſa Odarum verba progreditur, in quibus idem ubique fere deprehendiſſe ſibi videtur, quod in *Æneide* notaverat. *Lib. I Od. II verſ.* 47, *vitiis iniquam*, ut barbare, inquit, ſolœcizansque ſcriberet, pro vitiis iratum, nec ferentem illa patienter, manifeſte coegit ſola verſus explendi feſtinatio. Et *verſ.* 51, *equitare*, pro incurſiones in fines Romani Imperii facere, imprudenter & barbare dictum pronuntiat. Ad *Lib. III verſ.* 21, *Deus* abſolute poſitum ex Chriſtiana religione eſt, quæ ſola Deum terræ & maris conditorem ac diviſorem novit. *Od. IV verſ.* 1, *Solvitur acris hiems*, dictum inepte: ſolvitur enim, quod adſtrictum fuit, non quod adſtringit: hiems & frigus adſtringit: terra gelu adſtricta veris adventu ſolvitur: glebæ ſolvuntur, non hiems. *Od. V verſ.* 10, Quid eſt, *Muſa potens lyræ*, niſi voces canoræ ſine ſenſu? *Od. VII verſ.* 2, *bimaris*, pro quæ duo maria reſpicit, factitium vocabulum eſt, nove, audacter, imperite. *Od. XXIX verſ.* 16, *Tendis*, pro cogitas, vel paras, Latinum non eſt, ſed obſequi metro coactus eſt vates. *Od. XXXVII verſ.* 10, *Quidlibet impotens ſperare*, barbarum & ſolœcum eſt: pro adeo iræ & ſuperbiæ impotens, ut quidlibet auderet ſperare. *Lib. II Od. VII verſ.* 21, *oblivioſum vinum* pro eo, quod, cum inebriat, oblivionem malorum affert, Latinum certe non eſt. *Ciboria* vox eſt e Chriſtianis accepta, apud quos vas eſt corpori Chriſti aſſervando deſtinatum: neque ab aliis uſurpata Scriptoribus, quam cohortis impiæ, qui eam vocem ad pocula potoria ſignificanda tranſtulerunt. Denique *exple* pro *exhauri* audacter magis metri cauſa, quam Latine, poſitum eſt. *Od. XI verſ.* 11 *ſeq.* quæ ſunt *æterna conſilia*? ut metro ſerviret, *æterna* poſuit, pro alia ex aliis nexa, nec unquam deſitura, barbare & obſcure. *Od. XV verſ.* 9, *laurea*, pro lauro, prave, barbare. *Lib. III Od. IV verſ.* 41, *almæ* epitheton inane, complendo verſui quæſitum, & Gallicismus, *les bonnes*,

Pag. 331. 332. 338. 340. 341.

mes

Pag. 347. *mes bonnes.* *Od. V verſ. 42, ut capitis minor*, pro *ut capite diminutus*, verſus coegit dicere, Latinitate tota reclamante. *Od. VI verſ. 27, Impermiſſa* ficta vox eſt ab audaci vate pro illicita, vetita, quæ verſui non congruebant. A nullo alio Scri-
353. ptore uſurpata vox ea eſt. *Lib. IV Od. IV verſ. 70, Poſthume, Poſthume; Ilion, Ilion, occidit, occidit,* &c. geminatio huic vati familiaris, ut tironibus in arte poetica. *Od. VII verſ. 19, Animo amico*, pro *Genio*, ineptientis eſt & metro tur-
361. piter ſervientis Poetæ. *De arte poetica verſ. 40, & potenter* pro ſecundum vires, & *res* pro argumento, dicitur inepte. *Potenter, puiſſament*, Galliciſmus eſt. *Verſ. 94, delitigat* fictum verbum metri cauſa. *Verſ. 246, Juvenari*, pro juveniliter laſcivire, verbum, metro poſcente, factitium eſt. *Verſ. 302*, ſive *purgor* legas cum libris omnibus, ſive cum *Lambino* emendes *purgo*, ſolœcum eſt, vel Galliciſmus. Neque enim homo purgat, ſed medicamenta purgant bilem. *Verſ. 441, Et male tornatos incudi reddere verſus*, Galliciſmus, *des vers mal tournez.* *Tornandi* verbum optimum ac *Plinianum* eſt, pro eo, quod eſt torno polire. Sed *male tornatus*,
362. de verſu dictum inprimis, Galliciſmus eſt. Ceterum negat *Harduinus* eundem Epiſtolarum & libri de arte poetica opificem, licet concedat, hunc longe ſuperare diligentia & dicendi facultate Scriptores Carminum & Epodon, aut, ſi ſcripſiſſe idem Carmina exiſtimandus ſit, hunc viciſſe ſe ipſum. Supervacaneum vero putamus his refutandis vel elevandis immorari, quoniam hæc omnia, quæ de *Virgilio* & *Horatio* adduximus, eo ipſo jam ſatis refutata arbitramur, quod maxi-
363. mam partem ipſiſſima Autoris verba retinuimus. Sequuntur Numiſmata Seculi *Theodoſiani*. In præmiſſa nummorum explicationi hiſtoria hujus Seculi monet, quamdiu floruerit Romanum Imperium, uni tantum *Auguſto* commiſiſſe Senatum rerum bellicarum ac civilium in Provinciis adminiſtrationem, qui ob illas *Imperator*, ob iſtas appellatus ſit *Auguſtus*: deinque tantum conſtitutos fuiſſe primarios Imperatores & Auguſtus, *Diocletianum* & *Maximinianum*. Atque hos dicit fuiſſe vel annuos, vel triennales, vel quinquennales, vel quindecennales,

Digitized by Google

les, vel vicennales, quibus adjungit eos, quibus interminatum a Senatu tempus imperii fuit, quique propterea appellantur in nummis *perpetui Auguſti*. Ex ipſa nummorum contemplatione hæc duo de tempore Principatus unicuique Imperatori conſtituto certiſſime colligit, primo nunquam Imperium cuiquam prorogatum fuiſſe ad annos amplius viginti, excepto *Conſtantino Auguſto*, fratre *Conſtantis*, qui ad annos quinque & viginti tenuit Principatum: deinde nunquam a patre Principatum tranſiiſſe ad nepotem, ſed poſt patrem & filium, ſiquidem ſucceſſit patri filius, translatum imperium eſſe ad agnatos. Cumque triplicem ſtatuat fuiſſe familiam *Conſtantinorum*, *Flaviam Juliam*, *Flaviam Valeriam Maximam*, & *Flaviam Claudiam*, uniuscujusque familiæ ſtemmata exhibet, ex quibus, ad quamnam familiam referendi ſint ſinguli Imperatores, perſpicitur. Hinc efficit, unicum fuiſſe *Theodoſium Auguſtum*, ortumque ex *Antonia* gente videri, quæ affinitate olim juncta fuit cum Græca gente, propterea quod nullo indicio probabili diſtingui poſſunt in nummis *Theodoſii* duo, & quod nunquam in nummis ſcribitur *Theodoſius Junior*, quemadmodum ſæpiſſime ſcribitur *Valentinianus Junior*. Negat etiam, *Honorium* & *Arcadium* fratres fuiſſe, & *Theodoſio Auguſto* genitos. Contendit potius, nomina *Honorius* & *Arcadius* tam nomina eſſe gentium diverſarum, quam ſunt *Julius* & *Pompejus*. Nec, *Fl. Victorem* fuiſſe *Maximi Auguſti* filium, concedit, ſed *Fl. Claud. Conſtantini*, Cæſaris, nepotem, *Conſtantini* Imp. Aug. pronepotem, patrem *Conſtantini* Aug. Affirmat etiam, *Valentinianum* fratrem *Valentis* non fuiſſe, ſed cognatum tantum, hoc eſt, maritum ſororis ipſius, *Valentinianum* vero tertium nullum fuiſſe. Exhibetur tandem proſpectus totius Seculi *Theodoſiani* in una tabula, & ad planiorem nummorum tam intelligentiam, quam illuſtrationem, repræſentantur omnia numiſmata, quæ a civitatibus & Provinciis *Auguſtorum* nominibus a *Juliano*, Auguſto, uſque ad *Anaſtaſii* & *Juſtini* tempora cuſa fuerunt, cum ipſis, quæ ſubſcriptæ ſunt, literis. Singulos igitur nummos æri inſuper inciſos percurrit *Harduinus*, &, quid in ſingulis contineatur, more ſuo declarat. Multa profecto in

Pag. 364. 366. 367. 368. 371 ſeq.

iis traduntur, quæ ab aliis numiſmatum ſtudioſis vel neglecta fuerunt, vel aliter expoſita. Ceterum perſuaſiſſimi ſumus, omnes horum ſcriptorum lectores eadem affectum iri voluptate, qua nos ſumus perfuſi in percurrendo hæc *Harduini* monumenta, quæ, licet ubique plus ſpirent ingenii, quam veritatis, tamen vel ideo omnibus commendanda putamus, quod occaſionem rebus in tenebris quodammodo latentibus curatius evolvendis ſuppeditant uberrimam, quam nos ambabus, quod ajunt, manibus amplexati fuiſſemus, niſi verendum fuiſſet, ne longiore excurſione cancellos, quos inſtituto noſtro poſitos non ignoramus, Lectoribus noſtris tranſiliiſſe videremur.

Weſtphäliſche Friedens-Handlungen und Geſchichte, x.

h. e.

ACTA PACIS WESTPHALICÆ PUBLICA; Autore JO. GOTHOFREDO DE MEIERN, Regis Magnæ Britanniæ & Electoris Hannoverani Conſiliario Aulico.

Tomus III.

Hannoveræ, apud J. A. Gerken, 1735, fol.
Alph. 9 pl. 21.

Minime moratur ſpem eorum, qui producta e ſcriniis videre geſtiunt Actis Pacis Weſtphalicæ, Generoſiſſ. Autor, imo mira celeritate nunc exhibet *tertium Tomum*, quo quæ traduntur, non minorem, quam argumenta *priorum Tomorum*, & utilitatem & voluptatem afferent Germanicæ, ſive Hiſtoriæ, ſive Jurisprudentiæ publicæ, cultoribus. Antea vero, quam *Tomum* hunc *tertium* ingrediamur, Prolegomena nobis inſpicienda ſunt haud obiter, quippe perbonæ frugis plena. In ipſius enim Ill. Autoris Præfatione copioſe deſcriptum eſt & peraccurate *bellum literarium Diplomaticum*. En ejus Hi-

Digitized by Google

ſtoriæ compendium! Primo Germani Criticam Diplomaticam occaſione Abbatiæ S. *Maximini*, juxta Treverim ſitæ, coluerunt duce *Zylleſio*. Secuti ſunt Galli, hos Itali, Hiſpani, & Angli. Ad ultimum Germani redierunt in hanc arenam, optimeque de hoc ſtudio meriti ſunt. Dividi autem debet bellum hoc Diplomaticum in univerſale & particularia. Ad prius quod attinet, primi aggreſſi ſunt vetera Diplomata, deque dubia ipſorum fide diſputarunt *Henſchenius* & *Papebrochius*, Jeſuitæ. Quam nactus occaſionem *Mabillonius*, opus ſuum edidit *de re Diplomatica*, ſuoque effecit exemplo, ut ſui Ordinis (Benedictinum fuiſſe, conſtat,) inſignia nunc exſtent in ſtudium Diplomaticum merita. *Mabillonio* cum multi applauderent, & hos inter ipſe *Papebrochius*, tandem *Barth. Germonius*, Jeſuita, omnem auſus eſt fidem demere vetuſtis Diplomatibus. Erudite quidem is refutatus eſt a *Mabillonio*, ſed ita tamen A. 1706 reſpondit, ut ingenioſiſſime in ſuſpicionem falſi vocaret, quicquid eſt veterum Diplomatum. Cui cum per ſenectutis infirmitatem reſpondere non poſſet *Mabillonius*, prodiit *Fontaninus*, *Germonium*que dextre refutavit, eodemque temporis tractu antagoniſtas accepit *Germonius Ruinartum*, *Dominicum Lazzarinum*, & *Antonium Gattum*. Qua occaſione catalogus omnium librorum a *Fontanino* editorum exhibetur, autore Cl. *Reuſchio*, doctis adjectis Animadverſionibus. Ceterum quatuor his Adverſariis Reſponſum reddidit *Germonius* A. 1707, quo libro cum etiam Codices MStos ſuſpectos reddere ſtuduiſſet, horum patrocinium ſuſcepit ſingulari libro *Couſtantius*. Huic A. 1713 reſpondit *Germonius* in libro *de veteribus hæreticis Eccleſiaſticorum Codicum corruptoribus*: cui *Couſtantius* A. 1715. oppoſuit *Vindicias veterum Codicum*. A. 1727 edidit *Scipio Maffejus*, Marchio, ſingulari eruditione conſpicuam *Hiſtoriam Diplomaticam*, cui in Germania ſucceſſit Abbas *Gottfridus*, editor *Chronici Gotwicenſis* A. 1732, quod opus noſter Autor ſummis ornat laudibus, & *coronam* appellat *omnium librorum, qui unquam editi fuerunt a Germanis*.

Præfationem hanc ſequuntur *ſeptem Epiſtolæ* ad *Scheringum Roſenbanium*, Reſidentem Suecicum, (cui hic nomen *Scipionis Scaligeri* imponitur,) A. 1646 & 1647 Monaſterii & Osnabrugæ ſcriptæ, in quibus internus negotii pacificatorii ſtatus exponitur, & quidem ſtilo nitidiſſimo. Nos inde nihil excerpimus præter breve hoc Carmen :

Gallia vult pacem, turbas tamen undique & arma
Fœderaque in bellum continuanda ciet.
Gallia vult pacem, liteſque ex lite recudit.
Hoc eſt in media quærere nocte diem.
Gallia vult pacem, ſed bellis implicat orbem.
Gallia, da pacem, vel, dare velle, nega.

Hinc exhibetur D. *Benjaminis Leuberi* liber, illuſtrando Articulo undecimo *Inſtrumenti Pacis Cæſareo-Suecici* deſtinatus, adeo adhuc rarus, ut quibusdam haberetur ineditus. Potiſſimum in eo tanquam ſubdititia rejiciuntur jactata a Magdeburgenſibus privilegia quædam pervetuſta.

E veſtibulo nunc tranſeamus in ipſum atrium, non ſingula, ſed præcipua quædam, perluſtraturi curioſis oculis. Complectitur ſcilicet hic *Tomus Librum XII* una cum *quinque* ſequentibus. Et in *Libro* quidem *XIX* relata legimus, quæ acta fuerunt de ſatisfactione Regibus Galliæ Sueciæque danda; in *XX* & *XXI*, quæ ab utraque parte in medium prolata fuerunt, Gravamina Eccleſiaſtica; in *XXII* & *XXIII* politicas offendimus prætenſiones multorum Germaniæ Principum Civitatumque; in *XXIV* lites memorantur novæ de ſatisfactione cum a Gallis, tum a Suecis, poſtulata. Ex his argumentis noſtro more nonnihil excerpemus, hoc prægustu invitaturi Lectores ad totum Opus accuratius perlegendum. Videlicet ex *Libri XIX* §. 2, 3, 17, 22, 24, 27, diſcimus, cum Imperator Gallo Alſatiam dare paratus eſſet, Briſacum vero ſibi reſtitui vellet, nec hanc ſententiam ſe mutaturum eſſe aſſeveraret, Electorem Bavariæ a partibus Galli ſtetiſſe, valdeque anniſum eſſe, ut ei Briſacum quoque daretur, imo minatum eſſe, ſe particularem cum Gallo initurum eſſe pacem, niſi iſto poſtulato Cæſar annuat. Proferuntur vero §. 25 rationes graviſſimæ, cur Bri-

Digitized by Google

Briſacum eſſe non debeat in poteſtate Galli. Urgente vero Rege Galliæ, tandem Cæſarei Legati conſenſerunt, addita tamen exceptione, cum novas Gallus objiceret difficultates. Ac diſputatione hac de Briſaco totus prope hic Liber impletur. In §. 39 Legati Suecici Cæſareis Legatis, ita de Suecica ſatisfactione acturis, ut Principum Imperii gravamina aliud in tempus rejiciantur, haud aſſentiuntur, ſed, hoc prius expediri oportere negotium, contendunt. Iidem, cum ipſis Cæſarei exhibuiſſent ſpecimen *Inſtrumenti Pacis*, (quod *p. 66 ſeq.* exſtat,) ſimul rogantes, ne propoſitiones Cæſareas aperirent Principibus Germaniæ, id facere §. 40 recuſarunt, confirmantes, ſe inconſultis iſtis Principibus nihil facturos. Hinc Legati Principum & Civitatum §. 41 ſua monita exhibent contra Projectum Cæſareum pacificationis. *Pag. 86* legimus, cum & Ordines fœderati Belgii apud Reginam Sueciæ & Status Germaniæ apud ejus Legatos egiſſent, ut Electori Brandeburgico relinqueretur Pomerania, Comitem Oxenſtiernam reſpondiſſe, Brandeburgicos ſequi debere ſua principia religionis, & cogitare, ſi Pomerania ſit a Deo prædeſtinata ad parandum regno Sueciæ, id mutari non poſſe: quanquam ſimul apparet, Oxenſtiernam ad acerbius hoc Reſponſum excitatum fuiſſe aſperitate Legati Brandeburgici, dicentis ad ipſum fervidius, Suecis dari Pomeraniam, eſſe ἐκ τῶν ſimpliciter ἀδυνάτων. *Lib. XX* §. 1 indicatur, aulam Cæſaream ideo noluiſſe conſentire, terminum amneſtiæ conſtitui annum 1618, quia ex eo tempore uſque ad annum 1621 oppreſſa ſit in regionibus Auſtriacis religio Lutherana, adeoque reddi hoc pacto civibus debuerit libertas religionis. *Paragr. IV pag. 104-109* narratur, quantis malis affecti fuerint cives Lutherani urbis Auguſtæ Vindelicorum inde ab A. 1629, quo juſſu Imperatoris ſine ulla forma judicii civibus ademta fuit libertas religionis, erepta omnia templa, item Gymnaſium, ejecti doctores Eccleſiæ Scholæque, civibus interdictum, domi legere Scripturam Sacram, vel pia cantica cantare, vel extra urbem petere aliquam Eccleſiam, ibique Sacra Cœna uti. *Paragr. IX pag. 133 ſeq.* exhibentur literæ publicæ, quibus *Maximilianus II*, *Rudolphus II*, *Matthias* &

Digitized by Google

Ferdinandus II, Statibus & civibus Religioni Lutheranæ addictis ſancte promiſerunt liberum ſuæ religionis exercitium. Ac ſunt harum literarum exempla Legatis exhibita in Conventu pacificatorio Oſnabrugenſi. Inprimis notatu dignum, quod *pag. 142* refertur, *Ferdinandum II* A. 1620 d. 11 Julii Statibus Auſtriacis Auguſtanæ Confeſſioni addictis & per literas & viva voce promiſiſſe liberum religionis exercitium, impoſitaque pectori manu, ac ſublatis ad cœlum oculis, dixiſſe: *Verbis meis fidem habete. Quam certo ſum Archidux natus, & Imperator electus, tam certo præſtiturus ſum, quæ promiſi vobis de religione.* Statim vero *pag. 143* narratur, quam graviter ſævitum ſit poſtea in Lutheranos Auſtriacos. *Pag. 186* relatum legimus, A. 1646 menſe Junio Legatos Electoris Saxoniæ cum Imperatoriis ſeparatim agere cœpiſſe de pace facienda, his ſtudentibus Electorem ita, ut in Pacificatione Pragenſi factum erat, a ceteris Statibus Evangelicis disjungere; admonitos vero a nonnullis Proteſtantibus Legatos Saxonicos a propoſito deſtitiſſe. Ac exhibentur *pag. 187 ſeq.* cum Imperatoriorum, tum Saxoniæ Electoris, Legatorum conſilia pacificatoria. *Pag. 199* legimus, oblatum fuiſſe a Proteſtantibus Legatis directorium Eccleſiaſticum Legatis Electoris Saxoniæ, hos vero id noluiſſe accipere, addito, ſe nec velle, directorium iſtud committi Brandeburgico Electori. *Pag. 206 - 272* exhibetur Protocollum, docens, quid a die 8 Julii uſque ad diem ejusdem menſis Legati Proteſtantium deliberarint circa gravamina pacificatione tollenda: ac *pag. 279 - 281* iſtorum Legatorum puncta pacificatoria leguntur commodum redacta in ordinem. Hic memoratu digna eſt ſententia Legati cujusdam, *pag. 289* dicentis, Principes debere libertatem conſcientiæ ſive religionis indulgere civibus ſuis, nec recte facere, ſi diverſæ religioni addictos ſuis finibus ejiciant. Quocum ſentiebat Altenburgenſis Legatus, *pag. 315* ſtatuens, coactionem diſſentientium in religione ad emigrationem excedere terminos jurisdictionis & poteſtatis magiſtratui a Deo conceſſæ, ac Principes, qui religionis cauſa civibus moleſti ſint, peccare contra æquitatem & juſtitiam univerſalem. *Libri XXI pag. 306* narratur, quam labora-

Digitized by Google

berarint nonnulli, ut Legati Altenburgenſis, Vinarienſis, & Luneburgicus, fortiter quippe conſulentes commodis Proteſtantium, removerentur; ſed fruſtra fuiſſe conatum hunc. Hic *pag. 311 ſeq.* lectu digniſſimæ ſunt Legatorum Altenburgenſis & Luneburgici literæ ad ſuos Principes, quibus ſe contra obtrectatores defendunt. Inprimis Luneburgicus docet, ſi Suecia non ſit auxilio, Proteſtantes non eſſe conſecuturos, quod æquum eſt, adeoque omnino Legatos Proteſtantium debere ſua conſilia communicare cum Suecis, *quicquid fremant* (ſunt hæc ipſius verba,) *Pontificii, qui ereptam ſibi occaſionem dolent Evangelicos perpetuo jugo illigandi. Pag. 324* Legati Imperatoris declarant, atque iterum *pag. 325*, adeo alienum eſſe Imperatorem a libertate religionis concedenda Lutheranis in ſuis terris hæreditariis, ut prius extrema omnia expectet, quam in id conſentiat. Reſpondit vero *pag. 327* Luneburgicus Legatus, Juri naturæ & gentium convenire, ut ſua cuique religio ſit libera, nec quisquam contra conſcientiam cogatur amplexari religionem aliam. *Pag. 330-340* Legatis Cæſareis exhibent Legati Principum Proteſtantium ultimas ſuas ſive decretorias propoſitiones ac deſideria ſua, e quibus in facienda pace nihil ſint remiſſuri. Cum autem Catholici ægre ferrent hæc poſtulata, mitiora conſilia ceperunt *pag. 346 ſeq.* Legati Proteſtantium, ad id faciendum eo magis permoti, quod videbant, Legatos Electorales Saxonicos longe plura largiri in hac pacificatione Catholicis. Exſtant quoque *pag. 353 ſeq.* querelæ Catholicorum de punctis pacificatoriis Proteſtantium: ubi *pag. 361* tanquam axioma Metaphyſicum urgetur hæc regula: *Cujus eſt regio, ejus eſt de religione civium diſpoſitio*: quæ tamen & Sacræ Scripturæ, & Jurisprudentiæ naturali, eſt adverſiſſima. *Libro XXII pag. 461 ſeq.* legi potiſſimum merentur exulum Bohemorum, a Catholicis ob diverſitatem religionis ejectorum, literæ ad Legatos Proteſtantium, una cum Appendicibus variis, inter quas *pag. 476 ſeq.* exſtat *Rudolphi II*, Imperatoris, *Conſtitutio Majeſtatica (Majeſtæts-Brief)*, A. 1609 Ordinibus Bohemiæ data ad confirmandam religionis ſecuritatem. *Libro XXIII pag. 622* Legati Gallici A. 1646 d. 29

Maji

Digitized by Google

Maji poſtulaſſe leguntur, ut Imperator Regi ſuo in literis ad ipſum ſcribendis tribuat titulum *Majeſtatis.* Objicientibus Legatis Cæſareis, id repugnare inveterato mori, tandem res ita eſt compoſita, ut in publicis literis veterem morem ſervaret Imperator, in privatis vero literis, quibus reſponſurus ſit ad literas ipſius Regis vel Reginæ manu ſcriptas, titulo *Majeſtatis* ſive Regem, ſive Reginam, ornaret. *Pag. 680 ſeq.* urbs Oſnabruga recipi ſtudet inter civitates Imperii liberas & immediatas, variasque cauſas adducit, cur id & poſſit & jure debeat fieri. *Pag. 697 ſeq.* exſtat D. *Hæberi*, Legati Vinarienſis, Diſſertatio de obligatione Imperatoris ad permittendam civibus ſuis Auſtriacis libertatem profitendi religionem Evangelicam. Initio principium illud, quod Princeps quisque jus reformandi habeat, hoc eſt, cives ſuos ita ad ſuam religionem cogendi, ut, qui amplecti eam recuſent, iis neceſſe ſit patriis excedere finibus, in dubium vocat. Deinde urget, ſi vel maxime illud principium non rejiciatur, tamen eo uti non poſſe illos Principes, qui parti ſuorum civium ſancte promiſerint libertatem religionis diverſæ. Jam vero *Maximilianum I, Rudolphum II, Matthiam, & Ferdinandum II,* (qui A. 1620 his verbis promiſſum ſuum ediderit: *Das Exercitium Augſpurgiſcher Confeſſion betreffend, haben wir uns ſo Heroiſch, Keyſerlich und Fürſtlich gnædigſt reſolviret, daſs ſich die Stænde zu beſchwehren nicht Urſach haben werden, in Erwegung wir ſie bey dem Exercitio ermeldeter Confeſſion unperturbiret ruhig wollen verbleiben laſſen. Glaubet unſern Worten, denn wir euch alles, ſo wahr wir ein gebohrner Erzherzog und erwæhlter Ræmiſcher Keyſer ſeyn, gewiſslich halten wollen,*) ſanctiſſime confirmaſſe civibus ſuis Auguſtanæ Confeſſionis addictis, ipſos libere uſuros eſſe religione ſua, atque ita juri ſuo reformandi, ſi quod eſſet, validiſſime renuntiaſſe. *Liber XXIV* pæne totus impletur diſputationibus de Pomerania vel parte ejus Suecis tradenda pro ſatisfactione. Subſiſtimus hic, brevi recenſituri *quartum* Operis hujus ſplendidi *Tomum*, jam emiſſum in publicum.

JOSE-

JOSEPHI CATALANI, PRESBYTERI, DE Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione & uſu vario ritibus, Libri III, ad Papam Clementem XII.

Romæ, apud Rocchum Bernabo, 1733, 4.
Alph. 1 pl. 8.

Autor Pl. Rev. in Dedicatione collaudat in Pontifice Maximo ſanctitatem domi, foris fortitudinem, utrobique prudentiam, inſignem cumprimis erga literas ac literatos benevolentiam, Collegium egregium in Calabria erectum pro adoleſcentibus Italo-Græcis porro religione & arte erudiendis. Eadem Autori contigit inter Calabros patria. Ut ad inſtitutum veniat, proceres Pontificibus quondam donaſſe Evangelia, auro gemmisque coruſca, docet. Occaſionem libri conſcribendi deducit ex ſermone, in lectiſſima doctorum virorum panegyri de ritibus Eccleſiæ habito, inter quos varia fuerat injecta mentio de ſacro Evangelii codice, debitaque illi inter prælectionem reverentia præſtanda. Summa libri abſolvitur *tribus Capitibus*. *Capite primo* de Evangelio, ejus ſcriptione, ſcriptoribus, & ſcriptorum ſymbolis, agitur. *Caput ſecundum* complectitur ritum publice legendi & audiendi Evangelium. *Capite tertio* tractatur de honore, Evangeliis tribui ſolito, effectibus ejus, & miraculis. Poſt etymologiam Evangelii tritiſſimam refellendus Autori eſt viſus error *Brentii*, qui Pag. 4.
hic vocatur, neſcimus, quo jure, Semi-Lutheranus. Ei perinde ac *Luthero*, *Melanchthoni*, ac *Bucero*, ea attribuitur ſententia, Evangelium non eſſe legem, ideo potiſſimum, quod nihil prorſus præcipiat; unde fuerit factum, *ut perditi ejus ſectæ homines ab omni ſe bonorum operum obligatione liberos contendant*. Hos enim negare, in Evangelio exſtare conſilia, puta perfectionis cœnobialis, haud 5.
ſecus ac præcepta. At definitiones, & certa vocum poteſtas, fuiſſent præmittendæ, amphibolia fugienda, & praxis Lutheranorum, qui urgent omnino ſtudium bonorum operum, attendenda. Servant hi doctrinam de juſtificatione, & cum ea con-

Rrr jun-

Digitized by Google

jungunt ſanctificationis neceſſitatem. Inſtituta Evangelii, & leges, Evangelio oppoſitæ, diſcerni queunt & debent. Vox Evangelii legem modo excludit, modo includit: & rurſus lex modo Evangelio opponitur, modo obedientiam fidei lato ſenſu continet. Non negamus, Evangelium vocari νόμον πίστεως & βȣλὴν Θεȣ̃.
Pag. 6. *Lutherum* fuiſſe *Valentinianorum* ſectatorem, tradit, qui ſolum *Joannis* Evangelium agnoverint. Verum hæc e ſcriptis *Lutheri* erant comprobanda. Autor ipſe legem opponit Evangelio tanquam umbram veritati, per legem adumbratæ, *pag. 20*, & laudat Jeſuitam *Haye pag. 21*, qui multa Evangelii legisque diſcrimina, a ſanctis Patribus recenſita, in præcipuum volumen congeſſerit. *Lutherus* diſcrimen utrumque in Epiſtolam ad Romanos & Galatas ſolicite inſtituit.
8. Verba *ſecundum Matthæum* non eſſe ab Eccleſia, ſed a *Matthæo* ipſo, præfixa Evangelio, docet Noſter. Rationes dein afferuntur variæ, cur Chriſtus Evangelium ipſe non ſcripſerit.
13. *Matthæum* ſcripſiſſe Ebraice, contra Cardinalem *Cajetanum* affirmat, *Hieronymo* & *Auguſtino* pollicem premens. Poterat conferri *Joannis Alberti Fabricii* Bibliotheca Eccleſiaſtica *pag. 30 ſeq.* & Codex Apocryphus Novi Teſtamenti, ac Bibliotheca Græca *Lib. IV Cap. 5.* Poterat Autor *Athanaſii* & *Epiphanii* teſtimonia laudare, ſibi arriſura, nec non *Chryſoſtomi* illud: *ajunt*.
15. Ipſe, *Marcum* latine ſcripſiſſe Evangelicam enarrationem, negat, cauſatus, peritiam Græcæ linguæ in Imperio Romano & Romæ tum vulgatiſſimam, teſte *Juvenale Satyr. III v. 6, & VI v. 185 ſeq.*
18. De quatuor *Ezechielis* animantibus, quæ hic ad quatuor applicantur Evangeliſtas, nobis diſſentire liceat. Improbat Autor morem Italorum nonnullorum, qui in ludo ſortis, quem *Lotto di*
20. *Genova* vocant, prima Evangelii *Joannis* verba, ut inſigne adipiſcantur lucrum, adhibent. Poſt de Scriptoribus harmoniarum Evangelii ſuccincte diſſerit. Tempus, quo primum in
24. Miſſa lectitari Evangelium cœperit, ipſe ex *1 Cor. XIV, 26.* & *Canone 10* Apoſtolico determinare tentat, teſtans ſuffragia Patrum nonnullorum. Quantum ad illum attinet Canonem, ille huc quadrare non videtur, inprimis ſi illuſtrationem *J. B.*

Cote-

Digitized by Google

Cotelerii & *Theodorum Cantuarienſem* conſulamus. *Daniel Chamierus* hunc Canonem urſit contra Miſſas privatas. Lectionem Evangelii in Miſſa Noſter latine fuiſſe peractam contendit, approbans *Jacobi Ledeſmæ*, Jeſuitæ, librum *de divinis Scripturis quavis lingua non legendis*. Ebraice quoque nonnunquam Evangelia fuiſſe prælecta, probatur ex Concilio Piſano apud *Dacherium Tom. VI Spicileg. pag. 334*. Prælegebant Evangelium in Hiſpania Diaconi, in Africa Lectores. *Auguſtinus*, notionibus ſua ætate receptis aſſuetus, putavit, *Stephanum*, de quo *Actor. VII*, ita Evangelium prælegiſſe, quia fuit Diaconus. Autori ipſi ſuboluit error *Auguſtini*. Imperatores Evangelium Romæ in habitu Diaconi prælegerunt, diadema recepturi, nec non ii, qui numero Canonicorum Baſilicæ fuerant adſcripti.

Pag. 31. · 34. · 36. · 38.

ANTONII ARRIGHII JURIS PONTIficii Hiſtoria, quatuor Diſputationibus comprehenſa. Acceſſerunt ejusdem Orationes tres, 1) pro Jurisdictione Pontificum; 2) de Eccleſiis Suburbicariis; 3) de Agro limitato.

Patavii, excudebat Joſephus Cominus, 1731, 4.

Alph. 1 pl. 3.

Non ex inſtituto Cl. Autor Juris Pontificii Hiſtoriam perſequitur. Illud tantum agit, ut ſummatim de præcipuis Canonum Collectionibus, eorumque Collectoribus, ea tradat, quorum cognitione carere nemo ſine probro, & abundare ſine utilitate, poteſt. Quam quidem in rem non ſolum Pontificiorum doctorum ſcripta in rem ſuam vertit, verum etiam Proteſtantium Commentarios conſuluit. Origines Canonici Juris a temporibus Concilii Nicæni demum repetit, & in *Diſſertatione prima* de Codice Canonum Eccleſiæ univerſæ diſputat, & tuetur, unamquamque Eccleſiam particularem, præter Codicem hunc, peculiarem quendam habuiſſe. *Acroaſi II* primum contra *Clementis* Conſtitutionum Apoſtolicarum autoritatem

28. · 30.

Digitized by Google

Pag. 40. tatem diſſerit, ſuamque ſententiam *Baronii*, *Gabrielis Albaſpinæi*, *Petavii*, *Bellarmini*, *Jacobi Davii*, *Perronii*, & reliquorum, conſenſu communit. Tum de Canonibus Apoſtolicis
45. rectiorem propugnat opinionem. Poſtea diverſas methodos colligendi Jus Canonicum enumerat. Videlicet quinque modis Jus Pontificium ab optimis interpretibus huc uſque collectum
54 ſeq. eſt. Primum genus eſt, cum unius aut plurium Conciliorum Canones colliguntur & enumerantur, eo ordine, quo in Conciliis editi ſunt, temporis retenta ratione ac ſerie annorum, eaque Collectio, vel Corpus, vel Codex Canonum appellatur. Secundus modus colligendi is eſt, cum una cum Canonibus acta colliguntur atque recitantur. Tertius, cum Canones plurium Conciliorum, quæ ad unam eandemque rem pertinent, ſub uno eodemque titulo & inſcriptione collocantur. Quarto autem modo hoc fit, ut Canonibus Leges Imperatoriæ adjiciantur, quæ conſentiunt cum Canonibus, & hanc Collectionem appellant *Nomocanonem*. Quintus tandem modus eſt, cum veluti acervo quodam, & Canones, & Leges, & Epiſtolæ Pontificum Decretales, Patrum denique ſententiæ, certis quibusdam titulis concluduntur. Quas quidem diverſas
55. Jus Canonicum tradendi methodos ubi recenſuit Cl. Autor, ſub finem *Diſſertationis ſecundæ* de Collectoribus Canonum agit, *Fulgentio Ferrando*, *Joanne Antiocheno*, *Photio*, & *Martino Bracharenſi*.

In *Acroaſi III* Cl. *Arrighius* de aliis Viris eruditis loquitur,
60. quorum merita in Jus Pontificium ſunt eximia. De *Creſconio* enim, Epiſcopo Africano, verba facit, qui primus omnium Pontificum Romanorum Epiſtolas Decretales inter Canones retulit. De *Caroli M.* Capitularibus obſervationes aliquot profert pag. 63. De *Iſidoro Mercatore* ex inſtituto *pag. 66 ſeq.* diſſerit. Quemadmodum autem de *Iſidori Mercatoris* Epiſtolis Decretalibus jure meritoque affirmat, *eas, poſtquam hominibus diu il-*
69. *luſerint, verendæque ac ſanctæ viſæ ſint, viles abjectasque nunc haberi*; ſic calculo noſtro probare non poſſumus ſe-
72. quentia Doctiſſ. *Arrighii* verba: *Nihil eſt, quod tantopere glorientur, qui Novatores appellantur, ac Pontificibus objectent*

Digitized by Google

ſtent Collectionis hujus fidem, quaſi ea autoritas illarum unice nitatur; atque hac ipſa concidat, illa diſturbata. Nullum adhuc, qui tamen judicii ullius fuerit, inventus eſt, qui affirmarit, Collectionem hanc opera Pontificum in lucem prodiiſſe, ut ſibi poteſtatem ampliorem vindicarent. Meminimus enim eorum, quæ Vir doctiſſimus, *Joſephus Motta*, in Diſſertatione *de Metropolitico jure*, Venetiis A. 1726 edita, de his ipſis Epiſtolis Decretalibus *Iſidori Mercatoris pag.* 225 obſervat. *Obſtupuere*, inquit, *Galli ad novum phænomenon, ſimplicioresque uti a cœlo delapſas venerati ſunt. Obſtupuit & Hincmarus Rhemenſis, qui, ut vir erat naſutiſſimus ac perſpicaciſſimus, apocrypharum hujusmodi Epiſtolarum falſitatem tunc ſubodoratus eſt; &, quanquam eas rejicere omnino non auſus ſit, vix aliquam tamen autoritatem eis dedit, quia magnis nominibus munita erant, nec ſatis liquebat, vel ſinceræ, vel ſuppoſititiæ eſſent. Hinc ſummi Pontifices, quibus quidem favebant, ad ſenſum Curialium illas impenſius colere cœpere, nihilque non moliti ſunt, ut ipſis robur & autoritatem conciliarent. Hinc Epiſcopi nonnulli, ut Metropolitanorum præſentem fugerent correctionem, ad eas confugiebant, ut ad ſacram anchoram. Omnes denique timide huic novitati obſtiterunt. Hinc ſuſceptum Eccleſiaſticorum judiciorum ordinem nonnihil interturbarunt.* Quæ cum ita ſint, quis cum ulla veritatis ſpecie negabit, in ſupponendis *Iſidori Mercatoris* Epiſtolis Decretalibus ſummorum Pontificum partes fuiſſe conſpicuas, eosdemque, fraude detecta, Epiſcoporum Romanorum autoritati aliquid detrahere? Ex quo Cl. Autor late de Pag. 81 ſeq.
Iſidori Collectione diſputavit, pergit de *Photii Nomocanone*, de *Burchardo*, Epiſcopo Wormatienſi, & de dictatibus, *Hildebrando*, ſive *Gregorio VII*, tribui ſolitis, diſſerere. *Acroaſis IV* ab Autore noſtro dicata eſt illis Canonum Conſtitutionumque Pontificiarum Collectoribus, qui a Seculo undecimo ad Seculum usque ſextum atque decimum nominis celebritatem conſecuti ſunt. Obſervationes igitur hic reperias de *Anſelmo*, 84-88.
Hildeberto, *Ivone*, Gallo, *Deus dedit*, cujus Collectio Canonum MSta in Bibliotheca Vaticana extat, & *Bernardo*, Papienſi,

 qui

Digitized by Google

Pag. 88. qui Seculo undecimo vixere; de *Joanne Zonara*, *Alexio Ariſteno*, *Conſtantino Harmenopulo*, *Matthæo Blaſtare*, *Simeone*
98. *Logotheta*, *Gratiano*, *Bernardo Circa*, *Theodoro Balſamone*,
99. Seculi duodecimi Scriptoribus. Seculo tertio atque decimo autoribus *Gilberto*, *Alano*, & *Joanne Gallenſi*, ſecundam Decretalium Collectionem inſtitutam eſſe, obſervat. Eodemque ſeculo *Bernardum Compoſtellanum* tertiam Collectionem adornaſſe, quam quinquennio poſt A. 1215 ſub *Innocentio III*, Pontifice, quarta exceperit. *Tancredus*, Bononienſis Archi-Diaconus, quintam adornavit, in quam conjectæ ſunt *Honorii III* Conſtitutiones; quam ſecuta eſt ſexta Collectio, quæ *Gregorii IX* juſſu, a D. *Raymundo Pennafortio* A. 1230 adornata eſt. Ex Hiſtoria Seculi quarti atque decimi annotat, *Clementem V* libris quinque Concilii Viennenſis Conſtitutiones collegiſſe, quas poſt ejus obitum *Joannes XXII* publici juris fecit; ſimque *Extravagantes* ſuas addidit, quibus Seculo quinto atque decimo acceſſit Collectio *Extravagantium communium*, i. e. Conſtitutionum a diverſis Pontificibus editarum.

Inter Diſſertationes, quas Cl. Autor ſuæ Juris Pontificii Hiſtoriæ attexuit, prima de *Juriſdictione Pontificum* agit, lectu utique digna. Etſi enim Vir Clariſſimus perperam ſupponit, omnino legitimum Principatum in Eccleſia conſtituendum, qui primo quidem fuerit penes *Petrum*, deinceps penes *Petri* ſucceſſores; laudem tamen meretur, quod non ſemper eandem Pontificis Romani autoritatem, ejusque Juriſdictionis Eccleſiaſticæ rationem, fuiſſe largiatur. Ejus enim inſtitutum eſt, declarare, quomodo Pontificis Romani Juriſdictio primordiis cauſarum involuta, ac veluti vagina incluſa, oblatis rebus, perque annorum ſpatia, educi explicarique cœperit a Pontificibus; quæque in nudo jure ac ſimplici verſata primum ſit ſanctiſſimæ animadverſionis, mox, rebus auctis, libere tradita ad indolem imperii atque poteſtatis.

Legi itidem meretur ſecunda Cl. *Arrighii* Diſſertatio, quæ de *Eccleſiis Suburbicariis* controverſiam ſub examen vocat. Videlicet, cum *Ruffinus* in Hiſtoria ſua Eccleſiaſtica atque in ſexti

ti Canonis Nicæni interpretatione, Pontificis Romani Jurisdictioni ſubeſſe, dicat, *Eccleſias Suburbicarias*, Seculo ſeptimo atque decimo inter Gallos, Italos, atque Belgas, de his ipſis Eccleſiis erudita certamina, non ſine vehementi animorum contentione, inſtituta ſunt. Hiſtoriam hujus diſſenſionis Cl. *Arrhigius* non exponit. Eam autem data opera recenſuit Cl. *Chriſtianus Kortholtus*, Collega noſter perinduſtrius, qui duabus Diſputationibus, in hac Academia A. 1730 & 1731 publice defenſis, de *Eccleſiis Suburbicariis* ex inſtituto egit. Eandem ſententiam de *Eccleſiis Suburbicariis* propugnat Cl. *Kortholtus*, quam Cl. *Arrighius* ſuam fecit, nempe in Italicis Provinciis, Urbis Vicario, Concilii Nicæni ætate parentibus, hoc eſt, in Campania, Tuſcia & Umbria, Piceno Suburbicario, Sicilia, Apulia & Calabria, Brutiis & Lucaniis, Samnio, Corſica atque Valeria, Suburbicarias Eccleſias eſſe quærendas. In eo autem Cl. *Arrighius* a Cl. *Kortholto* diſſentit, quod ille Pontifici Romano, præter Suburbicarias Eccleſias, diœceſin Patriarchalem atque Papatum Oecumenicum ætate Concilii Nicæni tribuat, hic vero contendat, Eccleſias ſuburbicarias, Metropoliticam Provinciam, ætate Concilii Nicæni, omnem diœceſin Epiſcopi Romani conſtituiſſe. Ex Canone enim quarto & ſexto Nicæno probat, æqualem cum Epiſcopo Romano quoad omnia poteſtatem concedi Epiſcopo Alexandrino, atque omnes Metropolitas ætate Concilii Nicæni fuiſſe αὐτοκεφάλους, ab eorumque judicio ad ſuperius aliquod non potuiſſe provocari.

Tertia Diſſertatio, quam Cl. *Arrighius* addidit, *de agro limitato* agit, atque Oratio eſt, quam in Gymnaſio Patavino publice recitavit, cum Librum quartum atque viceſimum Digeſtorum exponendum ſuſciperet. Quemadmodum Cl. Autor quavis oblata occaſione de inſigni utilitate diſſerit, quæ ex Jurisprudentiæ civilis notitia in Jurisprudentiam Eccleſiaſticam redundat, ſic hac Diſſertatione adjecta, ſpecimine quodam docuit, ſe in utraque Jurisprudentia egregie eſſe verſatum, atque ſine vana ſpe multos utiliſſimos Commentarios ab eodem poſſe expectari.

ESSAIS

Digitized by Google

ESSAIS SUR LA NOBLESSE DE FRANCE, &c.

h. e.

COMMENTATIO DE NOBILITATE GALLIÆ; exhibens Diſſertationem de origine & depreſſione ejus; Autore M. C. DE BULLANVILLIERIO, cum Notis Hiſtoricis, Criticis, & Politicis; adjectis primis lineis Diſſertationis de primis Francis, eorumque coloniis.

Amſtelodami, 1732, 8.

Alph. 1 pl. 9½.

Conditio, quacum nobilitas in Gallia ætate noſtra conflictatur, exprimitur exclamatione, inſcriptioni Commentationis ſubjecta: *Heu! fuimus Troes.* Epiſtola Dedicatoria appellat nobiles Galliæ, ab Editore adornata, docens, librum hunc eſſe duntaxat Præfationem, quam Comes *Bullanvillierius* de hiſtoria generis & progeniei ſuæ conſcripſerit, pro filiis ſuis, recte inſtituendis, & ad expromendam nauſeam de fortunæ violentia, per quam ſatis fuerat demerſus. Editor addidit Annotationes, verbis primi Autoris paſſim ſuffixas, ut nobiles Galliæ faciliùs mentem *Bullanvillierii* aſſequantur. Vellemus quidem, librum ordine contextum fuiſſe accuratiori, & in partes ſatis adæquatas diſtributum. At, cum methodus ab arbitrio Scriptoris pendeat, ſequendus utique eſt Autor, quomodocunque anteierit. Origo nobilitatis non ex ſtatu naturali arceſſenda, ſed ex conſuetudine vetuſtiſſima, Græcis, Romanis, aliiſque gentibus, recepta. Oppreſſæ a Romano militi nobilitati Autor tribuit ruinam Imperii Romani, Seculo quinto ingruentem, dictitans, virtuti ſoli ſplendorem deeſſe convenientem, requiri præterea fortunam natalium eminentem. Juvenalis & *Boilavius*, ejusque translator, Illuſtris *de Caniz*, Satyras evulgarunt, nobilitatis generoſæ contemtrices, ſi ea in pallium vitiorum aſſumatur. Reſpondet Noſter, invectivas eas non ſpecta-

(Margin notes: "Pag. 5 ſeq." beside "nis, aliiſque gentibus"; "8." beside "nientem, requiri".)

ſpectare ad nobilitatem, ex virtute enatam, a majoribus in poſteros translatam. Succenſet, nobilitatem nunc adſtringi nutui ac Pag. 10.
poteſtati Principis, quippe quæ potius regno fundamentum & fulcrum ſolidiſſimum conciliet. Ut hoc in clariſſima ponatur luce, lacertos omnes movet Autor. Nobilem ubique declamantem, & ponentem ea, quæ ſibi videbantur arridere, videmus; Philoſophum ſæpe requirimus. Francorum origo derivatur a multitudine gentium Germanicarum, qui ſeſe vocave- 322.
rint liberos, & præterea ad originem eorum nil ſingulare affertur. Meliorem ac ſolidiorem exiſtimamus ſententiam *Joannis Georgii Eccardi*, quam in limine Commentariorum de Rebus Franciæ Orientalis lætiſſima luce circumfudit. Deſideramus ubique notitiam, ex limpidis primisque Hiſtoricorum fontibus patienter exceptam. Sub Regibus ſtirpis Francorum primæ nobiles appellebant animum ad dignitates Eccleſiaſticas, & eam ob cauſam crevit Epiſcoporum hierarchia. De liber- 16.
tate populi ſub Regibus Merovingicis & Majoribus Domus hic varia ſummatim ediſſeruntur. *Salii* dicuntur hic appella- 30 ſeq.
ti a fluvio Sala, qui nunc vocetur *Iſſer*, & perfluat Franconiam. Quis non ſtatim intelligit, confundi Iſalam, a Rheno in Ma- 32.
re Germanicum divergentem, cum Sala amne, qui ad Gemundam influit Mœnum? Extemporalis librorum Gallicorum conſcriptio non raro conſimilia fundit errata. Ita vox Latina 36.
latus derivatur ex *leudes*, ſeu *lithonibus*, quales fuerint Franci. *Lithi* ſeu *Lati* exponuntur per *fideles*. Indoles Nobilium per ſtirpium regalium quatuor intervalla utcunque enumeratur. A *Franciſco I*, Rege, repetitur ſtatus nobilium depreſſus & imminutus, qui eos vacare ſumtuoſis aulæ ſervitiis juſſerit. Libro ipſi annexus eſt Index Alphabeticus, quo vocabula difficiliora exponuntur. Inibi *allodium* derivatur ex *Alles* & *Leute*. Litera *A* complectitur partem Indicis tertiam. Verum ſat prata biberunt.

MULTILINGUIS PHYTANTHOZAICOnographiæ WEINMANNIANÆ Index, quo denominationes ex optimis Autoribus, tam priſcis, quam neotericis,

 ordine

ordine ac ſerie Alphabetica, non ſolum dextre exhibentur, ſed ſimul genera ac characteres, cum probatiſſimo uſu, ex genuinis Autoribus eruto, Latino ac Germanico idiomate ſincere explicantur, impenſis BARTHOLOMÆI SEULERI & JO. ELIÆ RIDINGERI, Pictor. & Sculpt. Auguſtan.

Ratisbonæ, typis Hieronymi Lenzii, 1735, fol.
Plag. 3, cum Iconibus 57.

Ex quo Celeberrimi Angli, *Albinus* & *Catesby*, avium ſuarum Icones vivis coloribus expreſſas, magno omnium applauſu, divulgaverunt, excitata Germanorum ingenia, quo ſimili felicitate naturam arte aſſequerentur, allaboraverunt. Quid præſtiterint nobiliſſimi Editores hujus Phythanthozaiconographiæ, ſeu deſcriptionis herbarum in flore ad vivum factæ, res ipſa loquitur. Diſpertiti ſunt inter ſe negotium Sculptor Pictorque, laudis etiam præmia inter ſe diſpertituri. Negandum non eſt, plantas, vel toto habitu, vel ſummitate ſaltem, naturali tamen menſura, delineatas, clarius cognoſci poſſe illis, quæ parvo ſpatio minuſculæ depinguntur; ſed multo clariores futuri ſunt conceptus rerum, ſi colores naturalibus proximos adjecerit artificioſa manus. Non ſine uſu perluſtrabunt rei herbariæ ſtudioſi primum huncce miſſum, quem plures ſecuturos, Editores pollicentur, quos ad res ſtrenue agendas excitabit emtorum frequentia, ſpesque certiſſima, ſicut dies diem docet, inventisque facile eſt addere, ſic majora indies incrementa habituram hanc vivis coloribus plantas illuſtrandi artem. De eo ſaltem monendi ſunt artifices, ut, ſi fieri poſſit, unam plantam una ænea Tabula exſculpant. Nam futuri ſunt, quibus placuerit hac vel illa methodo diſponere Icones, id quod, ſi ex diverſa claſſe herbæ eodem ære præſententur, factu impoſſibile eſt, cum magno elegantis laboris detrimento. Cum enim mens humana ſua ſponte ad rerum ſimilium inter ſe comparandarum voluptatem inclinet, & nemo ſit ex eruditis, in quorum potiſſimum gratiam tanti ſumtus

tus opus ſuſceptum fuit, qui non hanc vel illam methodum præoptet, omnibus ſe ſatisfacturos certo confidere poſſunt Editores, ſi ſigillatim majores plantas genere diverſas exſculpant, minoribus ad ſui ſimiles reſervatis. Quid enim impedit, quo minus multi plures eadem Tabula, Lichenes, Fungi plures eodem ære prope ſe invicem conſtituantur? Laudanda nobis venit Cl. Autoris induſtria in colligendis plantarum nominibus, & diligenti characterum uniuscujusque plantæ excuſſione, rerumque ad materiam medicam ſpectantium ubere expoſitione. Gnarum eundem methodi, qua plantæ, fructu, vel flore, vel utroque, diſconvenientes, nomine convenire non poſſunt, probe intelligimus. Docet id erudita de acacia noſtrate & Ægyptia inſtituta diſputatio. Nollemus autem, in gratiam anicularum radiſecarum, quod illæ pſeudonymiis aſſuetæ ſint, veritatem reticeri. Quodſi enim unus ex pharmacopœis ignoraturus eſt, quid ſit flos pruneoli ſylveſtris, decem ex altera parte eruditi futuri ſunt, qui probe norint, acaciam non eſſe. Gratulamur eidem de ſtudiorum ſucceſſu, ad publicam commoditatem redundante, cujus conatus & in poſterum nemini non gratiſſimos fore, certo pollicemur.

TRACTATUS QUATUOR ANATOMICI de Aure humana, tribus Figurarum Tabulis illuſtrati, Autore JOANNE FRIDERICO CASSEBOHM, Med. Doct. & P. P.

Halæ, ſumtibus Orphanotrophii, 1734, 4.
Plag. 13, Tabb. æn. 3.

Quo plura notatu digna, anguſto ſpatio incluſa, loco abdito recondita, inter præparandum facile deſtruenda, aut e ſede ſua diſturbanda, in organo auditus obvia ſunt, eo major ſemper in tradenda ſingulorum idea clara & diſtincta difficultas fuit deprehenſa, ſine qua tamen modus, quo varias aeris commotiones ſub ſpecie ſoni percipimus, explicari nequit. Quo argumento Cel. Autor impulſus, poſt varios Celeberri-

Digitized by Google

morum Autorum labores, denuo aurem humanam examinis incudi ſubjicere decrevit. Ante aliquot jamdum annos loco ſpeciminis inauguralis de aure interna ſuas propoſuit meditationes, ſpemque ulterioris diſquiſitionis fecit; cum vero varia, poſt nova experimenta, in priori opere mutanda viderentur, ab ovo rem inchoare viſum eſt. Prodiere igitur hac vice *quatuor Tractatus*, quorum *prior* de oſſe temporum, in quo maxima pars hujus organi deliteſcit, *alter* pauca de aure externa, *tertius* de cavitate tympani, *quartus* vero de contentis in hac cavitate, agit; reliqua de labyrintho alia occaſione expectari jubentur. Profecto, uti in ſingularum partium minimarum etiam exacta deſcriptione, diverſæ in embryonibus, duorum pluriumve ſucceſſive menſium, recens natorum & adultorum, conſtitutionis annotatione, & cum aliorum obſervationibus collatione, inſignis Cel. Autoris aſſiduitas, & in iterandis provideque inſtituendis experimentis ſolicitudo, ubique elucet, ita in Tabulis æneis nitidiſſimis, omnia antea deſcripta naturali magnitudine ab omni latere, nunc ſeorſim, nunc inter ſe juncta, exhibentibus, ſingularem in his etiam deſignandis emendandisque Cel. Autoris curam admirari decet. Quo ipſo deſiderium, ut reliquæ etiam partes, in labyrintho deliteſcentes, pari ratione illuſtrentur, ſicque tandem ipſa acuſtica perfectior reddatur, apud omnes, qui accuratam ſuperficiariæ præferunt cognitioni, non parum augebitur. *Prior Tractatus* deſcriptioni oſſis temporum deſtinatus eſt, ejusque partes proprias, ſquamoſam nimirum & petroſam, ſecundum omnes dimenſiones, ſuperficiem externam æque ac internam, varias prominentias atque ſinuoſitates, accuratiſſime deſcribit, quibus in infante jungit tertiam, annulum nempe, poſtea in canalem auditorium externum mutandum, quem tanquam propriam partem, (proprias vero oſſis partes dicit, quæ per membranam, ſuturam, & cartilaginem, inter ſe connectuntur,) in tenellis eſſe conſiderandum, atque, interveniente linea exili, cum parte ſquamoſa jungi, ab eademque debita encheireſi poſſe ſeparari, variis experimentis probat. Poſtea connexionem tam partium oſſis inter ſe, quam totius oſſis cum vicinis, deſcribit, ubi inter

alia

Digitized by Google

alia obſervat Cel. Autor, membranas craſſas in utroque capitis latere, inter os bregmatis, occipitis & partis petroſæ baſin expandi, quæ a Cel. *Nicolai*, Anatomico olim Argentoratenſi, fontanellæ poſteriores dictæ ſint, quæ vero ante annum ætatis primum diſpareant, tuncque partis petroſæ baſis oſſi occipitis & bregmatis per ſuturas veras jungatur. Fuſius inde, quomodo dura mater perioſtium internum, pericranium vero externum conſtituat, exponit, denique de oſſificatione oſſis temporum in fœtubus obſervationes ſuas exhibet, & cum *Kerkringii* traditis confert, quæ prima quidem facie ſibi adverſari ex parte videntur, dum, quæ alter in fœtu trium menſium deſcribit, alter quarto demum menſe adeſſe perhibet, quod tamen inprimis incertæ ætati fœtuum, per abortum rejectorum, tribuendum putat. Ultimo, quo in ſitu os temporum, a reliquo cranio ſeparatum, tam in fœtu, quam adulto, ut factæ partium a ſe deſcriptioni reſpondeat, collocandum ſit, indicat. *Tractatu ſecundo* paucis de aure externa agit, circa ea, quæ jam accurate ab aliis evoluta ſunt, parum occupatus. Inter alia differentiam diſtantiæ auris externæ ab oſſe temporum inter Africanos & Europæos, a faſciis, quibus infantum capita apud nos majori cura involvuntur, deducit. Hac enim ratione fortius ad os temporum apprimi auriculam, ejusque muſculos ad agendum inhabiles reddi, ſonum etiam paulo difficilius ad interiora ferri, contendit. Inprimis geneſin ejus accurate exponit, ab embryone unius menſis, ubi cutis exiguam ſolam aperturam oſtendit, uſque ad fœtus perfectos ſingulorum menſium, ſtatum illius delineans. *Tertius Tractatus* cavitati tympani dicatus eſt. Antequam vero ad hanc explicandam accedit, varia adhuc de annulo in infantibus conſpicuo & meatu auditorio externo oſſeo ex eodem in adultis formato præmittit: inde de membrana, ejus orificio interno præfixa, agit, atque, eandem quatuor conſtare lamellis, cum *Winslovio* aſſerit, quarum prima & ſecunda a canalis auditorii externi cartilaginei cute & cuticula; tertia ab ejusdem canalis oſſei perioſteo; quarta denique a cavitatis tympani membrana, originem ducat. Ceterum illorum ſententiæ accedit, qui in ſtatu

naturali nullum foramen in hac membrana concedunt, cum poſt multa experimenta eandem ſemper integram deprehenderit. Cavitatem tympani, pone hanc membranam ſitam, in tres partes diſpeſcit, quarum anterior tubam *Euſtachii* & canalem pro muſculo mallei interno continet, prioris conſtitutionem, quatenus oſſea eſt, deſcribit, altera parte cartilagineo-membranacea, quæ in fauces deſinit, & huc proprie non ſpectat, ſilentio prætermiſſa; alterius vero tum originem in parte anteriore, tum progreſſum & terminum in parte media, ubi ſupra cochleæ tuber inſtar hamuli incurvatur, exacte delineat. Poſterior cavitatis tympani pars Cl. Autori eſt ſinuoſitas maſtoidea, etſi minus accurate ſic dicta, cum jam ante proceſſum maſtoideum in fœtibus appareat, utut poſtea cum cellulis hujus proceſſus ſinus hi communicent; media denique hujus cavitatis pars continet foramen ovale & rotundum, quod tamen utrumque hanc figuram omni ex parte referre negat, variaque de iis notatu digna obſervat. Præterea de cochleæ tubere, prominentia pyramidali, in cujus apice foramen canalis pro muſculo ſtapedis, canale *Fallopii*, æque ac chordæ tympani, hujusque directione, multa cum cura exponit. Membranam, quæ hanc cavitatem inteſtius cingit, a lamella duræ matris externa, quæ per conjunctionem partis ſquamoſæ cum petroſa tympani cavitatem ingrediatur, deducit, atque de ejusdem ad varias hujus cavitatis partis applicatione, colore, vaſis, copioſe diſſerit. Inde pariter obſervata de ſucceſſiva in embryonibus oſſificatione egregia ſubnectit, atque modum cavitatis hujus magnitudinem dimetiendi tradit. *Quarto Tractatu* de iis, quæ in hac cavitate continentur, ex inſtituto agit, atque in numero oſſiculorum quaternario acquieſcit, de quinto tamen & ſexto Cl. *Teichmeyeri* aliqua monet. Cum in proceſſibus mallei determinandis minus inter ſe conveniant Autores, Noſter malleum in caput, collum, & tres proceſſus, accurate deſcriptos & delineatos, dividit, quo tempore hæc oſſicula primum in embryonibus conſpiciantur, tradit, & cum *Kerkringii* obſervationibus confert. Quinque productiones membranæ, cavitatem hanc cingentis, oſſiculis inſeri, totidemque eorum ligamenta referre, notat. Dubitatum

tum eſt a nonnullis, an cava ſint interius oſſicula auditus, quorum cavitatem una cum perioſteo, interius illa cingente, & vaſis eo penetrantibus, injectione manifeſtatis, a ſe detectam, fuſius exponit. Non minus accuratam muſculorum, ad hæc oſſa movenda deſtinatorum, quoad ortum, progreſſum, & inſertionem, tradit hiſtoriam. Ultimo denique de chordæ tympani ortu & directione neceſſaria ſubnectit. Optamus, ut Cl. Autor propediem datam fidem liberet, & egregia ſua de labyrintho, & reliquis ad organon auditus ſpectantibus, obſervata, quibus doctrinam de auditu non parum illuſtratum iri confidimus, in publicum prodire jubeat. Nec minori deſiderio, alium, quem prelo parare comperimus, Tractatum de arte cadavera diſſecandi, præſtolamur, in quo multas ad pleniorem partium cognitionem profuturas encheireſes expectandas eſſe, plura vel in hoc ipſo Opere occurrentia ſpecimina abunde declarant.

G. F. R. RESPONSIO AD VIRI CL. JAC. JURINI Demonſtrationes de menſura virium corporearum.

Cum ea legerem, quæ in *Actorum* hujus *Anni Menſe Martio pag. 209* ex *Jac. Jurini*, Viri plane eximii, poſtrema Diſſertatione, contra noſtram vires corporeas menſurandi rationem, ſunt allata, quanquam ipſe non vidi laudatas Diſſertationes, tamen argumentum, cujus partem jam diu occupavi, minime deſerendum mihi, ſed breviter potius ac placide à doctiſſimi Adverſarii objectionibus vindicandum duxi. Quod antequam facio, rem unam, bona cum eorum venia, monere licet, qui aliter ſentire videntur, me vires corporum non in rebus ac ſubſtantiis abſolutis, ſed plane, cum *Carteſio*, in iis numerare, quæ a Græcis τὰ πρός τι vocata, ſemper ſunt ad aliud quidpiam referenda: ita, ut vis quæque hujus generis, ad diverſas res relata, uno & eodem tempore, rationem habere poſſit oppido diverſam. Hoc poſito, cum Cl. *Jurinus* pronuntiat, corpus *A*, quod ſimul cum menſa & lamina elaſtica eo pacto movetur, ut exponit, ab impulſu laminæ acquirere vim novam, illi parem, quam antea,

Digitized by Google


antea, ob motum commemoratum, jamjam habuit, nequaquam vero triplo majorem, ego neutrum abſolute dici poſſe exiſtimo. Acquirit enim vim novam ac ſimplicem, reſpectu menſæ & elaſtri: ſed ea vis non adjicitur ad vim æqualem, quam antea habuit: nam antea, iſto aſpectu quieſcens, vim nullam habuit. Acquirit vero, eodem tempore, vim triplo majorem, cum ad eas res refertur, quarum comparatione, & ipſum, & menſa, & lamina, jam antea habuerunt motum expoſitum. Hoc ſi vir præclarus tanquam per ſe abſurdum negat, id ipſum ſcilicet negat, de quo ambigitur: ſin ob certam rationem aliter ſentit, iſtam quidem audire rationem velim, quam hactenus non reperio. Ad noſtram rationem quod attinet, ea cum aliis nititur fundamentis, tum hoc, ut arbitror, præcipuo, quod ita vires æſtimandæ ſint, nunquam ut earum ſumma major colligatur poſt impulſum, quam antea. In locum laminæ elaſticæ ſubſtituamus corpus *B*, cujus incurſu corpus *A* eandem velocitatem concipiat, quam ob impulſum elasmatis: ſic enim proclivior virium ſimilium fit comparatio. Sit, exempli cauſa, corpus *A* quadruplo majus, quam *B*, & punctum *C* ſit commune illorum corporum perfecte elaſticorum centrum gravitatis. Illabente corpore *B*, in corpus *A* quieſcens, velocitate & directione *BA*, acquiret corpus *A* velocitatem $AD = 2AC$. Rurſus irruente corpore *B*, celeritate *BD*, in corpus *A*, cujus celeritas ſit *AD*, effectus, reſpectu rerum, quæ pari motu cum corpore *A* feruntur, non alius erit quam antea: reſpectu vero rerum, iſtius motus expertium, celeritas corporis *A* fiet altero tanto major, $= 2AD = 4AC$, & corpus *B*, poſt impulſum, velocitatem habebit, ut $AC = 1$. Nunc, ſi noſtram virium menſuram ſequimur, vis corporis *A*, cum celeritate *AD*, erit ut $A \times AD^2 = 4 \times 2 \times 2 = 16$, & vis corporis *B*, cum celeritate *BD*, ut $B \times BD^2 = 1 \times 7 \times 7 = 49$: ſumma $= 65$. Poſt conflictum, vis corporis *A*, cum celeritate $2AD$, erit ut 64, & vis corporis *B*, cum celeritate *AC*, ut 1: ſumma $= 65$, ut prius. Differentia virium ante & poſt impulſum in utroque corpore erit ut 48, nempe triplo major, quam vis corporis *A* ante conflictum. Contra ea, ſi virium menſu-

TAB. VI Fig. 1.

Digitized by Google

TA. B VI ad Nov. Act. Erud. A° 1735 Menſ. Novembr. pag. 512. 517. et 518.

Fig. I.







Fig. II.






Fig. IV.




Fig. V.





Fig. III.



Digitized by Google

Digitized by Google

menſuram adhibemus, quæ *Jurino* placet, ſumma erit ante impulſum, ut $8+7=15$, poſtea, ut $16+1=17$. Differentia in corpore *A* erit, ut 8; in corpore *B*, ut 6: quo, neſcio, an quid eſſe poſſit minus conveniens. Scio, in quibusdam caſibus hoc incommodum evitari: velut cum æqualia aſſumuntur corpora *A* & *B*, vel talia, ut ſit $A . B :: BD . AD$. At ſemper, non aliquando, apta & cohærentia eſſe debent, quæ vera ſunt. Nec dici poteſt, in colligendis virium ſummis, eas, quarum contrariæ ſunt directiones, a ſe invicem ſubtrahendas, non addendas, eſſe. Iſto enim pacto non vires corporum ſingulares & propriæ colliguntur, ſed motus eorum communis, qui dicitur ad easdem partes, definitur: qui, ſi ante & poſt congreſſum idem eſſe debet, non tamen propterea ſummas, de quibus memini, diſtare æquum eſt. Jam, quod exemplo docui, generalibus etiam formulis comprehenſum tradi poſſet. Id vero factum a me puto, quantum ſatis eſt, in ea Diſſertatione, quam, hac de re conſcriptam, *Actis* noſtris inſerui, *A. 1729 Menſe Febr.* In qua extrema cum negaverim, vires corporum, quæ ſe invicem ſuſtinent, ſemper eſſe æquales, iſtud quidem intelligi velim de viribus, quæ tanquam abſolutæ ſpectantur, non vero de iis, quæ ad ipſa corpora mutuo referuntur. Eſt enim omnino vis abſoluta corporis *A*, ibi expoſiti, ad vim corporis *a*, qui cum in centro gravitatis *C* concurrit, ut $A \times AC^2$ ad $a \times aC^2$: atque etiam ſumma virium relativarum cum ſumma illarum virium abſolutarum prorſus convenit. Nihilo tamen ſecius vis relativa utriusque corporis, & (quæ inde pendet,) actio mutua, vere eſt æqualis, exponenda per hanc formulam, $\frac{1}{2}(A \times AC^2 + a \times aC^2) = A \times AC \times \frac{1}{2}Aa = a \times aC \times \frac{1}{2}Aa$. Sed hæc velut in transcurſu. Nunc ad alterum Doctiſſ. *Jurini* argumentum pauciſſimis reſpondebo. Cum in ſuperficiem ſibi obſtantem incidit aqua profluens, ipſas particulas ejus præcedentes, poſt incurſum, ſequentibus aliquanto obſtaculo eſſe, neceſſe eſt. Major itaque foret, quam experiundo reperitur, aquæ in ſuperficiem impreſſio, ſi iſtud removeri impedimentum poſſet. Hinc, cum *Mariotti* experimentis compertum ſit, vim impreſſionis, quæ ex-

Ttt ſeri

Digitized by Google

ſeri ab aqua in ſuperficiem ſolet, rationem duplicatam habere celeritatis aquæ, fatendum ſane eſt, vi illi, per ſe majorem, atque adeo (quod & aliis argumentis patet,) triplicatam, celeritatis rationem, competere. Dixi, quæ maxime aperta & ſimplicia videntur. Qui reconditiora deſiderant, ad Commentationes ablegandi ſunt Viri perſpicaciſſimi, *Jo. Bernoullii*: cujus jam etiam novum aliquod ingenii monumentum, magnificum profecto, & ab Academia Scientiarum Pariſienſi meritiſſimo honoratum præmio, recenſendum eſt.

PIECES QUI ONT REMPORTÉ LE PRIX, &c.

h. e.

SCRIPTA, AB ACADEMIA REGIA SCIENtiarum duplicato præmio A. 1734 affecta.

Pariſiis, e Typographeo Regio, 1735, 4.

Ea ſunt I.

ESSAI D'UNE NOUVELLE PHYSIQUE CELESTE, &c.

h. e.

TENTAMEN NOVÆ PHYSICÆ COELESTIS, Autore JO. BERNOULLIO, Acad. Scient. Pariſ. Lond. Petrop. &c. Socii, & Prof. Mathem. Baſil.

Plag. 12, cum Tab. æn. 1.

II.

RECHERCHES PHYSIQUES ET ASTRONOMIQUES, &c.

h. e.

DISQUISITIONES PHYSICO-ASTRONOMICÆ Problematis, ab inclyta Scientiarum Academia Regia, quæ Pariſiis floret, iterum propoſiti, &c. Latine conſcriptæ, & in linguam Gallicam converſæ, nonnullisque Acceſſionibus auctæ, a DAN. BERNOULLIO, Acad. Petrop. & Bonon. Socio, in Acad. Baſil. Anat. & Botan. Profeſſore.

Gall. plag. 4, Lat. plag. 2½.

Illu-

Illuſtris Scientiarum Academia Pariſienſis, cum maximi momenti judicaret quæſtionem, jam A. 1732 cum conſueto præmio publice propoſitam: *Quænam ſit cauſa phyſica inclinationis planorum, in quibus Planetæ orbitas ſuas conficiunt, ad planum æquatoris ſolaris? & qui fiat, ut inclinationes illæ ſint diverſæ?* eandem, cui tum nemo ſatisfeciſſe videbatur, duplicato præmio, ad ſuperiorem uſque annum expoſitam reliquit: variisque ſuper ea doctiſſimis Diſſertationibus acceptis, duas inprimis dignas arbitrata eſt, inter quarum Auctores præmium ex æquo partiretur. Sunt illi *Joannes* & *Nicolaus Bernoullii*, parens & filius, Viri jam dudum celeberrimi: quorum ſchediaſmata, more ſolito, nunc prodierunt. Et ſatis quidem apparet, illuſtrem Academiam ſic cenſuiſſe: Planetarum circumvectiones in orbitis, ad æquatorem ſolarem & ſe invicem leviter inclinatis, vi quadam materiali & mechanica fieri, non caſu fortuito, nec propter motum, corporibus illis ab initio divinitus impreſſum: quorum alterum abſurdum eſſet, alterum non de cauſa phyſica, ſed de fine ſapientiſſimi creatoris, quærere permitteret. Uterque igitur *Bernoullius*, hanc ſententiam vehementer approbantes, ita pertractarunt Problema commemoratum, ut incertum Academiæ videretur, utri palma eſſet tribuenda. Magnum parentis ingenium, fines quæſtionis longe egreſſum, propter admirabiles rerum nexus, totius fere mundi machinationem perſequitur: filius magis preſſe agit, nec multum ab argumento abit ſuo. Hic, quid Planetarum orbes, & ſolarem æquatorem, inter ſe tam prope jungat, nec tamen penitus conjungere, niſi poſt infinitum tempus, poſſit: ille, quid etiam disjungat, exponere conatur. Utrique ſive atmoſphæræ, ſive vortices, placent, a *Carteſianis* vorticibus, & celeritate, & denſitate, & virtute, non parum diſtantes. Denique uterque ſolari vortice, ut comprehendi, ita etiam dirigi, aliquatenus Planetas, horumque vortices, exiſtimat. *Joannes Bernoullius* excellentiſſimum ſuum Opus *Tentamen novæ Phyſicæ cæleſtis* inſcripſit, diviſitque quadripartito. Una pars, & ea quidem poſtrema, expediendæ quæſtioni, ceteræ enarrando novo mundi ſyſtemati, deſtina-

Digitized by Google

tæ ſunt. Aſſumit & connectit, quæ cum a *Carteſio*, tum a *Newtono*, præclariſſime poſita videntur: reliqua ex proprio haurit fonte. Hinc, cum dirigi ſenſim a vorticibus, non impelli, nec deferri, Planetas poſſe, ſtatuat, in eo cum magno *Newtono* lubens conſentit, progreſſus Planetarum non aliunde originem habere, quam ab ipſa vi divina. Sed videndum inprimis eſt, quo pacto vaſtum vorticem ſolarem, & quæ inde pendent, Vir ingenioſiſſimus concipiat. Eum igitur vorticem conſtare docet materia primi elementi, omnis ſoliditatis & reſiſtentiæ experte, admixtis tamen rarioribus particulis ſecundi elementi, quæ in gyrum coactæ aliquantum a centro recedant, corpuſcula quædam implicatiora, & primo elemento involuta, ibi relinquentes: hanc portionem primi elementi centralem, non modo cum reliquo vortice circumactam, ſed etiam vehementiſſimis agitationibus inteſtinis aſſidue effervescentem, ipſum ſolem eſſe: in quo corpuſcula ſecundi elementi, infinitis modis inter ſe concurrentia, partim maculas illas, quas identidem obſervamus, partim ad extremam ſubtilitatem redacta, & quaquaverſus incredibili velocitate vibrata, radios luminis efficiant. Etſi vero iſtorum radiorum pars magna longiſſime ultra fines vorticis ſolaris ferantur, fieri tamen non poſſe, quin, propter crebros occurſus radiorum ſimilium, ab aliis aſtris emiſſorum, innumeræ particulæ, cum elaſticæ non ſint, primo quidem, ſi directe & æquali vi concurratur, deleto motu cohæreant, mox, novis impulſibus incitatæ, frequentes ab extremo vortice ad ſolem defluant. Ita *torrentem* aliquem *centralem* continuum formari, qui & illud, quod in radios impenditur, ſarcire, & Planetis gravitatem verſus ſolem conciliare, & eosdem circa ſua centra torquere, valeat. Nam, cum partes illorum anteriores, & quaſi præeuntes, filo torrentis magis obviam eant, poſteriores quodammodo abeant, iſtas fortius, quam has, impelli, atque ita vertiginem oriri, neceſſe eſſe, cum directione reliqui motus conſentientem. Celeritatem autem hujus vertiginis, ſub ipſo æquatore diverſorum Planetarum, rationem habere compoſitam, ex ratione inverſa duplicata diſtantiæ a ſole, ex ratione directa duplicata diametri, ex ratione ſimpli-

Digitized by Google

ſimplice inverſa denſitatis, & ex ratione directa duplicata ſinus complementi, qui competit inclinationi axis ad planum orbitæ. Quo loco illud non omittatur, quod eximius Autor de commemorata axis inclinatione docet, eam tribuendam eſſe diſtantiæ centri magnitudinis a centro gravitatis, ſive inertiæ: quippe cum circa lineam, per utrumque centrum tranſeuntem, Planeta faciliime rotari queat. Hoc etiam dicatur, quod diligentiſſime demonſtrat *Bernoullius* noſter, celeritatem vorticis ſolaris, eo loco, ubi ſoli continuus eſt, hujus ipſius celeritati parem, ideoque, ſervata proportione, ubivis, 230 fere vicibus, velocitate Planetarum minorem, eſſe debere. Jam, quod ad ipſas inclinatas Planetarum orbitas attinet, eas, quantumvis olim diſcrepantes, quin paulatim ſuæ directioni accommodare, atque adeo in anguſtum illud Zodiaci ſpatium redigere, potuerit ſolaris vortex, non dubitat Vir inſignis. Addit rem plane memorabilem, poſt conciliatas inter ſe orbitas, quantum per cauſam mox dicendam licet, præterquam quod ſemper cum illa cauſa concurrat vortex, etiam hanc ei ſupereſſe vim, ut Planetas perpetuam iſtam directionis mutationem, quam in quovis puncto ſuorum orbium ellipticorum ſubeunt, tantillum anticipare cogat: quo fieri neceſſe eſſe, ut ipſi orbes lente circulari, & apſides transferri, videantur. Oſtendendum nunc eſt, quidnam illud ſit, quod cœleſtes orbes, judice Autore noſtro, diſtrahat, nec penitus, cum æquatore ſolis & ſolaris vorticis, in eodem plano conſiſtere patiatur. Atque id ille perquam ſagaciter in figura Planetarum quærit, non omnino ſphærica, ſed ad ſphæroidis, ſive longi, ſive lati, modum accedente, & cum axis inclinatione ad planum orbitæ conjuncta. Sit enim *GCN* æquator vorticis, in quo, quanquam pari directione *GC*, tamen multo celerius, progrediatur centrum Planetæ, qui formam habeat ſphæroidis lati, & axem *BA* ad *GN* obliquum, ita, ut angulus *BCN* ſit recto minor. Ductis parallelis *LM*, *RS*, & normali *HI*, quæ Planetam in punctis *M*, *S*, *V*, contingant, cum pars *VBM* major ſit, quam *VES*, & materia vorticis, in illam partem incidens, oblique Planetam deprimere, quæ vero in hanc impingit, eum attollere conetur; deſcendere omni- TAB. VI Fig. 2. 3.

no ejus centrum neceſſe erit, mutata directione *GC* in talem, qualis eſt *gc*. Quodſi ſecundum directionem *CG*, cum vortex, tum planeta, ſed ille tamen tardius moveatur, hujus centrum adſcendere oportebit. Contrarium in utroque caſu eveniet, ubi formam Planeta nactus fuerit ſphæroidis oblongi: eoque erunt effectus iſti majores, quo magis vel Planeta deficiet a figura ſphæræ, vel axis a poſitione recta: ſi vero aut Planeta perfecte ſphæricus, aut ejus axis ad directionem vorticis *GN* omnino fuerit normalis, nullam fieri declinationem poſſe, palam eſt. Sit jam æquator vorticis ſolaris *EFHG*, ejusque & ipſius ſolis axis *BSA*: ſitque porro in loco ſolſtitiali, & ſimul in æquatore vorticis, conſtitutus Planeta *E*, cujus axis continuatus, *abβ*, cum axe ſolis concurrat in puncto *β*, formato triangulo rectangulo *βSE*, ad planum vorticis normali: denique progrediens Planeta verſus *F*, *H*, *G*, axem ſervet ſibi ipſi ſemper parallelum. His poſitis, facile licet demonſtrare, axem Planetæ, *ba*, in *E* & *H*, ad directionem vorticis, *Ee*, *Hb*, normalem, in ceteris locis, maximeque circa *F* & *G*, obliquum eſſe; ita, ut a puncto *E* profectus Planeta, ſi figuram lati ſphæroidis habuerit, infra æquatorem vorticis, ad *L* deſcendere, deinceps, imminuta ſenſim obliquitate axis, & prævalente altera vorticis actione, æquatori iterum appropinquare, porroque ab *H* ad *M* adſcendere, atque hinc denique ad punctum *E* revolvi, debeat. Idem de ſphæroide oblongo, mutatis tamen adſcenſus ac deſcenſus vicibus, oſtendere in promtu eſt. Ex quo conſequitur, nodos ſolares, ſive puncta *E* & *H*, ubi ſe mutuo ſecant æquator ſolis & Planetæ orbita, parum aut plane non diſtare poſſe a punctis ſolſtitialibus, terramque noſtram figuram habere ſphæroidis, non lati, quod *Newtono* placuit, ſed oblongi, quod dimenſionibus Academicorum Pariſienſium conveniens eſt. Duo reſtant pauciſſimis tangenda: cur poſitio axis terreſtris, aliusve Planetæ, mutationi quantumvis exiguæ ſit obnoxia? & cur Planetæ quidam ſecundarii, velut luna & alter ſatelles Jovis, quintusque Saturni, ab æquatore primarii tantopere deflectant? Prius, a quo præceſſio æquinoctiorum, & apparens lentiſſimus fixarum progreſſus,

TAB. VI Fig. 4. 5.

greſſus,

Digitized by Google

greſſus, pendet, ita expedit *Bernoullius*, ut dicat, verticem ſolarem ſuperiori Planetæ hemiſphærio, quod a ſole averſum eſt, tantillo magis, quam inferiori, quod ſolem reſpicit, obſiſtere; eoque fieri, ut Planeta circa novum axem, ad utrumque planum, tam orbitæ ſuæ, quam æquatoris ſolaris, quam proxime, (ſed ad hoc tamen magis,) normalem, motu perquam tardo & retrorſum directo, convertatur. Ad alterum ſic reſpondet, vortices Planetarum, quorum directionem ſatellites, ſi ſphærici fuerint, ſequuntur, in partibus ſuis ſuperioribus & extremis, ubi vorticem ſolarem attingunt, hujus ipſius vorticis, in inferioribus, Planetæ ſui, in mediis mediam aliquam directionem habere: de ſecundo vero Jovis ſatellite admodum probabile eſſe, eum, quod exacte ſphæricus non ſit, præter ceteros ab æquatore Jovis deviare. Hactenus *de Phyſica cœleſti Joannis Bernoullii*: nunc felix tanti parentis æmulus, eidemque conſortione præmii æquatus, Filius audiendus eſt. Is in ſuis *Diſquiſitionibus Phyſico-Aſtronomicis* primo demonſtrat, nullo modo veriſimile eſſe, Planetas ſic fortuito fuiſſe collocatos, ut eorum orbes tam prope congruant, ſubductoque calculo reperit, numerum caſuum locationis, inter definitos terminos obtinendæ, ad numerum caſuum contrariorum, ſe habere, ut 1 ad 1419856. Aſſumit deinde, circa ſolem, & circa terram ceterosque Planetas, atmoſphæram eſſe, fluidam, gravem, tenuem, & elaſticam. Docet, hujus atmoſphæræ denſitatem, nec prope ſolem, cujus calore rarefit, neque in partibus extremis, ubi nullo, vel exiguo, pondere gravatur, ſed in loco quodam medio, non facile definiendo, maximam eſſe. Porro de atmoſphæris ita cenſet, eas totas, non modo pari directione, ſed etiam pari tempore, cum corporibus, quæ ambeant, circumactum iri, niſi mutuis frictionibus impeditæ, primo quidem & maxime prope communes fines, deinde etiam aliquantum in partibus magis profundis, retardarentur: neque vero propterea dubitandum eſſe, quin etiamnum in quaque atmoſphæra, ut altitudo, ita quoque celeritas, minor majorve ſit: atmoſphæras pro vorticibus *Carteſianis* ſubſtitui, vel forte ſimul cum illis conſiſtere poſſe: denique atmoſphæram Jovis latiſſime patere,

patere, terreſtrem infra lunam fere terminari, Saturniam ad quintum ſatellitem vix pertingere, ſolarem vero Planetas univerſos ſuo amplexu coercere. Negat igitur, alibi quærendam cauſam eſſe, cur Planetarum orbitæ præſentem ſitum habeant, niſi in motu & directione atmoſphæræ ſolaris, accedente gravitate verſus ſolem, quam ita aſſumit, ut de ejus origine parum laborare videatur. Summa ceterorum hæc eſt: Orbitas prædictas, olim multo magis & obliquas & eccentricas, non poſſe prius conſtantes immutabilesque eſſe, quam fuerint ad circulos redactæ, cum æquatore atmoſphæræ ſolaris penitus convenientes: hunc eas ſtatum permanentem, ad quem initio, cum inde longius abeſſent, ut eſt ejusmodi rerum natura, per majores tendebant gradus, & nunc, cum parum abſint, lentiſſime accedunt, poſt infinitum denique tempus aſſecuturas eſſe: directionem Planetæ ab atmoſphæra ſolis eo citius mutari, primum, quo minorem ille molem habuerit, deinde, quo minus inter denſitatem, & quo plus inter celeritatem ipſamque directionem atmoſphæræ & Planetæ, interfuerit: poſitionem æquatoris ſolaris, obſervatione macularum nec dum ſatis definitam, talem fortaſſis haud abſurde ſtatui poſſe, ut inclinatio æquatoris media ad orbitas Planetarum quam minima exiſtat, non ſuperans gradus duo cum tribus & viginti ſcrupulis: Planetas ſecundarios (quorum plerique, neſcimus, quo pacto, longe citius perventuri, imo jam perveniſſe, videntur ad ſtatum orbitæ permanentem,) non planum æquatoris ſolis, ſed Planetarum primariorum, affectare: lunam autem & ſatellitem Saturni quintum, tanquam extra atmoſphæras terræ & Saturni poſitos, cum unam ſemper faciem Planetis ſuis obvertere, (non niſi leviter, ob actionem atmoſphæræ ſolaris, titubantes,) tum multum ab æquatoribus illorum Planetarum declinare; ad quos tamen potius, quam ad planum æquatoris ſolaris, ipſorum, perinde ut ceterorum orbitas ſatellitum, pedetentim accedere conveniat, ob eam cauſam, (quam, cum ſatis non perſpicimus, ipſius Autoris verbis exponemus,) *quia actio atmoſphæræ ſolaris curſui ſatellitum modo ſecunda, modo contraria ſit*, vel (quod antea de luna ſeparatim dixerat,) quia, *quantum ad*

ad æquatorem ſolis ab atmoſphæra ſolari appellitur ſatelles, dum ab uno nodo ad alterum movetur, tantum repellitur, dum ab hoc ad primum regreditur. His poſtremo loco de Cometarum orbitis addit *Bernoullius*, in eas, maximam partem extra ſolis atmoſphæram poſitas, aut nullam hujus, aut perexiguam, vim eſſe. Enarravimus pauciſſimis utriusque Viri egregii placita: inter quæ id maxime intereſſe videtur, quod Parens vortici ſolari, ad impellendum & reſiſtendum, vim minorem, quam Filius atmoſphæræ ſuæ, ad mutandas vero directiones, etiam longe majorem, tribuit. Quod enim, ſecundum Filium, immenſo tempore vix efficit ſolaris atmoſphæra, ut jungat Planetarum orbitas, id brevi efficeret Parentis vortex, niſi cauſa alia obſtaret. Utrum veriſimilius ſit, noſtrum non eſt, arbitrari. Auguramur tamen, Lectoribus pergratum fuiſſe futurum, ſi vires, quibus ad corporum directiones mutandas opus eſt, cum viribus reſiſtendi & impellendi comparatas, aliquo ſaltem modo ad calculum revocare, Autoribus laudatiſſimis placuiſſet.

AN ENQUIRY INTO THE ORIGIN OF HONOUR and the uſefulneſs of Chriſtianity in war.

h. e.

INQUISITIO IN ORIGINEM HONORIS & uſum Chriſtianiſmi in bello.

Londini, ſumtibus Jo. Brotherton, 1732, 8.

Plag. 16.

Totum Tractatum *quatuor Dialogi* abſolvunt. Horum *primo*, honoris ſtudium ex philavtia oriri, Autor putat, quæ & in infantibus conſpiciatur, illudque ſtatuit utile eſſe generi humano in actionibus rite perficiendis, ne Chriſtianiſmi quidem operibus exceptis, imo honoris cupiditatem majorem uſum ſocietati attuliſſe, quam virtutis. Licet colliſio inter principium honoris & Chriſtianiſmum deprehendi poſſe vi-

deatur, eos tamen, qui religioni Papææ nomen ſuum dederint, laborare inſigniter, ut gloriæ cupiditatem cum religione componant, & concilient inter ſe. Denique diſquirit, ex quo fonte duella traxerint originem ſuam. In *Dialogo ſecundo* inquirit in honorem ſexus ſequioris; cujus caſtitatem illibatam magis ſervari cupiditate honoris & laudis, quam ipſa religione, putat; ut expendendum tradat collocutori, quid conſultum magis ſit perſuadere puellis, ut ſint gloriæ cupidæ, an ſtudioſæ humilitatis. Sic infamiæ nota Regem Franciæ occurriſſe duellis, pluresque effectus adducit ex honore provenientes. Addit tamen, hæcce talia in temporalibus tantum habere momentum ſuum, cum ſpiritualibus autem & iis, quæ in futuro ſtatu ſint habitura locum, conſiſtere non poſſe. Varia deinde monet adverſus Pontificios, concedit tamen, Pontificiorum ſuperſtitionem augmentum impietatis impedire. In *Dialogo III & IV*, prædicationem Evangelii non magis efficere bonum militem, quam pictorem excellentem, docet; Miniſtros Eccleſiæ nonnunquam ſuis artibus bella civilia ciere & alere: cum non dentur bella tam injuſta, quin ab iis proferantur cauſæ juſtificæ; cultum Dei externum ſæpius requiri & obſervari ex rationibus politicis. Ducem bellicum, ſi vel maxime ſit atheus, ut & verbi divini miniſtros impios, militum impiorum, pietatis ſpecie, accendere animos poſſe: quod exemplo illuſtrat Anglorum, adverſus *Carolum I*, Regem, rebellium. Multa inferuntur alia, quæ maturius examen requirunt. Sed hæc ad judicandum de *Dialogorum* iſtorum tenore ſufficiant.

THE STORY OF THE ORDINATION OF our firſt Biſhops in Queen Elizabeth's Reign, &c.

h. e.

ORDINATIO PRIMORUM EPISCOPORUM Angliæ, quæ, Regina Eliſabetha imperante, in caupona, caput equi nuncupata, facta eſſe narratur, examinata; quam fabellam eſſe, recens inventam, minus coheren-

hærentem, ſibi contradicentem, & abſurdam, probavit THOMAS BROWNE, Collegii Joannei Cantabrigienſis antehac Sodalis.

Londini, ſumtibus Wilhelmi Innys, 1731, 8.
Alph. 1 pl. 10.

Occaſionem nactus eſt Autor, multis abhinc annis, defendendi legalitatem ordinationis Archi-Epiſcopi *Parkeri*, aliorumque primorum Angliæ Epiſcoporum, qui, imperante *Eliſabetha*, ad eam ſunt evecti dignitatem. Sermonem quippe Latinum in Academia Cantabrigienſi, præſentibus viris eruditiſſimis, A. 1687 ea de quæſtione habuit, qui typis dein impreſſus, & una cum alio ſermone, *de canonica Epiſcoporum ordinatione*, luci publicæ expoſitus fuit. Eandem operam ſuſceperant ante ipſum alii; ſed, cum dari multos animadverteret, qui fabellæ adhiberent fidem, cumque *le Quien*, Eccleſiæ Pontificiæ addictus, Tractatum *de Nullitate Ordinationis Anglicanæ* duobus Tomis ederet, ſibi temperare non potuit, quin ſolide fabellam illam omnium oculis exponeret, & a Pontificiis excogitatam doceret. Quo ſcopo ordinationem Epiſcoporum Anglorum aut totam, aut ejus ſaltem partem, e primis Scriptoribus excerpſit, ut appareret, canonicam illam eſſe, &, quæ contradicat, narratiunculam quadraginta demum annis poſt factam ordinationem legitimam excogitatam, in circumſtantiis non cohærere, multisque laborare abſurdis: cum contra ex Archivis, quorum fides in dubium non vocanda, ordinatio vera deprompta ſit & derivata. In ipſo Libro *Cap. I* Scriptores recenſet fabellæ hujus, *Sanderum, Conſtablium, Sacroboſcum, Parſonium, Fitz-Simonem, Wadsworthum, Kelliſonem, Champneyum. Cap. II, III, IV, & V*, animadverſiones in Scriptores fabellæ hujus nobiscum communicat, &, quam male cohæreant narrationes, & quam abſurda complectantur, oſtendit; quæ ſunt nimis ſingularia, ut huc vix transſcribenda exiſtimemus. *Cap. VI*, Scriptores Pontificios ejus ætatis nihil docere hujus fabulæ, *Cap. VII, Stapletono* nihil ejusdem, ait, compertum fuiſſe, qui alioqui ſibi ab ejus allegatione temperare non potuiſſet; quod *Cap. VIII* aliis obſervationibus inſperſis idem ulterius perſequitur. *Cap. IX, X, &*

Digitized by Google

XI, nervum argumentis *Quieni* exſcindit, &, quam male is fuerit ratiocinatus, ſolide tradit. Denique, *Quienum* in nullitate ordinationis Anglicanæ male dixiſſe, Proteſtantes non habere Epiſcopos rite ordinatos, pluribus oſtendit.

Das ietzt-lebende gelehrte Europa, ꝛc.
h. e.
LITERATA NOSTRI TEMPORIS EUROpa, ſive Liber de Vita & Scriptis eorum, qui nunc vivunt, Eruditorum; Autore GABR. WILH. GOETTENIO, Paſtore Hildeſienſi.

Brunſuigæ, apud Ludov. Schrœterum, 1735, 8.
Alph. 2 pl. 9.

Quod per nos his in *Actis A. 1734 Menſe Aug. pag. 384* pollicitus erat Pl. Rev. Autor, Hiſtoriam ſcilicet literariam noviſſimam, vitas & ſcripta eorum, qui nunc in Europa florent, Eruditorum exhibituram, ejus operæ *primam* nunc *Partem* jucunde perluſtramus. *Quinque* Vir doctiſſimus hoc Libro ſiſtit Hiſtoriæ ſuæ *Capita*, *primo* ex Holſatia, *altero* ex Academia Roſtochienſi, *tertio* ex terris Regi Boruſſiæ ſubjectis, itemque ex Anhaltinis, *quarto* ex Brunſuicenſibus ac Luneburgenſibus regionibus, *quinto* ex urbe Hildeſia, producens literatos, non omnes, ſed eos, quorum de vita ſcriptisque certa ad ipſum pervenit plenaque notitia. In exterorum gratiam cum & Latinam hujus Libri verſionem promittat Cl. Autor, non niſi nomina eorum hic nobis indicanda videntur, quorum hic deſcribuntur merita literaria. Siſtuntur igitur in *primo Capite* *Bartholdus Henricus Brockeſius*, *Jo. Alb. Fabricius*, *Jo. Chriſtoph. Kruſikius*, *Jo. Sam. Mullerus*, *Erdm. Neumeiſterus*, *Jo. Georgius Palmius*, *Bernhardus Raupachius*, *Herm. Sam. Reimarus*, *Mich. Richeius*, *Tob. Henr. Schubartus*, *Jo. Frid. Wincklerus*, *Jo. Chriſtoph. Wolfius*, magna Hamburgi lumina; *Jo. Gottl. Carpzovius*, *Jacobus a Melle*, *Henr. Scharbavius*, *Jo. Henr. a Seelen*, inſignia Lubecæ ornamenta; *Seb. Kortholtus*, *Jo. Chriſtianus Liſchwizius*, *Carolus Frid. Lutherus*, *Franc. Ern. Vogtius*, Kilonienſis Academiæ decora; in *ſecundo Franc. Alb. Epinus*,

nus, *Petrus Beckerus*, *Chriſtoph. Mart. Burchardi*, *Jo. Chriſtianas Burgmannus*, *Jac. Carmonius*, *Ge. Chriſtoph. Dethardingius*, *Herm. Chriſtoph. Engelkius*, *Ern. Jo. Frid. Manzelius*, *Jo. Chriſtianus Peterſenius*, Roſtochienſes Profeſſores; in *tertio Petrus Zornius*, Profeſſor Stetinenſis, *Jo. Dav. Kypkius*, *Chriſtoph. Langhanſius*, *Mich. Lilienthalius*, *Jo. Henr. Lyſius*, *Jo. Jac. Quandtius*, *Dan. Salthenius*, *Franc. Alb. Schulzius*, Regiomontani Profeſſores; *Samuel L. B. de Cocceji*, *Maturinus Veyſſerius La Croze*; *Chriſtianus Gothofr. Hoffmannus*, Profeſſor Francofurtanus, (jam mortuorum catalogo inſerendus,) *Juſtus Henr. Bœhmerus*, *Joach. Langius*, *Jo. Petrus de Ludewig*, *Jo. Henr. Michaelis*, *Mart. Schmeizelius*, *Jo. Henr. Schulzius*, Profeſſores Halenſes; *Caſp. Abelius*, *Petr. Ad. Boyſſenius*, *Sam. Chriſt.* & *Chriſt. Andr. Teuberi*, *Henr. Jac. a Bashuyſen*, *Tobias Eckhardus*; in *quarto Ge. Raphelius*, *Chriſt. Frid. Schmidius*, *Chriſt. Laur. Bilderbeckius*, *Phil. Lud. Bœhmerus*, *Georgius de Engelbrecht*, *Ge. Frid. de Marquard*, *Eſaias Pufendorfius*, *Jo. Gothofr. de Meiern*, *Balthaſar Menzerus*; novæ Academiæ Gottingenſis Profeſſores, *Jo. Wilh. Albrechtius*, *Jo. Sal. Brunquellius*, (nunc non amplius in vivis,) *Magnus Cruſius*, *Ge. Chriſt. Gebauerus*, *Jo. Matth. Geſnerus*, *Ge. Erh. Hambergerus*, *Chriſt. Aug. Heumannus*, *Sam. Chriſt. Hollmannus*, *Jo. Dav. Kœlerus*, *Joach. Oporinus*, *Jo. Jac. Schmauſius*, *Gottl. Sam. Treuerus*, *Jo. Ad. Wedelius*; tum *Jo. Mart. Riedelius*, *Ge. Baſilius Brinckmannus*, *Phil. Jul. Rehtmeierus*, *Aug. Stiſſerus*, *Franc. Ern. Brukmannus*; hinc Profeſſores Juliæ, *Jo. Wilh. de Gœbel*, *Laur. Heiſterus*, *Jo. Paulus Kreſſius*; denique *Eberh. Dav. Hauberus*; in *quinto Conr. Barth. Behrenſius*, *Jo. Ge. Pertſchius*, *Jac. Frid. Reimmannus*, *Dav. Ge. Strubius*, *Sylveſter Tappius*, *Henr. Ern. Owenus*. Non decerpemus hinc potiora, cum vix dubitemus, Lectores ipſum Librum habiturum eſſe plurimos. Illud ſcire volumus Lectores noſtros, multa hic occurrere cognitu jucundiſſima. E. g. *pag. 301 ſeq.* exhibentur nomina omnium eorum, qui nunc ſunt Berolini in Societate Scientiarum Regia, inter quos tamen nondum locum occupat, qui hoc ipſo demum anno in Societatem receptus eſt, *Frid. Otto Menckenius*, Collega noſter; *pag. 133* docemur, Cl. *Richeium* plurima & optima capita *Bibliothecæ Hiſtoricæ*,

Hamburgi editæ, elaboraſſe. Sed finimus, hortamurque Eruditos etiam atque etiam, ut Autori doctiſſimo, deque Republica Literaria bene merendi cupidiſſimo, ferre ne graventur ſuppetias.

NOVA LITERARIA.

Qui rerum naturalium ſtudio tenentur, jam lætum nuntium accipiant de proxime prodituro *Swammerdammianæ* induſtriæ monumento inſigni prorſusque aureo, cujus uſum, ſibi huc uſque privatum, jam publicum facere conſtituit *Hermannus Bœrhaavius*, Senex in Batavis venerandus, atque Medicorum noſtræ ætatis, multorum judicio, princeps. De cujus conſilio, edendi præſtantiſſimas illas *Swammerdammiani* nominis reliquias, ut Lectoribus noſtris conſtare certo poſſit, commode hic locum dabimus integro Programmati, quo inſtituti ſui ipſe Vir illuſtris publice rationem reddit, & futuris emtoribus Opus elaboratiſſimum pro merito commendat. En, quam eleganter verba fluant: *Hiſtoriæ Naturalis & Medicinæ Studioſis Hermannus Bœrhaave: En natam opportunitatem, & lætam ſane, oculis perlegendi* Swammerdammiana! *Si itaque velitis, jubeatis; ocyus prodibunt, & adeo completa, hæc poſthuma, ut ne voculam intercidiſſe conſtitutum ſit. Autor hæc conſummata, non ita diu ante fatalem horam, legaverat nobili* Melchiſedeco Thevenoto, *amico ſuo integerrimo, ut continuo evulgaret. Hunc vero, ſedulo ſtudentem præſtare officioſa, & pia, votis hiſce obſequia, obſtaculorum moleſtiæ impediverunt. Re ergo non perfecta moritur. Venerunt inde in manus* Joſephi du Verneji, *Viri in diſciplina Anatomica ſummi, & quidem eodem propoſito, ut ederentur. Illo autem quis evulgationi aptior? Hercle, nemo. Attamen neque vel hic curavit, ut in lucem prodirent publicam. Sed latuere in Muſæo, ibique huic elegantiſſimo deliciarum harum ſpectatori unice ſervabantur. Id ubi reſcivi, prece effeci & pretio, ut meo redemta ære in patriam redirent, jam ante ſeptennium. Animus erat mihi, in uſus publicos emittere. Si rogaveritis, cur ergo id jam prius non fecerim? cauſari forte poſſem alia negotia. Vero tamen dixero, obſtitiſſe peſſimam conſuetudinem eorum, qui li-*

bros

bros excudunt & vendunt. Opera quippe venalia ſuis mox typis deſcribunt, obtentui ſumentes pretii diminutionem, atque ita, cetera ſuſque deque habentes, ignaris divendunt promtius, cum damno illorum, qui dubii eventus ſortem ancipitem ſuo periculo ſoli primo ſuſtinuerant. Animum ideo induxi, tum demum permittere, hoc Opus ut exeat, quando prius certus ſum, Typographos, quibus commiſi, contra has rapinas munitos eſſe. Id vero fiet, ſi, parte pretii repræſentata, obſtrinxerint ſatis multi ſua nomina, ad emenda exempla Operis impreſſi. Mihi porro hic nec ſeritur, nec metitur, qui ne ſtipulam inde capto. Tantum nolo, meum benefaciendi animum male cedere his, quibus hac in re favere mihimet liberum putem. Veſtri itaque arbitrii eſto, efficere, ut incomparabile hoc Opus prodeat in publicum, vel ut meo in tablino conditum porro maneat. Redegi in ordinem ſcripta, magno meo bono aliquoties relegi, icones omnes æri inciſas contuli, ut præſto ſint omnia, quæ prelum ſubeant. Quæ, & quanta, ignota prius, hoc agendo, hinc didicerim, effari nequeo, ad rerum Naturalium Hiſtoriam, & ad Medicinam, maximi momenti: ut pretii iis comparandis impenſi non modo haud me pœniteat, imo vero merx pretioſa ſatis mihi ſuperque placeat ſola privatæ utilitatis mercede, ſemperque placitura ſit. Ut vero cauti mercemini, indicem addo. Continebuntur hoc libro, præter Hiſtoriam Vitæ magni Viri, fideliter a me deſcriptam, 1) Opus de Inſectis, tam opulente amplificatum, tam fideliter caſtigatum, ut aliud omnino ſit ab eo, quod Belgico Autor ſermone edidit: eſt quippe abſolutum jam Syſtema hujus doctrinæ, cui ſimile nunquam exſtitit; 2) Anatome Sepiæ; 3) Hiſtoria naturalis Culicis; 4) Hiſtoria naturalis Apum, ſtupendum certe, & ſupra humanum, Opus; 5) Hiſtoria naturalis Papilionis noctu volantis; 6) Hiſtoria naturalis muſcæ Aſili; 7) Hiſtoria naturalis Cochleæ vinearum, aliorum Limacum, & Cochleæ viviparæ; 8) de Scarabæo Rhinocerote; 9) Anatome Pediculi; 10) Hiſtoria naturalis Ephemerobii; 11) Hiſtoria Naturalis Ranarum, in qua non audita prius miracula naturæ; 12) Tractatus de Animalibus, naſcentibus in tuberculis plantarum; 13) Hiſtoria naturalis Cancelli; 14) Tractatus

ctatus de ſeminibus Felicum; 15) *Tractatus de Papilione, qui latet jam in Eruca verme;* 16) *Hiſtoria Pulicis aquatici & Scorpionis;* 17) *Tractatus de Phyſalo. In omnibus his, præter ea, quæ tituli promittunt, inſeruntur numeroſæ obſervationes rariorum Naturæ. Anatome ſubtiliſſima ubique exculta, alia omnia, uſque viſa, infinite exſuperans, ne* Malpighianis *quidem exceptis. Icones vero arte, fide, nitore, uſu, adeo pulchræ, ut nihil ſupra. Valete! & eximii Operis editionem maturate! Leydæ 1735. Subſcriptionis Leges hæ ſunto: Bibliopolæ nobiliſſimi,* Iſaacus Severinus *&* Janſſonii Vander Aa, *excellentiſſimum hoc Opus curabunt imprimi literis novis, elegantibus, charta ſolida, pulchra. Totum, ut ſupputamus, exhibebit 170 vel 180 plagulas, ſive folia typis expreſſa, in quo eminebunt 42 aut 44 Tabulæ artificioſiſſimæ, integris foliis imprimendæ, ut ad ſingulas paginas quasque explicari & inſpici poſſint. Tradetur Inſcribentibus totum 18 flor. boll. hac ratione enumerandis: Cum ſubſcribitur, 9, cum abſolutum Opus traditur, 9. Si qui vero elegantiæ ſtudioſi deſiderent exempla in charta majori, pulcherrima, tradetur 23 flor. hac ratione: juxta Subſcriptionem 11: 10: juxta Operis traditionem 11: 10. Initium ſubſcriptionis fiet a publicato hoc Programmate, uſque ad 1 Dec. Opus poterit prodire intra 18 menſes, ab incepto numerandas, vel prius. Quam primum prior Pars fuerit abſoluta, illud communicabimus, banc ſubſcribentibus, ſi præmitti cupiant, tradituri, enumerata ſecunda parte reſtantis pretii, ſive 6 flor. & pro ch. maj. 5 flor. Si quis ſit in loco, ubi ſubſcribendi non datur occaſio, pecunia ad nos poterit transmitti per Tabelliones, Naucleroſve, a portorio immunes, pro qua illico tradetur ſyngrapha. Nomina inſcribentium Operi præfigentur. Eorum vero nominibus, qui in charta majori poſtulavere, adſcribetur aſteriſcus. Cum certum plagularum numerum definire ſit impoſſibile, ſi tot folia non exhibeat, pro rata diminuetur pretium, ſi plura, quod præter exſpectationem, augebitur. Inſcriptio fieri poterit Leydæ apud* Iſ. Severinum, *&* Janſſonios Vander Aa, *& in ceteris Hollandiæ, aliarumque Provinciarum, urbibus apud Bibliopolas præcipuos.*

❀ ❀ ❀

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCXXXV.

Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ. *NOVUM TESTAmentum Græcum, ita adornatum, ut textus probatarum editionum medullam, margo variarum Lectionum in ſuas claſſes diſtributarum, locorumque parallelorum, delectum, Apparatus ſubjunctus Criſeos ſacræ, Millianæ præſertim, compendium, limam, ſupplementum, ac fructum, exhibeat, inſerviente JO. ALBERTO BENGELIO.*

Tubingæ, ſumtibus Jo. Georgii Cottæ, 1734, 4 maj. Alph. 4 pl. 20.

Tot jam inde a revocata e tenebris in lucem religione Græci Novi Teſtamenti exſtant editiones, vix ut numerari queant. Omnes vero ejusmodi ſunt, ut ſingularia quædam nullam non ornent, in alia, quacum æquatur & confertur, haud facile obvia. Inprimis ſplendidiſſima illa reliquis palmam adhuc præripuit, quam *Jo. Millius*, Theologus Britannus, adornavit, quamque *Ludolphus* expolivit *Kuſterus*. Haud diſpari conſilio ac ſucceſſu Cl. *Bengelius* hanc, cujus indicem nunc dedimus, editionem curavit, nitidisque typis deſcriptam orbi tradidit erudito. Genuinam cujusque loci lectionem, ex probato aliquo Codice excerptam, in textu propoſuit, quæ vero tota aliis fulta erat documentis, eam in margine de- Pag. 1-368.

ſignavit. Unam ab hac tractandi ratione Apocalypſin exemtam eſſe voluit, ubi textui ſinceritas Codicis Alexandrini aliorumque, reſtituta eſt, & tamen lectio priſtina ſuo loco diſtincte ſubjecta. Accedunt melioris notæ interpunctiones, accentus, ac ſpiritus, quin etiam lateralis margo verſus & capita, ut apud *Eraſmum* ac *Stephanum* exſtant, uſitata exhibet ratione. Inferior autem ea loca continet parallela, quæ utriusque concentum Fœderis declarant. Habet idem *variantes lectiones*, easdemque notiores ac potiores, omnium & editionum & MStorum Codicum, ſed has eclectica quadam methodo in lucem protractas. Nihil, ut breviter dicamus, intentatum Clariſſimus reliquit Autor, quo Græcam Novi Teſtamenti editionem, nitidam non minus & emendatam, quam critica corroboratam accuratione, & amicis inimicisque Sacrarum literarum probandam, cum literata communicaret civitate. Hoc conſilio ea in auxilium vocavit, quæ doctiſſimi Viri de *Millii* Opere, de *Bentleji* Specimine, de *Anonymi* Textu Græce & Anglice excuſo, de Prolegomenis *Wetſtenianis*, tulerunt, judicia, & in rem ſuam convertit.

Pag. 369. Adjungitur, Novo Teſtamento finito, *Apparatus Criticus*, in quo *tres* inveniuntur *Partes*. Quarum *prima* eſt *Introductio ad univerſam lectionis varietatem dilucidandam*, oculis ac meditatione peritorum Lectorum haud indigna. Hujus, more noſtro, compendiariam dabimus enarrationem, ſalivam illis moturi. Lectionem veram in primisque ſinceram quærendam eſſe, nemo dubitat. Ex quo ſequitur, ut communior præcipue ſub judicium vocanda ſit. Genuina vero ex tota lectionum variantium univerſitate eruenda. Hæc colliguntur maxime ex editionibus Græcis, & ex manuſcriptis Codicibus Græcis, deinde etiam ex verſionibus antiquis, & Patribus. Editiones præcipuæ ſunt *Complutenſis* & *Eraſmiana*: has enim poſtremas *Aldus* & *Colinaus*, *Stephanus* item poſtea, ſecuti ſunt, *Theodorus* autem *Beza*, ubi ab *Eraſmo Stephano*que diſceſſit, in majoribus Annotationibus ſuis Codices, vel certe rationes, quæ ad diverſas ipſum partes traxerunt, indicavit. Comparent hic Notæ variantes, ex iisdem Codicibus

bus MStis, quos *Jo. Millius, Lud. Kuſterus*, & *Tomo III* Anecdotorum Græcorum Ven. *Jo. Chriſtoph. Wolfius*, conſuluerunt, collectæ & examinatæ. His autem novi quindecim Auguſtani ſeptem, Baſileenſes tres, Byzantinus, Hirſaugienſis, Moſcuenſis, Uffenbachiani duo, accedunt ac deſcribuntur. Omnes hos Co- Pag. 376.
dices ii demum recte adhibent, qui, quænam ſuffragiorum ratio ineunda ſit, exploratum habent, & eos, qui & integri, & ſatis accurate collati ab iis, qui minus curate collati & mutilati ſunt, cum ſingulari cura ſecernunt ac ſejungunt. Uſu quoque venire ſolet, ut unus Codex in utramque lectionem ſuffragia præbeat. Ex his igitur ut germana lectio excerpa- 379.
tur, nil guſtui, nil multitudini, nil bonitati, cum dubia ſit, nilque circulatoriæ antiquitatis jactationi, dandum. Sed illa 380.
potius primum ex ipſa varietatum natura petenda. Librarii eſt, nihil plane, ne minimam quidem ſyllabam aut notulam, in archetypo mutare. Quo neglecto officio, varietatis cauſam dat vel caſus, vel conſilium, vel utrumque, quod præſertim per compenſationem factum a librariis eſſe, teſtatiſſimum eſt. Hinc tantam varietatum copiam nemo ſane, qui rem bene putaverit, mirabitur. *Criterium ſanæ lectionis eſt color quidam nativus, priſcus, ſimplex, cum decora auſteritate & recondita ſuavitate.* In varietate ſimplici hæ valebunt leges: *Vide, utra lectio præ altera ſit explicabilis; utra lectio potius orta ſit ex altera? conſiliumque, an caſus, ortum ei dederit? Ubi non modo duplex, ſed multiplex occurrit lectio, media eſt optima.* Deinde vera etiam lectio ex vario Codi- 385.
cum concurſu extrahenda. *Univerſi Codices ſint norma ſingulorum.* Horum ergo majores minoresque *Syzygiæ* quærendæ & conſiderandæ. Neceſſe eſt, ut fiat a ſingulis Co- 387.
dicibus ad univerſos adſcenſus, hac ante oculos habita regula: *Quo ſæpius non modo ſinguli Codices, ſed etiam Syzygiæ minores eorum, vel majores, in aberrationes manifeſtas tendunt, eo levius ferunt teſtimonium in diſcrepantiis difficilioribus, eoque magis lectio, ab eis deſerta, tanquam genuina retineri debet.* Tum vero & uſus flagitat, ut deſcenſus a 388.

Digitized by Google

manu Apoſtolica ad certas Codicum familias inſtituatur. Unde deciſio fere ad conjunctum Alexandrini Codicis ac Latinæ lectionis ſuffragium, atque inde ad diviſum, reducitur, aliorum etiam verſionum ac Patrum teſtimoniis hic demum in
Pag. 389. ſubſidium accitis. Atque hæc majoris momenti res per ſingulares Obſervationes, easque triginta duas numero, haud ſegniter enucleatur. Totam tandem rationem criticam uno
433. hoc Canone comprehenſam ob oculos ponit Cl. *Bengelius*:
434. *Proclivi ſcriptioni præſtat ardua:* Hoc ille explanato, de variis, quæ exſtant, Novi Teſtamenti editionibus judicia tulit, ut de *Complutenſi* A. 1514, de *Eraſmianis*, ab anno 1516 ad 1535 Baſileæ exſcriptis, nec non de editionibus *Sim. Colinæi*, *R. Stephani*, & aliorum, itemque *Theod.*
436-449. *Bezæ* ſigillatim. His dictis, de tota Novi Teſtamenti Græci poſt inventam typographiam conſtitutione ſolide judicatur, præcipui doctorum Virorum conatus, inde ab hac eadem introducta arte, uſque ad præſentem recenſentur ætatem. Relatio autem de hac ipſa nova recognitione primam finit *Partem*.

450. *Secunda*, quæ conſequitur, ipſam continet *Tractationem, potiora loca variantia ſingulatim*, eo, quo ſacroſancti Novi Teſtamenti libri ſe ipſos excipiunt, ordine *diſcernentem*. Criticæ illæ, quæ hic inſtituuntur, diſquiſitiones in locis eximiis
459, 551. & in controverſiam vocatis, ut ad *Matth. VI, 13, Jo. I, 1,*
ubi contra *L. M. Artemonium*; hoc eſt, *Sam. Crellium*, ex
585, 709. inſtituto diſputatur, *Jo. VIII, 1-11; 1 Tim. III, 15, 16, 1 Jo. V,*
745. *7, 8*, ampliores aliis, atque adeo nonnunquam ampliſſimæ ſunt.
776. Initio Apocalypſeos ſingularis præmittitur criſis, viginti tribus Paragraphis incluſa, in qua propoſitæ rei redditur ratio. Tum vero Notæ variantes Apocalypticæ debito ordine conſequuntur.

861-884. *Pars* tandem *tertia*, eaque ultima, exhibet Epilogum, quo, ut inſcriptio habet, *dubia generalia ſolvuntur, & ſimul Operis hujus conſtitutio uberius deſcribitur, ratioque ſcrutinii critici Novi Teſtamenti, ad ſuos uſus referendi, & deinceps conſummandi, explicatur.*

Cete-

Cæterum taciti præterire non poſſumus, literatiſſimum Autorem ad Gnomonem Hermenevticum in Apparatu Critico ſuos itentidem remittere Lectores. Nos ex ejus declarabimus Præfatione, quid hac ipſa deſignatum velit appellatione. Sic nimirum Annotationes ſuas nominat philologicas, quas ad vim Textus ita propoſiti enodandam, ſemota criſi, molitur. De his ita habendum. Diu eſt, quod Exegeſin Novi Teſtamenti Græci Latino ſermone in privatos uſus ſuos cœpit conſcribere. Poſtea vero, rationibus in utramque partem ſubductis, Latinene, an Germanice, elaboratam in lucem exire juberet, in animum tandem induxit, rectius ſe facturum, ſi & literatorum hominum, & Latinæ linguæ expertium, conſuleret commodis. Hac mente cepit conſilium novam aliquam pertractationem ſuſcipiendi, & *binas* illius *Partes* conſtituendi. Alteram, Latino ſcribendam ſermone, ea vult explicare, quæ ad locutiones Græcas evolvendas, ad veram emphaſin enodandam, & ad falſam exterminandam, ad ſeptuaginta Interpretes, aliosque Scriptores veteres, conferendos, pertinent, quæ allegationibus conſtant, quæ ex antiquitate eruuntur, quæ analyſin qualemcunque dant, quæ ſine terminis technicis, ut appellantur, peragi non poſſunt, breviter, quæ Philologia & Hermenevtica ſibi vindicat. Atque hanc explicationem ſeparati cujusdam Operis concludet finibus. Altera vero, Germanica lingua exaranda, nihil erit aliud, niſi Theologica quædam rerum ipſarum Declaratio, quæ, omiſſa criſi ac Philologia, ad ſalutarem animorum emendationem inprimis pertinebunt. Sic prodibit Harmonia Evangeliſtarum, expoſitioque ſingulorum Tomorum Novi Teſtamenti, a *Matthæo* uſque ad *Apocalypſin*, plenum aliquod Volumen ſeorſim relatura. In votis habemus, ut Deus propitius orſis tantorum operum ſucceſſus proſperos dare velit.

SYNOPSIS THEOLOGIÆ VETERUM Patrum, ad mentem Venerabilis JOSEPHI Cardinalis THOMASII, e Presbyteris Teatinis,

Digitized by Google

Panormitani; quæ Tractatus ſaniores Scholaſticos, fidei dogmata, ſacramque Hiſtoriam criticam, complectitur. Exarabat JACOBUS MARIA GRAVINA, *ejuſdem Congregationis & patriæ, S. Officii regni Siciliæ Conſultor & Qualificator.*

Pars I.

Panormi, excudente Angelo Felicella, 1732, fol.
Alph. 4 pl. 17.

Ill. Cardinalis *Joſephus Maria Thomaſius* Romæ A. 1701 ediderat Indiculum Inſtitutionum Theologicarum veterum Patrum, *Joanni Mabillonio*, Benedictinorum æterno ſyderi, inſcriptum. Ipſe Panormi A. 1723, & nunc denuo A. 1731, ibidem fuit recuſus. Per Patres illos intelligendi ſunt *Tertullianus, Cyprianus, S. Baſilius, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Auguſtinus, Vincentius Lirinenſis, Theodoritus, Gennadius, Fulgentius, Iſidorus, Joannes Damaſcenus.* Dedit in Indiculo *Thomaſius* varias Annotationes, lecturis ſcripta Patrum inſervituras. Nec ſpernenda eſt ea regula, qua præcipit, ad intelligendos primos Patres multum conferre Philoſophiæ *Platonicæ* notitiam. Aureum quoque eſt monitum ſtatuentis, nullius eſſe partis eum debere, qui dicta Patrum debite ſit ponderaturus. Dedit quoque idem Cardinalis ſummam argumentorum, ad quam Theologia ejusmodi Patriſtica ſit elaboranda. Ven. *Gravina*, deſideriis *Thomaſii* ſatisfacturus, *primam* Operis *Partem* fuit enixus. In ea diſſerit de Theologia, locis Theologicis, Sacra Scriptura, Traditionibus, Conciliis, ſummo Pontifice, ſanctis Patribus, de Hiſtoria Eccleſiaſtica, conſuetudine Eccleſiæ, de Deo in ſeſe conſiderato, ejusque exiſtentia, eſſentia, & attributis, de Dei providentia, de Trinitate, de Creatione univerſi, hominis, & angelorum. Qualia ſint argumenta, & qua ratione tractata, præmoſſe licet ex doctrinis, quibus Ven. Autor eſt addictus. Quæ ſingularia videntur, ea delibabimus, reliquis prætermiſſis.
Pag. 6. Patres primi crediderunt, Philoſophiæ cultura & dialecticis diſpu-

diſputationibus hæreſes ad majorem contentionem accendi. *Tertulliani*, *Socratis Hiſt. Eccl. Lib. V. Cap.* 10, & *Gregorii Nazianzeni*, ea fuit ſententia, a Pontificiis haud penitus approbata. Autor fatetur cum *Melchiore Cano*, tempore *Lutheri* magiſtros ſcholæ in Germania nulla prorſus arma habuiſſe in contrarium, niſi arundines longas, arma videlicet levia puerorum. Neminem, ſtatuit, poſſe eſſe ſolidum Theo- Pag. 9.
logum, niſi Hiſtoria Eccleſiaſtica ſatis imbutum. Sunt inter eos, qui Pontifici Romano fidem addixerunt, quorum eſt ſententia, adoleſcentes a Theologia Dogmatica & audiendis adverſariorum argumentis eſſe arcendos, ne de or-
thodoxia deflectant. A Seculo quinto Autor deducit canonem Sacræ Scripturæ, qualis Concilio Tridentino fuit per- 10.
ſcriptus. Opus *Maſoræ* inſerviit integritati Novi Teſtamenti, 14.
quam tamen Vulgatæ poſtponit Autor *pag.* 17. *Ariſteæ* librum 21.
de ſeptuaginta Interpretibus rejicit tanquam fabuloſum. Septua- 22.
gintaviralis Græca translatio, ipſo judice, nondum fidem inconcuſſam facit, ſed mendis corrigendis adhuc ſcatet. De Vulgatæ origine afferuntur pauca, ac verſiones *Santis Pagnini*, *Ariæ Montani*, *Vatabli*, *Iſidori Clarii*, & aliorum,
ab uſu fidelium prorſus eliminandæ haud exiſtimantur. Ex 27.
obſcuritate plurium Scripturæ locorum Autor provocat ad neceſſitatem judicis adſpectabilis de vero Scripturæ ſenſu. Traditionibus Apoſtolicis ſua encomia haud denegantur. Id tamen eſt verum, nondum prodiiſſe catalogum ejusmodi omnino conſtantem & clarum, teſtimoniis doctorum ex quibuscunque Seculis roboratum. De Conciliis agitur deinceps, & eorum autoritas oſtenditur ex exemplo *Caiphæ Jo. XI*, 50.
Novarinus credidit, decreti *Actor. XV* promulgati beatam Vir- 37.
ginem fuiſſe magiſtram, antequam comprobarat, eam tum in terris vixiſſe. Canones Concilii Antiocheni, ex *Actor. XV*, 35,
effecti, Autor habet pro ſuppoſititiis. Symbolum Apoſtolicum, 38.
putat, ab Apoſtolis ipſis, antequam Hieroſolymis digrederentur, conſcriptum fuiſſe, applaudens *Ambroſio*, *Lib. I Ep.* 7 ad *Siric.* ſcribenti: *Symbolum Apoſtolicum intemeratum Eccle-*
ſia Romana ſemper cuſtodit & ſervat. Canones Apoſtolicos 39 ſeq.
reputat pro ſuppoſititiis, varioſque errores iis ineſſe docet.

Iſido-

Digitized by Google

Pag. 67. *Iſidorus Mercator*, hoc probante, fuit Pſeudepigraphorum in-
ſignis parens, & impoſtor. *Conſtitutiones Apoſtolorum* merito
42 ſeq. nunc explodunt Pontificii. *Petrum* Romæ primum annun-
tiaſſe Chriſti doctrinam, Autor ex oraculo Erythrææ Sibyl-
læ probat, vaticinatæ, *Chriſtum Æneadem urbem ſibi ſubjectu-*
58 ſeq. *rum in hamo piſcantis.* De infallibilitate Romani Pontificis
afferuntur varia, e. g. *Matth. XXVIII, 20, Marc. XIII, 37, So-
zomeni* teſtimonium *Hiſt. Eccl. Lib. IV Cap. 15, 16, Auguſtini
Serm. II de verbis Apoſtoli*, Autoris operum imperfectorum
Lib. II num. 103. Eam tamen reſtringit ad Pontificem Roma-
num, quatenus publicum doctorem, ex cathedra pronuncian-
tem, nequaquam quatenus privatæ perſonæ competentem, ob *Luc.*
62 ſeq. *XXII, 31, 32.* Papam Autor Concilio anteponit ex more Italis
dudum probato, nec ſibi putat obſtare locum *Actor. VIII, 14,*
64 ſeq. vel Concilia, Piſanum, Conſtantienſe, & Baſileenſe. Cum au-
tem Rev. Autor omiſerit locum *Optati* contra *Parmenianum*
Lib. V Cap. 3, qui poteſt eſſe inſtar omnium, pace ipſius eum
hic intexemus. *Optatus* ultimum deciſionis momentum, ac
tribunal extremæ provocationis conſtituit tale: *Vos dicitis,
licet; nos dicimus, non licet. Inter licet veſtrum, & non li-
cet noſtrum, natant & remigant animæ populorum. Nemo
vobis credat, nemo nobis, omnes contentioſi homines ſumus;
quærendi judices ſunt. Si Chriſtiani, de utraque parte da-
ri non poſſunt, quia ſtudiis veritas impeditur. Deforis quæ-
rendus eſt judex. Si paganus, non poteſt Chriſtiana noſſe
ſecreta. Si Judæus, inimicus eſt Chriſtiani Baptiſmatis. Er-
go in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium; de
cœlo quærendus eſt judex. Sed ad quid pulſamus cœlum,
68. cum habemus hic in Evangelio teſtamentum? Iſidori Mer-
catoris* impoſturam primus detexiſſe hic traditur *Antonius
Auguſtinus*, Taraconenſis, quippe qui in Epiſtolis, ab *Iſidoro*
ſuppoſitis, deprehendit plurimas ſententias, ex Codice *Theodo-
ſiano*, multo poſteriori, & ex ſcholiis, quæ ſub *Anacleti* no-
mine ad illum exſtant, depromtas. Plena detectio tribuen-
da eſt *Blondello*, qui ſcripſit librum: *Pſeudo-Iſidorus &*
71 ſeq. *Turrianus vapulantes.* De *Felice II*, quem vivo *Liberio*
ſubſti-

Digitized by Google

ſubſtitutum fuiſſe Pontificem tradunt *Anaſtaſius*, ac *Ado Viennenſis* in ſuo *Martyrologio*, quocum concordat Romanum. *Hieronymus* in *Chron. ad A. 352*: *Cum Felix ab Arianis fuiſſet in ſacerdotium ſubſtitutus, plurimi Clericorum pejeraverunt.* *Athanaſius Lib. III Myſterior. Miſſæ Cap. 10*: *Arceſſiti fuerunt exploratores quidam, ut ipſi Felicem quendam Epiſcopum in Palatio crearent, dignum profecto talibus ſuffragatoribus: ceterum populi omnes, cognita hæreticorum pravitate, ab iis receſſerunt.* Si is poſt *Liberii* caſum fuiſſet approbatus a Romanis, id haud reticuiſſent iidem. *Theocritus Hiſt. Eccl. Lib. II Cap. 17*: *Felicem tanquam communione hæreticorum fœdatum incuſat, ac propterea nemo ex Romæ habitatoribus in Eccleſiam, dum ille intus erat, ingredi voluit.* *Marcellinus* & *Fauſtinus*, Presbyteri, non martyrio ſolum, ſed & Pontificatu, *Felicem* exuerunt, tantique apud *Gregorium XIII* reſpectu hujus teſtimonii habiti ſunt, ut ex *Chriſtiano Lupo*, qui in Dictatu *S. Gregorii VII fol. 380* *Felici* huic refragatur, de radendis illis ex Martyrologio Romano verbis, quæ ad *Felicem* ſpectant, cogitaverit. Inventus quidem eſt ſarcophagus quidam in templo *SS. Coſmæ* & *Damiani*, adjunctis verbis: *Hic jacet corpus S. Felicis Papæ & Martyris, qui Conſtantium hæreticum damnavit.* Hæc cauſa fuit, cur in Martyrologio Romano nil deinceps ſit mutatum. Addit tamen Autor, fautores *Juliani*, Epiſcopi Celianenſis, ob pertinaciam defenſæ hæreſeos *Pelagianæ* per Epheſinam Synodum amoti, exſtitiſſe, qui ei poſuerint Epitaphium: *Hic in pace quieſcit Julianus, Epiſcopus Catholicus.* Sed quid de *Liberio* eſt ſtatuendum? *Hieronymus l. c.* eum, tædio exilii victum, & in hæreticam pravitatem ſubſcripſiſſe, & Romam quaſi victorem intraſſe, ſcribit. *Joannam* Papiſſam nunquam exſtitiſſe, Noſter exiſtimat. Provocat ad ſilentium coævo- Pag. 75.
rum. Fabulam putat derivandam ex *Leonis IX* dicto, qui Græcis exprobraverit, quod in eorum Patriarchalem ſedem mulier quædam conſcenderit. Addit, ea, quæ in *Mariano Scoto*, *Sigeberto Gemblacenſi*, ac *Martino Polono*, de *Joanna* legantur, eſſe novatorum aſſumenta & lacinias. Sellam ſter-

corariam, exiſtimat, pertuſam haud fuiſſe, eamque fuiſſe duntaxat inductam ad inſinuandam novo Pontifici humilitatem, ideoque eſſe cantatum: *Suſcitat de pulvere egenum, & de ſtercore elevat pauperem.* Gentium Numen affabre factum ab imperitis pro *Joanna* cum filio exiſtimatum fuiſſe perpe-
Pag. 76. ram, pronuntiat. *Lino Cletum, Cleto Anacletum*, ſucceſſiſſe, ex *Tertulliano* docet. De modo præcognoſcendorum con-
150 ſeq. tingentium erudite diſputat. Unius *Vorſtii* errores minus recte tribuuntur Eccleſiis Calviniſtarum *pag. 171.* Gratia Dei univerſalis & ſatisfactio Chriſti, pro omnibus præſtita, caute
172 ſeq. exponuntur. Hiſtoriam *Janſeniſmi* in compendium miſſam
177 ſeq. præterire cogimur. De Symbolo *Athanaſiano* ſic agit Autor, ut *Athanaſio* id tribuere dubitet, nec tamen penitus ei detra-
246 ſeq. hat. De particula *filioque* doctas affert annotationes. *Li-*
250 ſeq. *berium*, Papam, ab hæreſi *Ariana*, quam vulgo ei aſſignant, poſt *Hilarium, Athanaſium, Hieronymum, Auxilium*, & antiquum Breviarium Romanum ad 19 Cal. Sept. liberare
279 ſeq. contendit. Antichriſtum putat fore Pſeudo-Meſſiam Babylone exoriturum, & inde arma Hieroſolymis illaturum, idque poſt
315 ſeq. excidium Imperii Romani. Quare eos reprehendit, qui Romanum Pontificem arbitrantur, eſſe famoſum illum Antichri-
317 ſeq. ſtum. *Fardella* ſenſit, dæmonas torqueri ab igne, per unionem hypoſtaticam unito cum ipſis, multasque exinde controverſias ſibi contraxit. Eum in finem, ut hæc a ſingulis ex-
350 ſeq. pendi poſſit ſententia, *Ratiocinium Fardellæ*, circa medium Seculum ſuperius Pariſiis qui docuit, *pro ſua doctrina de*
353 ſeq. *unione hypoſtatica ignis cum dæmone*, nonnullis ad marginem annotationibus interpolatum, Actionibus Dei, adductis, hic fuit conſulto ſubjectum, ac ita *Parti primæ* [illegible]ronis eſt appoſita.

Das letzte Sünd-Opfer im Geſetz ꝛc.

h. e.

ULTIMUM SACRIFICIUM PRO PECCAtis in Lege, ceu Typus Jeſu in crucem acti conſummatus conſideratum, & ad ſalutares perpeſſionum Domi-

Dominicarum meditationes accommodatum, a D.
BERNHARDO WALTHERO MARPERGERO,
in Aula Regio-Electorali Saxon. Sacrorum Antiſtite Primario, Conſil. Eccleſ. & Supremi Conſiſt. Dreſd. Aſſeſſore.

Dreſdæ & Lipſiæ, apud Frider. Heckelium, 1735, 8.
Alph. 3 pl. 2.

Duo exſtabant olim ſub antiqua Veteris Teſtamenti œconomia ſacrificia, quæ verum Novi Teſtamenti ſacrificium pro peccatis hominum offerendum adumbrabant. Unum erat illud, quod ſolenni anniverſariæ expiationis die offerebatur: alterum, idque poſtremum, ſacrificium vaccæ ruſæ. Prius iſtud ante hos duos annos in ſeparata quadam Commentatione explanavit Summe Venerabilis Autor, cujus compendium in *Supplem. ad Nova Acta Erud. Tom. I Sect. I p. 27* communicavimus. Poſterius autem in hac ipſa declaratur Scriptione, cujus indicem hic eo dedimus conſilio, ut præcipua ejusdem capita iis, qui arcana ſanctioris Theologiæ, Typicæ & Anti-Typicæ, in deliciis habent, more noſtro, ſignificemus. Ratio tractandi eadem hic obtinet loci, quæ in libro indicato invenitur, & cujus naturam in recitatione noſtra pluribus verbis exponere operæ duximus pretium. Cauſa rei eſt illuſtratio & corroboratio Theologiæ Dogmatico-Typicæ & Anti-Typicæ erudita, ex purioribus, & ſacris, & Judaicis antiquis, fontibus ducta. Ex hac vero uſus ſalutares in omnes reliquas, quibus tota Theologia circumſcribitur, partes ea derivantur ratione, qua nihil excellentius. Unicum eſt, quod hoc elaboratiſſimum Opus a præcedente quodammodo ſejungit, collocatio nimirum earum uberiorum, quas eruditio ſibi vindicat, Annotationum. In illo enim hæ ipſæ nullam non conſiderationem conſequebantur: in hoc vero illæ, quæ neceſſariæ, & a re propoſita minus ſejunctæ, viſæ ſunt, ipſis ſtatim paginis exſtant ſubjunctæ. Atque hæc bene, ut videtur, medi-

Digitized by Google

[illegible] & cogitata poſitio, dici non poteſt, quantum [illegible]-[illegible]iorem juvet lectionem. Quare non erat iſtud diſſimulandum, quippe quod & obſcurari non poteſt, ſed præ nobis ferendum, noſtro quidem officio facturis ſatis. Ipſa vero Commentatio, quæ nos nunc ad ſe vocat, *tribus* abſolvitur *Libris*, quorum quisque ſingulares quasdam in ſe continet Meditationes.

Pag. 1 - 18. *Liber primus*, in quo *poſtremum in Lege pro peccatis ſacrificium per ſe ipſum* ſpectandum proponitur, *duas ſupra decem* complectitur *Meditationes*, in quarum *prima* oſtenditur, *quodnam fuerit ultimum pro peccatis ſacrificium in Lege*. Eſt nimirum hoc victima vaccæ rufæ, *Num. XIX* a viro divinitus acto eruditoque, *Moſe*, poſtremo loco, hoc eſt, ceteris omnibus expiatoriis victimis recenſitis, deſcripta. Ex quo poſito principio concludendum, vaccam rufam ultimum Servatoris in crucem acti typicum fuiſſe ſacrificium. Atque hoc etiam maximum Anti-Typicum Sacrificium nullum ſe-
19 - 42. cutum eſt aliud, quippe quo haud erat perfectius ullum. In *Meditatione ſecunda* inquiritur, *quonam tempore poſtremum iſtud pro peccatis ſacrificium primum inſtitutum & paratum fuerit*. Ubi, citatis eam in rem idoneis teſtibus, ſtatuitur, hoc, quod ab aquæ adſperſione nomen ducit, ſacrificium apud amaras in Marah aquas ſuum cepiſſe auſpicium. Hujus aquæ, in quam cinis vaccæ rufæ injectus erat, fructus is eſſe cenſebatur, ut profanus ille cultus, quo aureum vitulum affecerant Iſraelitæ, deleretur, ac Levitæ conſecrarentur, *Num. V*, 7. Major eſt mundandi vis in ſanguine Chriſti; quam doctores, inprimis Eccleſiæ Novi Teſtamenti, & omnes Chri-
43 - 71. ſtiani, experiuntur. *Meditatio tertia* docet, *quodnam illud tempus fuerit, quo primum fuit iſtud ipſum Iſraelitis publice propoſitum, & in Librum Legis relatum*. Deus ſacras, quas Iſraelitis olim præſcripſit, cerimonias non eo ſtatim tempore, quo dedit eas, in literas referri juſſit, ſed ſcriptioni ſemper tempus dixit opportunum, & ſuæ conveniens ſapientiæ. Sic etiam vaccæ rufæ combuſtio in deſerto Sinai jam inſtituta & peracta quidem, ſed non prius, quam peregrinatione Iſraelitarum

Digitized by Google

[illegible] ad finem decurrente, literis mandata fuit. Nec minus ſanguis adſperſionis Novi Teſtamenti omni quidem tempore valuit ac profuit, etiam antequam fuit, ſed ultimis demum temporibus fuſus ac omni ex parte patefactus. *Meditatio quar-* Pag. 72-96.
ta declarat, *quam ſignificanter Deus poſtremum pro peccatis ſacrificium in Lege praeſcripſerit & inſtituerit.* Scilicet *Num. XIX, 1, 2, Jehovah*, ut autor illius ſummus, diſertiſſimis verbis commemoratur. Idem etiam autor eſt unicus victimae illius, cujus vacca rufa figura fuit. *Moſi* & *Aaroni* praeſcriptus eſt ritus ille ad perficiendum; id quod de mactatione agni paſchalis etiam relatum legimus *Exod. XII, 1.* Ita Dei voluntas tulit, ut, qui rebus civilibus & ſacris praeſiderent, unitis viribus in hoc utroque maximi momenti ſacrificio tuendo elaborarent, donec hunc inchoatum typum perficeret Dominus. *Meditatio quinta, quem ad modum ultimum hoc in* 97-137.
Lege praeſcriptum pro peccatis ſacrificium contemplandum ſit, inſcribitur. Quo loco manifeſtum redditur, iſtud primo pro Typo doctrinae de cruenta Chriſti perpeſſione ac morte habendum eſſe, deinde a *Moſe* uſque ad Chriſtum non Iſraelitarum modo, ſed etiam alienigenarum, inſtitutioni ac mundationi ſerviiſſe. In *Meditatione ſexta* docetur, *quo modo* 137-176.
hoc ſacrificium, ab aqua adſperſionis dictum, ut verum ſacrificium pro peccatis oblatum, contemplandum, ac ceteris omnibus anteponendum ſit. Demonſtratio ex *Num. XIX, 17, 19, Levit. IV & XVI, & Hebr. IX, 13,* petita eſt: quacum ſingulares comparantur res circumſtantes, quae, nec invitae, in Servatorem conveniunt omnes. *Septima Meditatio, de ipſa vi-* 176-214.
ctima, quam Deus ad poſtremum pro peccatis ſacrificium in Lege delegit, in indice inſignitur. Vacca nimirum haec erat iis hominibus digna, quorum in pecoribus cura & divitiae ſitae erant. Animal requirebatur, ut mortem ac ſanguinis Dominici profuſionem in umbra repraeſentaret. Ex animalibus robuſtis unum poſcebatur, quod poſtremum eſſet ſacrificium, typicae inſerviens oeconomiae. *Octava Meditatio de rubro* 215-262.
poſtremi pro peccatis ſacrificii colore agit, atque Anti-Typum in rubro Servatoris ſanguine potiſſimum quaerit. *Nona Me-* 263-301.

 dita-

ditatio de legitima ultimi pro peccatis ſacrificii in Lege ætate diſſerit. Deus illam non diſerte declaravit, ab anxia nimis & curioſa ætatis ac diei natalis τοῦ Ἀντιτύπου, Jeſu Chriſti, exploratione, ſi ab aliis ejuſdem finibus diſceſſeris, nos avocaturus. Ex indiciis, quæ Deus dedit, ſubobſcuris divinant Judæi, vaccam luſtralem tres aut ſummum quatuor annos natam eſſe oportuiſſe. Quadrat hoc idem in Meſſiam, quippe qui, ut noſtrum a Patre cœleſti obſignatum ſacrificium pro peccatis, in calculo vatis divinitus excitati, *Danielis, Cap. IX, 24,* ſecundum ætatem dimidiæ hebdomadis annum,
Pag. 301 - noſtris exponitur oculis. In *decima Meditatione de integra*
343. *& omnibus ſuis numeris abſoluta poſtremi ſacrificii, pro peccatis oblati, perfectione* agitur, idque in ſacrificium Chriſti
343-382. omnium perfectiſſimum valuiſſe, oſtenditur. *Undecima Meditatio, de integerrima poſtremi pro peccatis ſacrificii in Lege munditie* inſcripta, typo declarato, pleniſſimam victimæ
383-429. Anti-Typicæ convenientiam & concentum exhibet. *Duodecima*, eaque ultima, hujus *Libri Meditatio*, planum facit, *quem ad modum poſtremum pro peccatis ſacrificium in Lege a nullo jugo tangi aut onerari oportuerit.* Divinum interdictum, quod hac de re exſtat, veteres impulit Hebræos, ut vaccam rufam reliquis omnibus anteferrent victimis. Nec immerito. Iſta etenim umbra ſignificare debuit orbis Servatorem, eundemque & nos homines, qui ſine jugo eſſe concupiſcimus, & ſuæ ipſius perſonæ excellentiam ac præſtantiam, repræſentantem, quæ ab omni jugo vacua eſſe debuit, quo nos a jugo peccati & cacodæmonis liberaret.

Sed *Liber II*, qui *novem* complectitur *Meditationes*, hic ſequitur ordine, isque non minus dignus eſſe videtur, in cujus ſingularibus rebus excerpendis haud ſegniter verſemur, quippe cum hæ ſint ejusmodi, ut non e medio ſumtæ dici queant. Ipſe *Liber de Sacrificatione poſtremi pro peccatis*
430-477. *ſacrificii in Lege* inſcriptus eſt, & *Meditatio* ejus prima docet, *quem ad modum illud paratum* fuerit. Vacca erat paranda, quam *Moſes*, a Deo eruditus, juſſerat. Iſraëlitis in mandatis datum erat, eam ut pararent. Sic & Sacrificium

Meſſia-

Millenum erat a ſacris vatibus, Deo autore, prædictum, idque ab univerſa Judæorum gente, in ſacra urbe tum congregata, in crucem actum eſt. *Meditatio ſecunda* reddit rationem, *quam ob rem poſtremum pro peccatis ſacrificium, ante ſacrificationem, ad Moſen adduci oportuerit*. In quo quidem ritu non tam *Moſis* perſona, quam officium, ſpectari debet, Erat *Moſes* Iſraelitarum & judex, & מחוקק, hoc eſt, *typorum* Veteris Teſtamenti *deſignator*, *Num. XXI*, 18, *Deut. XXXIII*, 21. Civilibus ille rebus & ſacris hac ratione præerat. Typica illa umbra ad tribunal civile & ſacrum reſpexit, coram quo utroque Salvatori ſtendum erat. In *tertia Meditatione* enodatur cauſa, *cur ultimum pro peccatis ſacrificium Eleaſari tradendum fuerit*. Legitur hoc *Num. XIX*, 3. Notari hic meretur loci, nullas Sacerdotis partes *Aaroni* in hoc Sacrificio aſſignari, ſed ſoli *Eleaſari*, qui idcirco bis dicitur Sacerdos, *Num. XVIII*, 28, *XIX*, 3. Ut adeo iſta jam tempeſtate *Aaroni*, ſi rem bene putes, ſuo ſummi Sacerdotis honore abeundum certa quadam ratione fuerit; quandoquidem poſthac etiam, in vita ſua & morte, non amplius Sacerdos, ſed tantum *Aaron*, *Moſis frater*, vocatur, *Num. XX*, 2, 6, 8, 10, 12, 23, alibique. Nemo eſt, quin ſine mora intelligat, *Eleaſarem* hic Jeſum cruci affixum, ut totius legis τέλος, adumbraſſe. *Meditatio quarta* exponit, *quo modo ultimum in Lege ſacrificium pro peccatis extra caſtra ductum ſit*, *Num. XIX*, 3, ubi textus originalis habet: והוציא *faciat eam*, vaccam, *exire*. Vis dicendi erudit nos, totam hanc rem a nutu ac voluntate *Eleaſaris* pependiſſe. Hac eadem ratione Dominus, non coactus, ſed volens & ſuapte ſponte mortem noſtra cauſa oppetiit. *Meditatio quinta* ad *locum* pertinet eum, *in quem poſtremum in Lege ſacrificium pro peccatis, in via mortis, ductum fuit*. Verba ſacra nominant locum generatim, *extra caſtra*. Specialem vero ex *Num. XIX*, 4, nullo ſine negotio concludere licet, dum illic dicitur, ſanguinem hujus victimæ *e regione tabernaculi adſpergendum eſſe*. Ex quo ſequitur, ut vitula in ejusmodi locum ducenda eſſet, *e regione portæ tentorii conventus, & eam ſpectanti in oculis*

Margin references, at the ends of their printed lines:
- crucem actum eſt … *quam* — Pag. 477 -
- *ob rem poſtremum … ſacrifica-* — 510.
- utroque Salvatori … eno- — 510 - 555.
- adumbraſſe. *Meditatio quarta* … — 555 - 597.
- noſtra cauſa oppetiit. *Meditatio quinta* … — 597 - 643.

lis

ti erat. Ubi hoc etiam commemoratione dignum, quod æ-
ſtimam, æde ſacra exædificata, *in montem oliveti* educendam
fuiſſe. Quis eſt, quin manifeſtiſſimam inter Typum & An-
ti-Typum videat convenientiam? Nam & Chriſtus extra
portas civitatis paſſus eſt, *Hebr. XIII, 12*, & in monte oliveti
portionem poculi ſui non minimam ebibit. Quam rationem
veritati viciniorem eſſe, ipſe *Jo. Spencerus*, qui corruptus
alioquin harum rerum judex & arbiter ſedet, faſſus eſt inge-
Pag. 644 - nue, ac præ ſe tulit. *Meditatio ſexta* explanat *modum, quo*
688. *poſtremum in Lege pro peccatis ſacrificium ad mactationem*
688-728. *paratum*, & *ſeptima*, *qua ipſa mactatio peracta ſit*. Erat
mors, ut omnium victimarum, ſic hujus imprimis vitulæ, ſum-
711. mis exquiſitiſſimisque cum doloribus conjuncta. Non male
Cl. *Delauny* in Libro, hoc indice, *Revelation examined with
candour*, inſignito, judicat, Deum optimum maximum homi-
ni peccatis infecto tam horrendas victimarum mortes eo con-
ſilio ante oculos poſuiſſe, ut vim mortis, cui addictus erat
712. ipſe, hinc perſentiſceret. Verba viri ex *Bibliotheca Britan-
nica Tom. II Part. I pag. 190* excitat Summe Venerabilis ſa-
729-779. crorum noſtrorum Antiſtes. *Meditatio octava* monſtrat,
779-847. *quemadmodum ſanguis vaccæ rufæ ſpargi*; *nona* vero, *qua
ratione in ligno comburi, hæc debuerit.*

Reſtat, ut *Libri tertii*, qui *de Uſu poſtremi pro peccatis
ſacrificii in Lege* exponit, ſummam exhibeamus, quæ ſex in
848-895. ſe continet *Meditationes*. Harum *prima* docet, *quo pacto
prima per iſtud purgatio facta ſit*, præeunte divino Hiſto-
896-949. rico, *Num. XIX, 7, 8, 10.* *Altera* indicat, *quo modo cinis vac-
950-1008. cæ rufæ ad purgationem collectus fuerit.* *Tertia* rationem,
1008-1038. *qua ex eo cinere aqua adſperſionis parata ſit*, exponit. *Quar-
ta* ſiſtit *pollutos, qui hac ſparſionis aqua mundabantur.* In
1039-1073. *quinta* de *ipſa hac ſparſione, qua polluti mundati ſunt*, agi-
1073-1104. tur. At *ſexta* denique, quæ ultimum occupat locum, de-
clarat *mundationem, quam polluti per adſperſionem hujus lu-
ſtralis aquæ nacti ſunt.* Ubivis ratio typorum omnis, qua
fas eſt, accuratione evolvitur, tum vero & veritas Anti-Typica,
eaque majores, atque adeo omnes, perfectionis numeros te-
nens,

Digitized by Google

neſis, ex interioribus S. Theologiæ adytis excerpta, eleganti, perſpicua, ſignificante, acri, incitataque, proponitur oratione.

Re ipſa explanata, *tres* adjunguntur *Indices*. *Primus* omnes Meditationes ſub unum producit adſpectum, *alter* dicta Scripturæ Sacræ plurima, accuratius ac nervoſius expoſita, *tertius* tandem potiora rerum argumenta, in tabula veluti repræſentat. Dignus hic erat typus, in cujus natura enodanda Vir magnus laudabilem induſtriam collocaret, cum omnes ſancti & eruditi homines, quos ipſe in præmiſſa collaudavit Præfatione, plurimam ex eo ſpiritualem ceperint utilitatem. Nos in votis habemus, ut non ſolum iſtud, quod ibidem ipſe addit, votum valeat, verum ut etiam alii divinarum literarum interpretes, pari nempe judicandi facultate inſtructi, hoc tam illuſtri excitentur exemplo, quo arcanas, easdemque copioſiſſimas, Theologiæ Typicæ divitias, ad opes Theologiæ Anti-Typicæ Dogmaticæ, &, quæ hinc emanat, Practicæ, Paracleticæ, Homileticæque, adaugendas & locupletandas, diligenter ſtudioſeque venentur.

JO. GOTTL. HEINECCII, JCTI, S. R. M. Pruſſicæ Conſil. Intimi, & Juris ac Philoſophiæ in illuſtri Fridericiana Prof. Publ. Ordin. Hiſtoria Juris Civilis Romani ac Germanici, qua utriusque origo & uſus in Germania ex ipſis fontibus oſtenditur, commoda Auditoribus methodo adornata, multisque Obſervationibus haud vulgaribus paſſim illuſtrata.

Halæ, ſumtibus Jo. Erneſti Fritſchii, 1733, 8.
Alph. 1 pl. 11½.

Eſt illa præcipua noſtrorum temporum felicitas, ut elegantiſſimi Viri ingenii in Hiſtoriam Juris Romani & Germanici, & vitas legum Autorum, accurate ſtudioſeque inquirant, & nobiliſſimas clariſſimasque veritates ex mediis antiquitatis parietinis eruant, & ad communem utilitatem, in lucem,

Digitized by Google

conſpectumque, omnium proferant. Minus gratum hic eſt veteris barbariei patronis, qui illa ſtudia, ad nummos faciundos, & immanes divitias corradendas, parum accommodata, faſtidioſe reſpuunt, &, cum ultra gloſſarum ſterquilinium, & forenſis trituræ ſcriptores non ſapiant, ad ipſum elegantiorum literarum nomen, tanquam ad Meduſæ caput, vehementer cohorreſcunt. Quodſi enim apud illos de Præfectis Auguſtalibus, de Triumviris auro, argento, æri flando, feriundo, de SCto Liboniano, de Subceſiva, & aliis graviſſimis Juris Romani capitibus, diſputes, aut antiqui JCti nomen recites, mox te obtorto collo in jus rapient, & tecum læſæ famæ judicio experientur. Eo majorem illuſtrioremque laudem atque gloriam merentur Viri ſapientiſſimi, qui, ſpretis, magno atque generoſo animo, imperitæ plebis voculis, viæ, quam olim *Alciatus*, *Cujacius*, *Hottomannus*, *Briſſonius*, *Merillius*, & alii Jurisprudentiæ melioris lumina, ingreſſi ſunt, ſtrenue inſiſtunt, & ad decus literarum aſſerendum vindicandumque omnem ſuam operam, curam, ſtudium denique omne ſuum, conferunt. Inſignem inter illos locum obtinet *Heineccius*, immortalibus in Jurisprudentiam meritis illuſtris, qui, poſt tot elaboratiſſima maſculæ ſolidæque Jurisprudentiæ ſpecimina in vulgus emiſſa, nunc novo ſibi beneficio devincit Jurisprudentiæ cultores, & Hiſtoriam Juris cum iisdem communicat, vaſta rerum præſtantiſſimarum copia maxime commendabilem. Jucundum fore, ſperamus, Lectoribus noſtris, percipere, quibus rationibus inductus, ad ſcribendam Juris Hiſtoriam acceſſerit Cel. Autor. Placuit nimirum Pruſſorum Regi, ut, relicta Viadrina, in Fridericianam ſeſe conferret *Heineccius*. Paruit optimi Principis voluntati Noſter. Et, quamvis, migrationum jam diu pertæſus, conditiones ſplendidiſſimas a Regibus & Rebuspublicis potentiſſimis ſibi propoſitas, aliquoties repudiaſſet, nihilominus, ut morem gereret Principi, Halæ rerum fortunarumque ſuarum ſedem domiciliumque collocavit. Incidebat profectio ipſius in illud anni tempus, quo jam dudum publicarum privatarumque recitationum auſpicium Halæ factum fuerat. Noluit itaque vel turbare

cetero-

Digitized by Google

ceterorum Anteceſſorum ordinem, vel otio & ſilentio paucos, qui ſupererant, menſes tranſigere, ſed potius in animum induxit, Juris tum Romani, tum Germanici origines, progreſſum, viciſſitudinesque, enarrare. Ne vero deeſſet liber Auditoribus ſuis, qui frequentes convenerunt ad has acroaſes, potiora Juris Romani & Germanici capita in chartam conjecit, calamo, ſi ipſum audimus, tam feſtinante, ut ſæpe numero ſchedæ adhuc madidæ in officinam mittendæ eſſent. Gratulamur literis, gratulamur Jurisprudentiæ tam fortunatam ſalutaremque migrationem, quæ niſi fuiſſet, careremus forte adhuc tam locuplete rerum ſelectiſſimarum theſauro. Id enim vere atque ex animi ſententia ſcribimus, multa nova, ſingularia, & ab aliis vel nimis breviter pertractata, vel plane omiſſa, protuliſſe Cel. Autorem in hoc libro, & utiliſſimis Obſervationibus interſperſis præclare promeritum eſſe de humaniori Jurisprudentia. *Duobus Libris* complectitur fata atque hiſtoriam Juris.

Liber primus de origine & progreſſu Juris Romani agit, cujus *Cap. I originem & progreſſum Juris Romani ſub Regibus; Cap. II ſtatum Juris Romani ab exactis Regibus uſque ad Leges XII Tabularum; Cap. III progreſſum Juris Romani poſt XII Tabulas ad tempora Auguſti; Cap. IV ſtatum Juris Romani ab Auguſto Cæſare ad Conſtantinum Magnum, Imperatorem; Cap. V ſtatum Juris Romani ſub Chriſtianis Imperatoribus ad Juſtinianum,* & *Cap. VI compilationem Juris Juſtinianei, ejusque in Oriente & Occidente uſum & fata uſque ad noſtra tempora,* commemorat.

Liber II originem & progreſſum Juris Germanici pertractat. *Cap. I Jus Germanicum ante Caroli I Imperium; Cap. II progreſſum Juris Germanici a Caroli Magni temporibus ad Lotharium III, Imperatorem; Cap. III ſtatum Juris Germanici a Lothario, Imperatore, ad tempora, quibus in Germania Academiæ inſtitutæ ſunt,* denique *Cap. IV ſtatum Juris Germanici a conditis Academiis ad noſtra tempora,* exponit. Progredimur nunc ad ſpecimina quædam ex elucubratiſſimo hoc Opere proferenda. Fundamentum, ſi Ill. *Heineccium* ſequimur, juris edicendi genuinum apud Romanos non Pag. 58.

non imperium, ceu perperam tradidit *Sigonius*, ſed honor, fuit. Qui enim honoribus Romæ fungebantur, iidem edicta reddere poterant. Honoribus autem non modo fungebantur magiſtratus, nec hi ſoli Romanis dicti honorati, vel honoribus uſi, ſed & Sacerdotes. Unde hi æque edicebant, ac illi. Nec alia eſt ratio, cur Jus ex Magiſtratuum Edictis
Pag. 61. deſcendens dictum fuerit Honorarium. Fraudem & aſtutiam Prætorum ex vero notat, qua Jus Civile indirecte everterunt. Vel enim novis excogitatis vocabulis leges eluſerunt, vel actiones civiles, datis exceptionibus, reſtitutionibusque in integrum, inanes reddiderunt, vel fictionibus variis Jus plane in
63. aliam formam commutaverunt. Dicam hic ſcribit *Cortii* Vindiciis Prætoris, & Juris Honorarii, *Virum*que *illum doctum, effuſa omni bile, magno conatu maximas nugas egiſſe,*
107. contendit. Reſtituit idem Ill. Autor *C. Martii Figuli* memoriam, qui circa annum U. C. 620 Juriſprudentiæ Civilis ſtudio celeberrimus fuit. Sed illius pœnituit ipſum. Cum enim Conſulatum petens repulſam tuliſſet, adeo commovebatur ira, ut illos, qui poſtero die ad conſulendum eum venerant, hoc gravi dicto dimitteret: *At vos conſulere ſcitis, conſulem facere neſcitis.* Ex *Seneca* docet, olim JCtorum diſcipu-
131. los Auditorum quaſi uſitato ſolennique nomine fuiſſe nuncupatos, mox vero illo vocabulo quoscunque deſignatos fuiſ-
185. ſe diſcipulos. Anxie diſquirunt Viri docti, cur SCtum Trebellianicum, *L. Annæo Seneca* & *Trebellio Maximo* Coſſ. conditum, non *Annæanum*, ſed *Trebellianicum*, dictum ſit, cum tamen major Conſul fuerit *Seneca*. *Theodorus Marcilius* in ea opinione verſatur, initio dictum eſſe SCtum Annæanum, verum poſt damnatam *Senecæ* memoriam amiſiſſe illud priſtinum nomen. At, non opus eſſe hac conjectura, opinatur Ill. *Heineccius*. Non enim SCta ſemper a Conſule majore dicta ſunt,
234. ſed ab eo, qui ad Senatum referebat. *Adriano*, Imperatori, beneficium diviſionis inter fidejuſſores vindicat, & contra *Cujacium*, qui illud beneficium *Antonino Pio* tribuit, diſputat. Neque enim id ex *l. 49 §. 1 de Fidejuſſ.* colligi poſſe, cenſet, in qua *Antoninus Pius* hoc jus non conſtituit, ſed tantum ad

certum

Digitized by Google

certum caſum applicat. Ex Noſtri ſententia, novum Prætorem Minorum creavit *Conſtantinus Magnus*, qui hoc unum ageret, ut, cauſa cognita, res minorum vendi poſſe, vel non poſſe, decerneret, cujus decretum etiam neceſſarium erat, ſi propter fiſcalia debita vel pupilli, vel minoris, res aliqua diſtrahenda ſit. Juvat conjecturam ipſius *lex ult. C. de Præd. & al. reb. min.* quam opportune in partes ſuas vocat. Contra Ill. *Brunquellum*, nuper defunctum, ſed tunc adhuc in vivis conſtitutum, probat, *Ethilbertum*, Anglorum Regem, non recepiſſe Romanas leges, quarum tunc nullum in Anglia veſtigium erat, ſed primum proprias leges tuliſſe Anglis, ea quidem cura ſolicitudineque, ut, Romanorum exemplo, Viris ſapientiſſimis hoc negotium demandaverit. Memoratu digniſſima eſt charta Monaſterii Honaugienſis, quam ex *Mabillonio* adducit Ill. *Heineccius*, in qua *Carolus*, Rex Francorum, profitetur, res peregrinorum ſecundum legem Francorum proprias eſſe Regis, ab eoque jure eximit Scotos. Quod eſt ipſum illud decantatiſſimum Jus Albinagii, cujus alioquin vix veſtigium in legibus Francicis reperies.

Pag. 292. 371, 372. 388.

REPRESENTATION DE QUELQUES MILLIERS d'arbres, arbriſſeaux, &c.

h. e.

JOANNIS FRIDERICI WEINMANNI Iconographia aliquot millium quadripartiti orbis arborum, fruticum, herbarum, florum, fructuum, fungorum, &c. coloribus ad vivum illuſtrata, & Iconibus, æri artificioſe inciſis, expreſſa, arte hactenus ignota; cum plurium linguarum Indice, quo omnium plantarum genera, characteres, deſcriptiones, & uſus, ex Celeberrimorum Phyſicorum obſervatis, breviter exponuntur, & probatiſſimi quique Autores allegantur: Sumtibus celebrium uniuscujusque in ſua arte BARTHOLOMÆI SEULERI & JOANNIS RIDINGERI.

Ratiſponæ, typis Hieronymi Lenzii, 1735, fol. Plag. 10, cum Tabb. æn. 51.

Alter hic eſt, quem jam ſiſtunt Editores, plantarum ad vivum pictarum miſſus, fronte Libri tantiſper immutato. Nam Index Phytanthozaiconographicus in Germanicum, quem compendii gratia hic omiſimus, Gallicumque degeneravit titulum. Continuatur Alphabeticus ordo, habenturque Alſinarum, Althearum, Amaranthorum, aliarumque, quarum nomen ab *A* orditur, plantarum variæ ſpecies oppido raræ. Si nova non eſt, perutilis tamen exiſtit, concretorum naturalium ſuperficies ſuis coloribus exhibendi peritia, cujus primos conatus debemus Anglis, prout jam antea monuimus. Dies diem docet, & cum oblectamento comperimus, pictorem hinc inde rerum naturæ convenientius depingendarum ſtudioſiorem fuiſſe, quem plura ſuo tempore præſtiturum confidimus. Plurimum intereſt, ut Iconographus, plantæ vivas imagines exhibiturus, ad ſuperſtitionem usque minutiarum circa florem, calycem, ſtamina, piſtillum, fructum, arillorum numerum, modum creſcendi, ſtudioſus evadat; quod ſi fecerit, habiturus eſt, de quo ſibi gratulari, & expertorum in arte applauſus promereri poſſit. Obſcuræ figuræ nullæ ſunt, quæ nitidis etiam exprimantur coloribus. Satisfecit ſane omnium expectationi artificis penicillum, quod inter Alſines, alias quatuor petalis, quas tetrapetalas vocat *Moriſonus*, exhibere, alias quinque petalis inſtructas, delineare voluerit, &, quamvis levius eſſe parorama videatur, Anagallides quasdam quatuor petalis in flore, cum quinque ſint conſtanter, alias quinque, cum quatuor eſſe deberent, depinxiſſe, illas puta, quæ Veronicarum aquaticarum ſpecies ſunt, ſplendidi tamen Operis dignitas omnino poſtulat, ne quid eorum intermittatur, quæ ad ſcientiam ullo modo pertinere poterant. Fructuum conſideratio ſolerter inſtituta inſigne decus conciliatura eſſet Operi. Sufficit enim ſpatium in regia pagina apponendis ſingulæ plantæ ſeminibus ſuis, quo facto quilibet intelligeret generum diverſitates, & nominum imponendorum rationem. Quodſi tamen ex Herbario Sicco Icones

Digitized by Google

nes deſumtæ ſunt, nec a vivis captæ herbis, condonandum id eſt induſtriis artificibus, maxime quod exoticas herbas attinet. Cum antiquitate loquitur Cel. Autor, noluitque recentiorum agnoſcere onomatopœias. Inde amaranthus globoſus, Amaranthoides eſſe, prout inter recentiores audit, recuſat. Blitum etiam & baccifera iſta barbadenſis tinctoria circeæ foliis cum Amaranthis unum idemque eſt. Quo in negotio abundabit quilibet ingenio ſuo; nam methodum liberam eſſe ajunt. Expectamus reliqua, nec diffitemur, in Bibliothecarum ornamentum & rei herbariæ utilitatem ceſſuros conatus hoſce, quibus, magno animo ſuſceptis, felices ſucceſſus apprecamur.

ANNOTAZIONI ALLA CARTA DEL SISTEma Solare, &c.

h. e.

ANNOTATIONES AD TABULAM SYSTEmatis Solaris WHISTONIANAM, dedicatæ Excellentiſſimo Domino MATTH. JOANNI, S.R.I. Comiti DE SCHULEMBURG, Supremo Duci copiarum Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, &c. cum variis Additamentis, ad idem argumentum ſpectantibus.

Venetiis, apud Angelum Paſinelli, 1735, 4.

Plag. $5\frac{1}{2}$, cum Tabula magna æn.

Quod *Guil. Whiſtonus*, ſecundum *Newtoni* & *Halleji* demonſtrata, Londini nuper exhibuit Schema Syſtematis Solaris, cum Planetarum & Cometarum eo pertinentium orbitis, id Venetiis denuo æri inciſum, additoque libello, varias Annotationes complectente, editum eſt. Sub Dedicatione nomen *Petri Viduæ*, ſub Præfatiuncula vero hæ literæ ſubſcriptæ exſtant: *D. G. B. P.-C. R. S.* In Schemate ipſo, cujus diameter duo pedes ſuperat, orbitæ Planetarum & Cometarum juſta proportione, ſed alteræ forma circulari concentrica, alteræ parabolica, exhibentur. Circulorum majorum

jorum peripheriis adſcripta ſunt, quantum ratio ſpatii permiſit, tempora, quibus Planetæ, tum circa ſolem, tum circa propria centra, revolvuntur, diſtantiæ mediæ a centro Solis, diametri, maſſæ, aphelia & perihelia, denique quantitas lucis & caloris, quam Planetæ a Sole accipiunt. Circa parabolas Cometarum ſimilia fere annotata exſtant. Atque, ut exemplo Cometæ, qui A. 1680 comparuit, rem illuſtremus, hæc ſunt, quæ de eo memorantur: Die 8 Dec. ſub meridiem, Cometam iſtum fuiſſe in perihelio ſuo, remotum a centro Solis ſpatio 496000 milliarium Anglicanorum: ejus calorem tunc temporis circiter bis millies ſuperaſſe calorem ferri candentis: longitudinem caudæ, poſt perihelium, fuiſſe 80. 000. 000 milliarium: periodum abſolvi annis 575: maximam a Sole diſtantiam eſſe circiter 11200. 000. 000 milliarium: hanc ad diſtantiam minimam ſe quam proxime habere, ut 20000 ad 1: ideoque lumen & calorem maximum ad minimum ſe habere, ut 400. 000. 000 ad 1: nodum adſcendentem eſſe in ♈. 8°. 22′: inclinationem orbitæ ad Eclipticam 60°. 56′: denique motum directum. Deſcripſit *Hallejus* Cometas quatuor & viginti. Sed, cum horum tres pro uno & eodem, rurſusque duos alios pro uno habeat, hinc non plures quam una & viginti orbitæ Cometarum parabolicæ in Schemate ſunt expreſſæ. Et, quoniam ipſa corpora Planetarum, orbitasque ſatellitum, juſta proportione exhibere non licuit, iſtas res, cum facie & phaſibus Lunæ, orbitarumque Cometicarum forma elliptica, locis opportunis, ac potiſſimum in quatuor extremis tabulæ angulis, ſeparatim ante oculos poſuerunt Autores Itali. Iidemque, quod in Schemate commemorare anguſtia ſpatii non permiſit, cum de Cometis, tum de Planetis, horumque ſatellitibus, & Saturni annulo, ipſoque ſole, in adjuncto libello, cujus jam mentionem fecimus, diligenter & ſuccincte perſecuti ſunt. His adjecerunt Quæſtionem undecimam ex Optica *Newtoniana*, itemque aliquot Capita ex Diſcurſu Cel. *de Maupertuis*, de variis figuris aſtrorum, & poſtremo etiam nonnulla ex *Whiſtoni* libro, quem inſcripſit Theoriam telluris. Cum multa hoc

pacto

Digitized by Google

pacto præclara, ſcitu digna, & minime vulgaria, in eleganti compendio ſiſtantur, dubium profecto non eſt, quin ſumtus labor cultoribus Uranies perquam gratus ſit futurus.

JO. SIMONIS, GYMNAS. ILLUSTRIS REG. Hal. Sub-Rectoris, & Alumnorum Inſpectoris, Arcanum formarum nominum Hebrææ Linguæ, ſive de Significatione formali, Tractatus Philologicus, quo nominum Hebrææ Linguæ ſignificationes ex ipſorum formis eruuntur & illuſtrantur, Sacroque Veteris Teſtamenti Textui, atque adeo univerſæ Linguæ originali, nova lux accenditur. Pars prior, de Nominibus nudis.

Halæ Magdeburgicæ, impenſis Orphanotrophei, 1735, 4.
Alph. 2 pl. 11½.

Autorem Clariſſimum ad operam & utiliſſimam, & ab eruditis dudum exoptatam, animum appuliſſe, nemo unus ambigit. Formæ enim nominum Hebraicorum nequaquam ſunt otioſæ, ſed majus quid involvunt, licet id, in quo cardo rei vertitur, a nemine ſit huc uſque ſatis explicatum aut pertractatum. Agnoverunt hoc ipſum ſummi rei Hebræorum literariæ ſtatores, *Jacobus Guſſetius*, *Val. Ern. Læſcherus*, Antiſtes rei ſacræ apud Dreſdenſes Celeberrimus, *Caſpar Neumannus*, Vir vere novus in exponendis Hebræorum literis, *Jacobus Rhenferdius*, *Albertus Schultens*, feliciſſimus Linguæ Hebraicæ ex Arabica inſtaurator, aliique. Prodit in præſens inſtituti ſola *Pars prior*, de Nominibus, quæ nuda vocari ſolent. *Pars altera*, cujus editionem merito expetimus, aget de Nominibus auctis, quæ indaginis ſunt altioris. Totum Opus diſpeſcitur in Tractationem de Nominibus vel nudis, vel auctis. *Nuda* ſunt triplicis indolis, vel *levia*, vel *geminata*, vel *gravia*, ſeu *dageſſata*. *Levia* rurſus ſunt vel *acuta*, deſinentia

Digitized by Google

in quinque Vocales longas, de quibus, poſt *Sectionem primam* præliminarem, diſſeritur in *Sectione ſecunda*: vel *penacuta*, ut *Segolata Sect. IV*, quibus reſpondent imperfecta illa, de quibus peculiaris procurrit tractatio in *Sect. V*. De *geminatis* tractatio inſtituitur *Sectione tertia*: de *gravibus Sectione ſexta*. *Aucta* ab initio recenſentur *Sectione ſeptima*, a fine *Sectione octava*. Accedit hiſce Appendix, ſeu *Sectio nona*, continens Participia *Benonim*, nominaliter uſurpata, nomina animalium, peregrina item, & compoſita. Hæc eſt ſumma Operis & argumentum. Si uſum hujus laboris expendimus, nos tenere haud poſſumus, quin Autoris inſtitutum apprime pulchrum prædicemus. Nam apparet ita, quæ Nominum ab eadem Radice ſub diverſis formis
Pag. 25 ſeq. derivatorum ſit differentia. Nonne *ſcriptio* & *ſcriptura* differunt ob diverſam formam derivationis? Singulares vocum emphaſes ſæpe involutæ ſunt diverſis ejusmodi formis. Vocabulis difficilioribus & controverſis maxima ſic ſubinde lux accenditur. Porro veræ vocum etymologiæ detegi & dijudicari ex hoc inſtituto poſſunt. Tum nomina formæ dubiæ, maxime imperfecta, claſſibus ſuis tutius queunt adſociari. Et quis ignorat, cognitionem formarum hujusmodi valere inſigni uſu in lectione, punctis experte? Ex ſignificatione formali præterea judicium poteſt nonnunquam ferri de *variantibus lectionibus*, e.g. *Devt. XXIII, 2*, non legendum eſt דַּכָּא ſed דַּכָּה. Nec id eſt omittendum, propriam nominum propriorum ſignificationem ex ipſorum forma accuratius definiri poſſe. Ita עֵשָׂו notat *piloſum ex toto*, ex Arabico عَثَا *fuit crinibus prolixis*. Hæc doctrina magnum memoriæ fert ſubſidium, monente id jam *Rhenferdio*. Tandem hac ratione haud parum γνησιότης & ἀκρίβεια Punctorum ſtabilitur. Univerſæ denique rei Gram-
6, 7. maticæ in multis magna lux affunditur. Hypotheſis *Neumanniana* hic non reponitur, ab his laudata, culpata ab illis. *Forma Nominum* hic denotat certam literarum & punctorum conſtitutionem. Dari ejusmodi ſignificationem nomi-
8. num formalem, Autor Cl. comprobat 1) ex inductione ſingulo-

Digitized by Google

gulorum exemplorum Biblicorum; 2) ex conſenſu Eruditorum; 3) ex analogia ceterarum linguarum; 4) ex natura
ra ſermonis humani. Forma illa elicitur hoc modo: 1) Sin- Pag. 10.
gula ejusdem formæ exempla Biblica colliguntur, & ſecundum verborum ſuorum ſignificationes in certas claſſes digeruntur; 2) notiora ſeliguntur; 3) diſquiritur, quam ſignificationem generalem notiora illa habeant communem? 4) Generalis illa ſignificatio applicatur tum ſingulis exemplis ignotioribus. At Nomina animalium, & Numeralia cardinalia formarum ſaltem ſimpliciorum, ſignificationem illam, reliquis Nominibus communem, plane reſpuunt, arguentia, primam linguæ Hebrææ faciem fuiſſe paulo aliam ac eam, quæ hodieque in Codi-
ce Sacro apparet. Quod cum Autor ſtatuit, addit, *Nomina animalium*, ab ipſo *Adamo* ſolenni ritu impoſita *Gen. II, 19, 20*, nihilo ſecius a poſteris eſſe conſervata tanquam nomina 11.
propria, quæ ideo ab aliis nominibus recentioris uſus tanto- 12.
pere differant. Verba intranſitiva quadripartitur in verba 20.
1) *actionis intranſitiva*, 2) *paſſionis*, 3) *qualitatis*, & 4) *ſtatus*. Nomen צַלְמָוֶת, quod Autor pro compoſito habet, eſt ſimplex heemanticum, ſi Arabicam linguam in ſubſidium
vocamus. Formæ nudæ leves, prima radicali kametzatæ, 30.
exprimere a Noſtro exiſtimantur objectum actionis per verba tranſitiva, ſubjectum ſeu concretum a verbis intranſitivis. Formæ nudæ leves, prima radicali ſchevatæ, notant eidem *proprie* abſtractum, id eſt, ipſam actionem, paſſionem, qualitatem, ſtatum, *metonymice*, 1) ſi verbum ſit tranſitivum, *objectum actionis*; 2) ſi verbum ſit intranſitivum, concretum ſeu ſubjectum actionis, paſſionis, qualitatis, ſtatus; 3) medium actionis & paſſionis. Secus tamen ex parte ſeſe habet forma מַקֵּר, de qua in *Sect. I Cap. VI* ſpecialius agitur. Dabimus nonnulla Lexicographis examinanda. Autor Cl. יָרֵחַ *lunam* deducit ex ورخ *maduit*, quia luna humoribus
præeſſe ſemper fuit exiſtimata. עָצֶה cum *Bochart*o per 43.
os *coccygis* transfert. זְכוּכִית *Job. XXVIII, 17*, fuit indubie 46.
lapis ſpecularis, vitri vice adhibitus a primis mortalium, un-

Digitized by Google

de etiam priſci ὕαλον eum in lamellas ſplendentes attenuatum dixerunt. Indubie פּוּךְ idem eſt lapis; nam in pulverem comminutus ſtibium ac fucum efficit, in lamellas debite diviſus loco feneſtrarum inſervit, lucemque transmittit.
Pag. 390. יֵמִם Gen. XXXVI, 24, ſunt, judice Noſtro, *aquæ calidæ.* Remittimus Lectorem ad Librum ipſum, ſitim facile reſtincturum, gratulantes Autori de labore difficili tam feliciter ſuperato, & exſpectantes avide, quæ reſtat, laboris utiliſſimi *Partem poſteriorem.*

EMAN. SWEDENBORGII, SACRÆ Regiæ Majeſtatis Suecicæ Collegii Metallici Aſſeſſoris, Prodromus Philoſophiæ ratiocinantis de Infinito & Cauſa finali Creationis: deque Mechaniſmo operationis animæ & corporis.

Dreſdæ & Lipſiæ, ſumtibus Friderici Hekelii, 1734. 8.
Plag. 17.

Inſcriptus eſt liber Viro Venerabili, *Erico Benzelio*, Gothiæ Orientalis Epiſcopo, Affini Autoris Præclariſſimi, venerantis in Affine merita, beneficia, & nexum. In Præfatione objectioni eorum occurritur, qui Metaphyſica conſulta horrent obtentu ſtili duriuſculi. Finis rationis humanæ collocatur in ſenſione eorum, quæ revelata ſunt & creata: adminiculum noſcendi colendique Deum itidem eadem ponitur ratio. Unde colligitur, myſteria revelata haud contrariari
15. humanæ rationi, in ſeſe conſideratæ. Hinc ad rem ipſam cur-
17. riculum convertitur. Infiniti reſpectus perhibetur eſſe nullus, ratione finiti. Quantitatem infinite parvam dari, nega-
20. tur. Quæritur, num infinitum ſit purum & ſimplex? æternum? *Infinitudo temporis* ab Autore habetur pro æternitate. De rebus creatis hæc æternitatis ſpecies ſolet affirmari; de Deo nequaquam. Infinitum ſcilicet vel idea negante, vel notione affirmante, continetur. Metaphyſica ac affirmans no-

tio dictitat, infinitum id eſſe, quod perfectionibus ſingulis poſſibilibus præditum exiſtit. Autor *infinitum* id vocat, quod a cauſa ulla finiri haud poteſt, ſed in cauſa ſui eſt. Evincit porro e penu rationis, exiſtere ejusmodi Infinitum, idque eſſe Deum, tum a priori, tum a poſteriori. Cauſa mali a finito, ejusque limitibus, derivanda; non ab infinito. Notio infiniti illuſtratur ex theoria de minimis & maximis rebus, in mundo obviis. Medulla oblongata dicitur eſſe fons omnium ſenſionum & ſenſuum, tam ſubtiliorum, quam craſſiorum. Tendunt omnes humani corporis, imo mundi, partes ad finem ſuum communem, quem non niſi intellectus infinitus cognoſcere & inſtituere valet. Subſtantia infinita dicitur eſſe aliquid, quod intelligere non potes, quid aut quale ſit; agnoſcere tamen debes. Tandem additur, tacite animas humanas in eo conſentire, quod exiſtat Deus, isque infinitus. Philoſophi, quibus natura eſt idolum, vires finitas ac determinatas confundunt cum infinitis & inſuperabilibus, atque præterea putant, a Deo ſemper exſpectari eventum, antequam is decernat modum directionis ac gubernationis. Statuunt ſcilicet Philoſophi hujus commatis aliquid imperfecti & finiti in Infinito, & labuntur in fontem Anthropomorphiſmi, unde idololatria emanavit, & Hylotheiſmus *Ariſtotelis* ac aliorum. Ex calculo infiniteſimali oſtenditur, infinitum Algebraicum ſimilitudine quadam gaudere cum finito; ſed infinitum Metaphyſicum haud æque: illud comparative eſſe nihil; hoc non item. Oſtenditur deinceps, dari in mundo nexum, & ex cauſa creationis finali elucere infinitudinem Creatoris. Effectum ultimum fuiſſe quidem ruptum peccatis hominum, reparatum vero eſſe per Filium Dei unigenitum. Si quid monere licet, incauti hæc ita accipient, quaſi ſinguli homines ſint per Chriſtum beandi, eo quod ipſi in ſtatu perfectionis ſigillatim fuiſſent beati. Alii objicient, ignaros Meſſiæ ſic quoque beatum iri. Prævidet Autor telum, & ita *pag. 147 ſeq.* ſolvit objectionem: *Qui fidem in Infinitum habet, non excludit a fide unigenitum; non diſtinguit, quia diſtinguere non poteſt, — — unde, ſi ſimpliciter includunt omne illud, quod in-*

Pag. 34. 40. 61. 78 ſeq. 82. 85. 87. 90. 98. 101. 115 ſeq. 144 ſeq.

finitum eſt in Deo, & pariter illa, quæ neſciunt, & quia in ipſa fide eſt divinum quid, non poteſt in illa ſeparari unum infinitum ab altero. Affirmat idem Autor, ab inanimatis coli Deum, quatenus hæc tendant ad finem creationis in ultimo effectu obtinendum. Animam humanam eſſe finitam, re-
Pag. [illegible]
106 ſeq. gulisque adſtrictam, ſolide oſtenditur. Gradus ſpiritualium perfectionum in ſubſtantiis finitis omnino ſunt æſtimabiles,
16 & per corpora exſerunt effectus, mechanice determinatos.
170. Inde Autor Ampliſſimus colligit, regulas, quibus ſpiritus finiti ſunt obnoxii, eſſe mechanicas. Docet idem, finitum cogitari non poſſe, niſi tanquam extenſum. Si de partibus gradibusque intra partes dynamicas ſit ſermo, facile id largientur
180 ſeq. omnes. Animam, addit idem, haud eſſe pure ſimplicem, ſiquidem mera ſimplicitas ſit ſolius Dei propria. Docet is porro, animam regulis mechanicis & geometricis eſſe ſubjectam, nihilo tamen minus immortalem, ſed *per Dei* (*)
191 ſeq. *gratiam.* Addimus, gratiam Dei ad impiorum animas haud ſpectare, adeoque has ex hac ſententia fore mortales. Sed pergit contenditque Autor, naturaliter impoſſibile eſſe, ut anima moriatur. Id ipſe probat exinde, quod anima perpetuo cauſæ finalis, quam Deus per orbem obtinere voluit, ſit parti-
201. ceps. Quod vero *animam* vocat *ſubtiliſſimam corporis noſtri partem pag. 202*, id nonnullis videbitur duriuſculum.
211. Contendit idem porro, inter finita nullum exiſtere nexum ſine contiguo naturali, nullamque mutationem limitum &
232. ſtatus cogitari poſſe citra motum, elementa operari in ſubſtantias animales, in homine quidem per membranulas, capaces regularum geometricarum. Additur, *animam eſſe centrum motuum ſubtiliſſimorum, per tremorem* (**) *quendam con-*

(*) Eadem fuit ſententia D. *Andreæ Rudigeri*, quem Autor haud raro ſequitur.

(**) Ni fallimur, cogitationes hoc pacto ſunt effectus virium motricium, nervis, eorumque fibrillis, inſitarum: quo poſito dogmate, materia cogitare poteſt, ac corpora ad ratiocinandum ſunt apta; ita anima eſt ſubſtantia compoſita, ac naturaliter diſſolvitur atque interit, quicquid in ſpeciem obmovetur, vel a cauſa

contiguum agentium. Sedem animæ collocat *in loco, ubi ſe-ſe attenuant membranæ magis magisque intra cerebrum.* Pag. 257 ſeq.
Animas brutorum eſſe elementares, non conſtantes *activis*, quæ conſtituant rationis actualitatem. *Vita* collocatur in 266.
præparatione animæ ad ſtatum ſemper vivum poſt mortem corporis ſui. Tandem adjungitur encomium Philoſophi 268.
Chriſtiani, ſi is ex utroque lumine animam reddat feliciorem. Defuncti ſumus officio recenſentis, haud arbitrantis, permittentes Lectori accuratius judicium, ac Autori de hoc ſpecimine gratulantes, exſpectaturi plura ex limatiſſima ejus mente, & ad ſtudia erectiora habitudine admodum præſtanti. Laudamus conatum explicaturi commercium animæ cum corpore per *influxum phyſicum*, optantes, ut Autor literas amœbeas Virorum præſtantiſſimorum, *Bulfingeri* & *Hollmanni*, conſulere haud dedignetur.

cauſa creationis finali arceſſitur. *Influxioniſtæ* hic habent conſecutiones luculentas, quas ob principium *unionis phyſicæ* admittere coguntur. Confer tamen *Humphredi Dittoni* Appendicem ad *Veritatem religionis Chriſtianæ ex reſurrectione Jeſu Chriſti.*

RESPONSIO AD CLARISSIMI CYRILLI, Operum Ettmullerianorum Editoris, Querelas, quæ habentur in Bibliothecæ Italicæ, ſeu Hiſtoriæ Literariæ Italiæ, quam Genevenſes edunt, Tomo XIIX pag. 86 ſeq.

Mirantur Bibliothecæ Italicæ Collectores, qui fiat, ut tranſmiſſam nobis aliquot abhinc annis Schedulam Cl. *Cyrilli*, nova venena contra *Ettmulleri* caram nobis memoriam, ejusque Filium, paternæ famæ vindicem, effutientis, *Actis* noſtris inſerere dubitaverimus. Mirari deſinent, ubi cognoverint, quam aliena a noſtro inſtituto ſint rixarum & altercationum lenocinia. Vix ſeriis, omni ex parte advectis, noſtramque cenſuram non renuentibus, pagina ſufficit; tanta rerum copia diſtrahimur, ut juſtiorem *Cyrillo* nos in jus vocandi cauſam habeant plures alii, quorum doctiſſima ſcripta a nobis attingi haud potuerunt,

&

& quorum laudi minutulas quiſquiliarum diſcuſſiones præferre, iniquum creditum fuit hactenus, nec privata iſthæc, quam neglectam a nobis conqueritur, pacis turba publicas vindicias, donec typis expreſſa compareret, mereri videbatur. Prodiit illa denique publica autoritate munita, qua obtinuit a nobis, ne imputatum juſtitiæ denegatæ crimen diluendum avertendumque differremus diutius. Fruſtra expectat a nobis convicia & indignas bonis viris deblaterationes, quibus ille unus noſtram Societatem aggredi auſus eſt, quæ, ſi contemtu imbecillis inimici, & ſera, eademque breviſſima, reſponſione famam ſuam contra frivolas obtrectationes ſalvam eſſe cupit, vituperanda non eſt; metus ſane, ne ſupplex a Cl. *Cyrillo* venia petenda eſſet, eandem a reſpondendo non detinuit. Repetamur, quæ a nobis (nam mortui nunc Filii pro patre peroratam cauſam noſtram facimus,) in *Actis Anni 1731 Menſ. Maji pag. 229 ſeq.* durius dicta eſſe perhibentur. Laudibus extulimus Cl. *Cyrillum*, iisdemque plurimis digniſſimum, qua parte commentator, nullis, qua obtrectator, adhuc pronuntiamus; ſi, quas meruit, pro ſuſpectis habet, noſtra id culpa, qui privato adulati nunquam ſumus, neque magnum, ſi feciſſemus, exinde lucrum habituri eramus, factum non fuit. Alleget nobis, ſi bonus eſt, unicum ſuſpectum ruſticitatis verbum, quorum integræ ſeries in ejus libello habentur contra Autorem, qui noſtri pars erat, eructatæ; quodſi, controverſias excuſſiſſe, prout nos ſine bile occaſione Plantaginis æquaticæ & Loti fecimus, injuria eſt, ne ille primus in diſciplinis verbalibus, qualis eſt onomatologia plantarum, ad Pontificatum adſpiravit. Et quid denique perpetratum fuit a nobis? Diximus: Plantago aquatica non eſt Ranunculus; nam conſtantem trium petalorum numerum ſervat, cum Ranunculi ſit, habere quinque, cum, ſi qui conſtanter polypetali ſunt ranunculi, Nemoroſæ dicantur, non nobis tantum, ſed & aliis magnæ autoritatis Viris, ipſisque per Italiam Botanicis. Teſtis nobis ſit Eruditiſſ. *Hieron. Zanichelli*, qui Littorum maris Adratici nuper *Tournefortiana* methodo Hiſtoriam condidit, Operis ſplendidiſſimi titulo, qui de Ranunculis agit, ubi diſertis verbis hæc leguntur: *Il Ranonculo produce Fiori a roſetta cio e di cinque petali.* *Cyrillus* autoritate

Tour-

Tournefortii nititur, nos rationibus, numeri ſcilicet petalorum utrinque diverſi, ad ſenſum, ſuffulcimur; ſuffraganeos habemus ipſos ex ſchola *Tournefortii* diſcipulos, *Vaillantium*, *Julium Pontederam*, & omnes fere per Galliam Botanicos, qui roſaceos flores averſantur, numerare, quam temere credere, malentes. Sit ita, erraſſemus, cur eadem, qua nos objecimus, modeſtia non regerit? cur latrat, cum diſputandum eſſet? Profitemur, alio nomine homonymiam Erucæ non objectam fuiſſe, quam ut edoceremus Lectorem, male omiſſa eſſe editionis eſſentialia, quando ſpatium dictionaria exſcribendi non defuit. Ecce *Lotum*, quam diximus contra *Tournefortianam* methodum a foliis definitam fuiſſe. Si enim foliola ad alas *Lotum* efficiunt; & *Lathyrus Lotus* erit. Quid monſtri hæc ſententia alit? cur immerentem mordet *Auguſtum Quirinum Rivinum*, ut dicere ſuſcipiat, mille *Rivinos* unico *Tournefortio* non æquiparandos? quis hanc ex eo confeſſionem extorſit? & quid denique ad rem facit? Scriptum erat a nobis: *Lotus* odorata non debebat in Melilotum mutari; non deſunt noſtris, cur Lotus ſit, rationes. Pro Germano *Ettmullero* Germanum *Rivinum*, cum noſtras doctrinas exterorum calculo emetiri nolimus, fortuito caſu allegavimus. Ecce indignantem *Cyrillum*, quod, quem ille nunquam forte viderat, cum per Italiam famigeratiſſimus ſuo tempore exſtiterit, *Rivinum* noſtrum, ſplendido Opere editum, pro noſtra cauſa allegavimus, &, ut ſtrenue cœcutiret, autoritatemque non mediocrem iſtius Viri, quam *Rajus*, *Hermannus*, *Plumierius*, aliique quamplures, eo tempore agnoverunt, ſubleſtam redderet, civem ſuum *Fallugium* immerenter lacerat. Magno beneficio cupit ſibi obſtrictam eſſe *Ettmulleri* famam, quam infamem reddere haud ſemel allaboraverat, non tantum nulla incuſatorum criminum allata excuſatione, ſed & addita nova, erudito prorſus indigna, obtrectatione: *En ſorte qu'on ne peut point decider, lequel des deux, du Medecine ou de la maladie, etoit le plus redoutable a ces pauvres malades.* Qui, ſemel verecundiæ fines transgreſſus eſt, ait *Cicero*, eum oportet bene & gnaviter eſſe impudentem. En Hecatomba dignam concluſionem: *Ettmullerus* copioſum remediorum catalogum exhibet, ergo omnibus eodem tempore remediis uſus fuit, &

Digitized by Google

iiſdem ægros enecuit. Puer, tympanitide laborans, paralyſi inſimul inteſtinorum affectus, quæ excitantia & acria remedia poſtulabat, impune tulit draſtica vomitoria & purgantia; iiſdem convaluit, natura rei id exigente. Ergo *Ettmullerus* eundem ad orci fauces deduxit. Edocendus nobis eſt *Cyrillus*, penes nos remediorum doſes pro individuorum habitudine aliquando duplo triploque augeri, quis eundem corporum noſtrorum arbitrum fecit? Novimus, Orientales gentes opio magna in copia uti, & exinde ſalutem indipiſci; declamet *Cyrillus* contra eas, & in orci faucibus hærentes pronuntiet. Plura monere potuiſſet Filius, miratique ſumus ejus modeſtiam, ob quam mitius Doctiſſ. *Cyrillo* habendus erat. Non leve momentum fuit Epiſtola ad *Schrœckium* mutilata, optimarum rerum prava interpretatio, meliorum doctrinarum, quæ expectabantur in *quinque Voluminum* Opere, quamvis in Francofurtana *duorum Voluminum* editione non exſtent, omiſſio. Et, ſi dicendum, quod res eſt, *Cyrillus* per Italiam divenditur, non *Ettmullerus*, nec invidemus gloriam. Quodſi enim Francofurtana & Lugdunenſis Neapoli a vermibus exeditur, *Cyrilliana* apud nos vilipendet, quam eleganti charta emineat, & quam aurea crux ſit, in quam ſuſtulit immerentem civem noſtrum, cui obſcuritatem, temeritatem, inconſtantiam, ſemel imputaſſe, omnium encomiorum beneficia invidioſa reddidit. Probe ſcimus, commendatione noſtra non indigere librum, ſed ſcire etiam, & ex ſilentio noſtro judicare, debebat Cl. *Cyrillus*, cauſam noſtram nos nunquam deferturos fuiſſe. Minæ, quæ adjiciuntur, parum nos movent; habuit hac vice nos reſpondentes, poſthac, quicquid machinarum contra nos urſerit, nunquam habiturus.

INDEX AUTORUM,
quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine recenſentur.

I. Libri

Digitized by Google

I. Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.

Anonymi *Reſutatio Cenſoriarum Animadverſionum Cl. Baylii in S. Auguſtinum.* 258

Demonſtratio, quod & ratio, & revelatio, ſeparatim & junctim conſiderata, ad oſtendendam viam, quæ ad beatitatem ducit æternam, minime ſufficiant. 425

Atkey (*Anton.*) *Præcipuum argumentum libri, cujus index: Chriſtiana religio & creatio ejusdem antiquitatis, expoſitum, atque ſub examen vocatum.* 131

Bengelii (*Jo. Alb.*) *Novum Teſtamentum Græcum.* 529

Bœhmii (*Ant. Guil.*) *de Reformatione Eccleſiæ Anglicanæ Libri VIII.* 89

Buffierii *Expoſitio argumentorum præcipuorum, quibus, tanquam fundamento ſuo, innititur vera religio.* 230

Campbelli (*Archibaldi*) *Orat. de Vanitate luminis naturæ.* 421

Catalani (*Joſephi*) *de Codice Sancti Evangelii, atque ſervatis in ejus lectione & uſu variis ritibus, Libri III.* 497

Coleti (*Nic.*) *Sacroſancta Concilia ad Regiam editionem exacta. Apparatus primus.* 347

Deylingii (*Salom.*) *Inſtitutiones Prudentiæ Paſtoralis.* 183

Ewaldi (*Wilh. Ern.*) *Emblematum ſacrorum Vet. & Nov. Teſt. Liber III & IV.* 326

Gattola (*Eraſmi*) *Hiſtoria Abbatiæ Caſſinenſis. Pars I & II.* 145

ad eandem Acceſſiones. Pars I & II. 147

Genſelii (*Jo. Chriſtiani*) *Obſervationes ſacræ.* 141

Gravinæ (*Jac. Mariæ*) *Synopſis Theologiæ veterum Patrum.* 533

Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Hiſtoria Eccleſiæ Gandershemenſis ac Collegiatæ Diplomatica.* 97

Jackſon (*Jo.*) *Obſervationes in librum, cujus index: Religio Chriſtiana comparis cum creatione ætatis.* 423

Lakemacheri (*Jo. Gothofr.*) *Antiquitates Græcorum ſacræ.* 322

Maimonidis (*R. Moſis*) *Tractatus de Cibis vetitis in linguam Latinam verſus, Notisque illuſtratus, a* Marco Woldieke. 45

Digitized by Google

Marpergeri (*Bernh. Walth.*) *Ultimum Sacrificium pro peccatis in lege, ceu typus Jeſu in crucem acti conſummatus conſideratum.* 538
Newtoni (*Iſaaci*) *Obſervationes in vaticinia Danielis, & Apocalypſin S. Joannis. Partes II.* 168
Sale (*Georg.*) *Alcoranus in linguam Anglicanam verſus, & Notis illuſtratus.* 7
Schannat (*Jo. Frid.*) *Hiſtoria Epiſcopatus Wormatienſis. Tomi II.* 55
Sianda (*Jo.*) *Lexicon polemicum, in quo potiorum Hæreticorum vita perſtringitur. Partes II.* 160
Sollerii (*Jo. Bapt.*) & *aliorum Acta Sanctorum Menſis Augusti, Tomus II.* 253
Sommeri (*Gothofr. Chriſtoph.*) *Theologiæ Sobaricæ Specimen.* 473
Stebbing (*Henr.*) *de Utilitate eximia Evangelii divinitus revelati Diſſ.* 419
Walchii (*Jo. Georg.*) *Introductio Hiſtorico-Theologica in religionis Controverſias, quæ præcipue extra Eccleſiam Evangelico-Lutheranam ortæ. Tomus I.* 373
Tomus II. 411
Weſthovii (*F. G.*) *Diatribe in Hiſtoriam Paſſionis D. N. Etymologico-Philologico-Critica.* 33
Whitby (*Dan.*) *Obſervationes Philologico-Criticæ, in quibus variæ lectiones Joannis Millii in Novum Teſtamentum examinantur.* 30

II. Libri Juridici.

Arrighii (*Anton.*) *Juris Pontificii Hiſtoria.* 499
Bœhmeri (*Juſti Henningii*) *Conſultationum & Deciſionum Juris Tomus primus.* 350
Van Bynckershœck (*Cornelii*) *Obſervationum Juris Romani Libri IV, quatuor prioribus additi.* 308
Glafey (*Adam. Frid.*) *Anecdotorum, S. R. I. Hiſtoriam ac Jus Publicum illuſtrántium, Collectio. Tomus I.* 35
Heineccii (*Jo. Gottlieb*) *Hiſtoria Juris Civilis Romani ac Germanici.* 545

Hoff-

Digitized by Google

Hoffmanni (*Chriſt. Godofr.*) *Hiſtoria Juris Romano-Juſtinianei Volumen primum.* 261
De Meiern (*Jo. Gothofr.*) *Acta Pacis Weſtphalicæ publica.*
Tomus II. 155
Tomus III. 490
Sellii *Vindiciæ methodi, qua in Elementis Juris Civilis uſus eſt Vir Illuſtris atque Excellentiſſimus, J. G. Heineccius.* 115
Senckenbergii (*Henrici Chriſtiani*) *Selecta Juris & Hiſtoriarum. Tomus II.* 311
Trotz (*Chriſt. Henr.*) *de Memoria propagata, ſeu de ſtudio veterum memoriam propagandi, Tractatus Juris.* 446

III. Libri Medici & Phyſici.

Anonymi *Senis Medici Legatum, patriæ conſtitutum.* 354
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1731. 359
Reſponſio ad Clariſſimi Cyrilli, Operum Ettmullerianorum Editoris, querelas. 559
Bachſtrohm (*Jo. Frid.*) *Nova Æſtus theoria, ex principiis Phyſico-Mathematicis deducta.* 88
Caſſebohm (*Jo. Frid.*) *Tractatus quatuor Anatomici de Aure humana.* 507
Cheyne (*Georg.*) *de Morbo Anglico Tract.* 118
Freind (*Jo.*) *Opera omnia medica.* 57
Haller (*Alb.*) *de Muſculis Diaphragmatis Diſſ.* 122
Klein (*Jac. Theodori*) *Naturalis Diſpoſitio Echinodermatum.* 316
De Mairan *Tractatus Phyſico-Hiſtoricus de Aurora boreali.* 15
Mazini (*Jo. Bapt.*) *Mechanica medicamentorum.* 173
Miſcellanea Berolinenſia, ad incrementum Scientiarum edita. Tomus IV. 271
Van Muſſchenbroek (*Petri*) *Elementa Phyſicæ. Editio nova.* 87
Del Papa (*Joſephi*) *Conſilia medica. Pars I.* 11
Pars II. 314
de Præcipuis humoribus, qui humano in corpore reperiuntur. 453
Roſetti (*Joſephi Thomæ*) *Syſtema novum Mechanico-Hippocraticum de Morbis fluidorum & ſolidorum.* 266
Santorini (*Jo. Dominici*) *Inſtructio circa febres.* 395

Digitized by Google

Seba (*Alberti*) *Locupletiſſimi rerum naturalium Theſauri accurata Deſcriptio. Tomus II.* 337

Weinmanni (*Jo. Frid.*) *Multilinguis Phytanthozaiconographia.* 505

Iconographia aliquot millium quadripartiti orbis arborum, fruticum, herbarum, &c. 549

Wolfii (*Chriſtiani*) *Vera cauſa admirandæ multiplicationis frumenti detecta.* 278

IV. Libri Mathematici.

Anonymi *Dictionarium Architectonicum. Tomi II.* 179

Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1731. 359

Obſervationes in veterum Patrum & Pontificum Prologos & Epiſtolas Paſchales. 456

Belidori *Artifex Gallicus in projiciendis ollis igniariis.* 180

Bernoulli (*Jo.*) *de Vera notione virium vivarum, earumque uſu in Dynamicis, Diſſ.* 210

Tentamen novæ Phyſicæ cæleſtis. 514

(*Dan.*) *Diſquiſitiones Phyſico-Aſtronomicæ Problematis, ab inclyta Scientiarum Academia Regia, quæ Pariſiis floret, iterum propoſiti.* ibid.

Braikenridge (*Guil.*) *de Deſcriptione linearum curvarum.* 28

Brunetti (*Franc. Xaver.*) *de Arithmetica communi & ſpecioſa Tract.* 399

Celſi (*Andr.*) *CCCXVI Obſervationes de Lumine Boreali ab A. 1716 ad 1732, partim a ſe, partim ab aliis, in Suecia habita.* 85

Gray (*Jo.*) & Reidii *Acta Philoſophica Anglicana ab A. 1720 ad 1732 in epitomen redacta. Vol. VI Pars I.* 125

Jurini (*Jac.*) *Diſſertationes Phyſico-Mathematicæ.* 205

Kœnigii (*Sam.*) *Epiſtola ad Geometras.* 369

de Nova quadam, facili delineatu, Trajectoria, & de Methodis huc ſpectantibus, Diſſ. 400

De Mairan *de Aurora Boreali Tract.* 15

Miſcellanea Berolinenſia, ad incrementum Scientiarum edita. Tomus IV. 271

Pila-

Digitized by Google

Pilati (*Leopoldi L. B.*) *Epiſtola de Conciliandis annis Juliano & tropico ; cum Annot.* Georg. Erh. Hambergeri. 80
Reidii & Jo. Gray *Acta Philoſophica Anglicana ab A. 1720 ad 1732 in epitomen redacta. Vol. VI Pars I.* 125
Richteri (*Georg. Frid.*) *de Epiſtola Leopoldi L.B. Pilati de Conciliandis annis Juliano & tropico judicium.* 83
Reſponſio ad Viri Cl. Jac. Jurini Demonſtrationes de Menſura virium corporearum. 511
Viduæ (*Petri*) *Annotationes ad Tabulam Syſtematis Solaris Whiſtonianam.* 551

V. Libri Hiſtorici, Geographici, &c.

Anonymi *Elogium Abbatis le Grand.* 44
Joannis Freindii, Medici Anglorum nobiliſſimi. 329
Jacobi Hermanni, Philoſophi & Mathematici excellentis. 380
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum Anni 1731. 359
Obſervationes in veterum Patrum & Pontificum Prologos & Epiſtolas Paſchales. 456
Barbadici (*Jo. Franciſci*) *Numiſmata Virorum illuſtrium ex Barbadica gente.* 1
Bel (*Matthiæ*) *Notitia Hungariæ novæ Hiſtorico-Geographica. Tomus I.* 289
Bullanvillierii (*M. C.*) *de Nobilitate Galliæ Commentatio.* 504
Burneti (*Gilberti*) *Hiſtoria ſui temporis Volumen II.* 385
Camuſati (*Dionyſii*) *Hiſtoria critica Diariorum literariorum.* 232
Gattola (*Eraſmi*) *Hiſtoria Abbatiæ Caſſinenſis. Pars I & II.* 145
ad eandem Acceſſiones. Pars I & II. 147
Glafey (*Adam. Frid.*) *Anecdotorum, S. R. I. Hiſtoriam ac Jus Publicum illuſtrantium, Collectio. Tomus I.* 35
Gœttenii (*Gabr. Wilh.*) *Literaria noſtri temporis Europa.* 524
Gray (*Jo.*) & Reidii *Acta Philoſophica Anglicana ab A. 1720 ad 1732 in epitomen redacta. Vol. VI Pars I.* 125

Haren-

Digitized by Google

Harenbergii (*Jo. Chriſtoph.*) *Hiſtoria Eccleſiæ Gandersheimenſis Cathedralis ac Collegiatæ Diplomatica.* 97

Havercampi (*Sigeberti*) *Theſaurus Morellianus, ſive Familiarum Romanarum Numiſmata. Tomus I.* 49
Tomus II. 107

Heineccii (*Jo. Gottlieb*) *Hiſtoria Juris Civilis Romani ac Germanici.* 545

Hoffmanni (*Chriſtiani Godofr.*) *Hiſtoria Juris Romano-Juſtinianei Volumen I.* 261

Juvenelii *Prima Hiſtoriarum Elementa.* 40

Kortholt (*Chriſtiani*) *de Matthæo Tindalio Diſſ.* 427

Lakemacheri (*Jo. Gothofr.*) *Antiquitates Græcorum ſacræ.* 322

Marianæ (*Jo.*) *Hiſtoriæ de rebus Hiſpaniæ Libri triginta. Tomi IV.* 342

De Meiern (*Jo. Gothofr.*) *Acta Pacis Weſtphalicæ publica. Tomus II.* 155
Tomus III. 490

Mollerorum (*Bernh. & Olai Henr.*) *de Vita & ſcriptis Joannis Molleri, Flensburgenſis, Commentatio.* 237

De Montfaucon (*Bernhardi*) *Monumenta Franciæ Monarchiæ. Tomus V.* 442

Mülleri (*Gerh. Frid.*) *Collectio rerum a Ruſſis geſtarum. Pars I, II & III.* 389

Neuburi (*Frid. Chriſtoph.*) *Deſcriptio urbis Gottingenſis. Pars I.* 202

Niceronii (*P.*) *Commentarii, Hiſtoriæ celeberrimorum in Republica literaria Virorum inſervientes. Tomus XXI – XXIII.* 474

Panelii (*Alexandri Xaverii*) *de Ciſtophoris.* 297

Pilati (*Leopoldi L. B.*) *Epiſtola de Conciliandis annis Juliano & tropico; cum Annot.* Georg. Erh. Hambergeri. 80

Reidii & Jo. Gray *Acta Philoſophica Anglicana ab A. 1720 ad 1732 in epitomen redacta. Vol. VI Pars I.* 125

Richteri (*Georg. Frid.*) *de Leopoldi L.B. Pilati Epiſtola de Conciliandis annis Juliano & tropico judicium.* 83

Rolli-

Rollini *Hiſtoria antiqua Ægyptiorum, Carthaginenſium, Aſſyriorum, &c. Tomus V.* 257

Schannat (*Jo. Frid.*) *Hiſtoria Epiſcopatus Wormatienſis. Tomi II.* 55

Senckenbergii (*Henr. Chriſtiani*) *Selecta Juris & Hiſtoriarum. Tomus II.* 311

Sianda (*Jo.*) *Lexicon polemicum, in quo potiorum Hæreticorum vita perſtringitur.* 160

VI. Libri Miſcellanei.

Anonymi *Inquiſitio philoſophica in fontem verum actionum humanarum, & cauſam cogitationum immediatam.* 96

Corpus omnium veterum Poetarum Latinorum, cum earundem Italica verſione. 196

Epiſtola Critica de Dictionario Baliano. 479

Inquiſitio in originem honoris & uſum Chriſtianiſmi in bello. 521

Ordinatio primorum Epiſcoporum Angliæ, quæ, Regina Eliſabetha imperante, in caupona, caput equi nuncupata, facta eſſe narratur, examinata. 522

Reſponſio ad Clariſſimi Cyrilli, Operum Ettmüllerianorum Editoris, Querelas. 559

Blackwalli (*Anton.*) *de Præſtantia Auto*[illegible] *Claſſicorum Commentatio, Latine verſa, & Animadverſionibus inſtructa, a* Georg. Henr. Ayrero. 470

Ciceronis (*M. Tull.*) *Orationes pro Archia, in Catilinam, poſt reditum, pro lege Manilia, pro Milone; ex edit.* Chriſtoph. Aug. Heumanni. 468

Engelhardi (*Nicol.*) *Feriæ æſtivæ Groninganæ anni 1730.* 134

Fabricii (*Jo. Alb.*) *Bibliotheca Latina mediæ & infimæ ætatis. Tom. I.* 138

(*Franc.*) *Orator ſacer.* 465

du Freſne (*Caroli*) *Gloſſarium ad Scriptores mediæ & infimæ Latinitatis. Editio nova. Tomi IV.* 193

Funccii (*Jo. Nicol.*) *Publica illuſtris Erneſtinæ Rintelenſium Academiæ Bibliotheca.* 235

Harduini (*Jo.*) *Opera varia.* 481

Hollmanni (*Sam. Chriſtiani*) *paulo uberioris in univerſam Philoſophiam Introductionis Tomus I.* 187

Digitized by Google

Irhovii (*Guil.*) *de Palingeneſia veterum, ſeu Metempſychoſi ſic dicta Pythagorica, Libri tres.* 462

Leibnitii (*Godofr. Guil.*) *Epiſtolæ ad diverſos. Tom. I.* 279

Maimonidis (*R. Moſis*) *Tractatus de Cibis vetitis, in linguam Latinam verſus, Notiſque illuſtratus, a* Marco Woldicke. 43

Miſcellanea Berolinenſia, ad incrementum Scientiarum edita. Tomus IV. 271

Montenari (*Jo.*) *de Theatro Olympico Andreæ Palladii, quod eſt Vicentiæ, Tract.* 377

Panelii (*Alexandri Xaverii*) *de Ciſtophoris.* 297

Plinii (*C. Cæcil. Sec.*) *Epiſtolarum Libri decem; ex edit.* Gottlieb Cortii, & Paul. Dan. Longolii. 3

Sapphus, *Poetriæ Lesbiæ, Fragmenta; ex edit.* Jo. Chriſtiani Wolfii. 250

Scriptores rei Ruſticæ veteres Latini; ex edit. Jo. Matthiæ Geſneri. *Tomi II.* 241

Simonis (*Jo.*) *Arcanum formarum nominum Hebrææ linguæ.* 553

Smarriti *pedeſtris eloquentiæ ſpecimina collecta. Tomi IV.* 200

Spinelli (*Franc. Mariæ*) *Meditationes de maximi momenti argumentis, e Philoſophia prima petitis, conſcriptæ occaſione Primæ Partis libri, qui inſcriptus eſt: Diſcorſi Critici Filoſofici &c. elaborata a* Paulo Mart. Doria. 71

Stephani (*Roberti*) *Theſaurus linguæ Latinæ. Editio nova.* 433

Swedenborgii (*Eman.*) *Prodromus Philoſophiæ ratiocinantis de Infinito, & cauſa finali creationis.* 556

Vechneri (*Dan.*) *Hellenolexias, ſive Paralleliſmi Græco-Latini, Libri duo; ex edit.* Jo. Mich. Heuſingeri. 415

Wolfii (*Jo. Chriſtoph.*) *Bibliotheca Aproſiana, ex lingua Italica in Latinam converſa.* 31

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abelii (*Caſp.*) *vita.* 525

S. Abelis *vita.* 255

Aciliæ *familiæ denarius deſcriptus.* 107

Actionum *humanarum qualis fons?* 96

Actio-

Digitized by Google

Actionum *legis autores fraudis merito accuſati.* 263
Acus *magneticæ ſpiralis examen.* 99
Adrianus *Imp. quo conſilio juriſprudentiam emendaverit?* 264
Adſtringentia, *fluidis mixta, eorum motum ſiſtunt.* 178
Adſtringentium *modus operandi explicatus.* 177
Æliæ *gentis numus illuſtratus.* 113.
S. Æmiliani *vita.* 253
Æneis *an a Virgilio ſcripta?* 483
Æpini (*Franc. Alb.*) *vita* 524
Æquilibrium *partium fluidarum inter ſe & cum ſolidis cauſa ſanitatis.* 174
Æquinoctiorum *præceſſio unde?* 518
Aeris *adhærentia.* 359
Æſtus *marini nova theoria.* 88
Æther *an res ficta?* ib.
Ætheris *reſiſtentia infinite parva.* 366
S. Afri *vita.* 255
S. Agapes *vita.* 256
S. Agathonicæ *vita.* ibid.
Agii, *Presbyteri, Vita Hathumodæ, Abbatiſſæ, denuo edita.* 99
S. Agilbertæ *vita.* 256
Agricolæ (*Rud.*) *vita,* 478
De Agro *limitato Diſſ.* 503
S. Alberti *vita.* 255
Albrechtii (*Jo. Wilh.*) *vita.* 525
Alcoranicarum *Obſervationum Specimen promiſſum.* 11
Alcoranus *in linguam Anglicanam verſus.* 8 ſeq.
ejus hiſtoria literaria. 9
dogmata expoſita. 9 ſeq
Alexandri M. *imperii limites.* 365
Allodium *unde dictum?* 505
S. Altmanni *vita.* 254
S. Amadei *vita.* 255
Androgynus *an ad ſacrum munus inaugurari poſſit?* 185
Angiarienſis (*Petr. Martyr.*) *vita.* 478
In Anglia *ritus varii Eccleſiaſtici mutandi.* 388
Anglicanæ *Eccleſiæ reformatio enarrata.* 90 ſeq.
Anglici *morbi nomen quibus morbis impoſitum?* 119
Anglicorum *Hiſtoricorum collectiones recenſitæ.* 141
Anguli *multiſectio.* 125
S. Aniceti *vita.* 256
Anima *quid ſit?* 558
De Anima *humana ſententia Rüdigeri refutata.* 99
De Anna, *Brit.-Reg. judicium.* 387
Annæ, *Ruſſ. Reg. unctio deſcripta.* 391
Anni *tropici magnitudo.* 84
Annorum *Julianorum & tropicorum conciliatio.* 80
Annus *paſſionis Chriſti.* 171
Ægyptiacus. 272
Anteceſſores *qui olim dicti?* 311
Anthydropicum *remedium laudatum.* 357
Antivigmilii *verum nomen detectum.* 38
Anuli (*Barth.*) *vita.* 475
Apocalypſis *Joannis illuſtrata.* 172
ejus cum vaticiniis Danielis convenientia. ibid.
Apollonius *Tyanæus inter Hæreticos relatus.* 166
de ejus miraculis quid ſentiendum? 232

Aproſii (*Angelici*) *Bibliotheca edita.* 38
vita. 39
Apſides *cur transferantur?* 517
Aquarum *fluentium motus.* 206
Arabum *ante Mohammedem hiſtoria illuſtrata.* 9
merita in Medicinam. 70
Argelati (*Phil.*) *vita Statii.* 199
S. Arigii *vita.* 254
Ariſtoteles *quid in ſuis Metaphyſicorum libris inprimis docere voluerit?* 189
Arnaldus (*Ant.*) *inter Atheos relatus.* 482
Ashmoli (*El.*) *vita.* 476
Aſſenſus *in rebus obſcuris ſuſpendendus.* 78
S. Aſteriæ *vita.* 256
Aſtronomicæ *Obſervationes.* 274
Aſtronomicarum *tabularum forma nova.* 365
Athei *nonnulli detecti.* 482
Atmoſphæra *ſolis.* 16. 19
Atmoſphæræ *terreſtris altitudo.* 18. 19. 25.
Attractionis *principium an ad chemicas operationes explicandas ſufficiat?* 58
Attributa *quid ſint?* 76
Attributorum *a modis diſtinctio.* ibid.
d'Aubry (*Jo.*) *vita.* 476
Auguſtini (*Ant.*) *Inſcriptio ſepulchralis.* 346
S. Auguſtinus *defenſus?* 259. ſq.
an Janſeniſmo faverit? ibid.
Auditorii *meatus annulus in embryonibus eſt pars ſeparata.* 508
Auditus *organon quam difficile cognitu?* 507
Auditus *oſſiculorum numerus quaternarius retentus.* 510
ligamenta. ib.
cavitas demonſtrata. ibid.
Auricula *cur apud aliquas gentes magis ab oſſe temporum diſtet?* 509
Aurora *borealis.* 15
cur frequentior in regionibus polo vicinis? 17
cur ſub arcus ſpecie appareat? 18
ejus columna & ſtria lucida unde? ibid.
parallaxis & altitudo. 18. 25
incredibilis materiæ raritas. 18
ortus & natura. 19
Obſervationes. 361
origo & diſtantia. 363
Avtochir *eruditus.* 479
Autores *Claſſici quomodo legendi?* 473
S. Autoris *Metenſis vita.* 254

B.

Baconis (*Roger.*) *laudes.* 70
Bælius (*Petr.*) *refutatus.* 259 ſq.
partium ſtudio deditus. 480
ejus errores, in vita Averrhois obvii, notati. 69
in ejus Dictionarium Animadverſiones criticæ premiſſa. 480
Baliſtica *arithmetica.* 475
Balesdens (*Jo.*) *vita.* 366
Ballonii (*Guil.*) *vita.* 475

Balu-

Digitized by Google

Baluzii (*Steph.*) *de vita & morte Car. Freſnai Epiſtola edita.* 194 ſq.
Balzacii (*Jo. Lud. Guezii*) *vita.* 479
Barbadicæ *gentis Numiſmata collecta.* 1 ſeq.
res geſta in numis conſervata. ibid.
Barbarini *cognomen unde?* 2
Barometrum *deſcriptum.* 126
Baſhuyſen (*Henr. Jac.*) *vita.* 525
S. Baſſæ *vita.* 256
Bayeri (*Theoph. Sigefr.*) *ad Belium carmen laudatum.* 297
Beckeri (*Petr.*) *vita.* 525
Behrenſii (*Conr. Barth.*) *vita.* ib.
Belemnitæ *an omnes ad echinodermata referenda.* 321
Belius (*Matth.*) *laudatus.* 290 ſq.
ejus Hungaria nova partim edita, partim promiſſa. 288. 290 ſeq.
In Bello *uſus Chriſtianiſmi.* 522
Bengelii (*Jo. Alb.*) *in N. Teſt. merita.* 529 ſeq.
Exegeticum in N. Teſt. opus promiſſum. 533
Bentivoglii *Card. Verſio Italica Thebaidos Statii edita.* 194 ſq. 199
Bernerii (*Franc.*) *vita.* 479
(*Jo.*) *vita.* ibid.
Beſſarionis *Card. vita.* 474
Beſtiæ *Apocalypticæ character.* 172
Bibliothecæ *Rintelenſis publicæ Catalogus.* 335
origo & incrementa. 335 ſeq.
MStis plena enumerata. 285 ſeq.
Bibliothecæ *inter Hungaros nobiliſſimæ.* 294
Bignonii (*Hier.*) *vita.* 478
Bilderbeckii (*Chriſt. Laur.*) *vita.* 525
Billii (*Jac.*) *vita.* 475
Blackwallii (*Ant.*) *de Præſtantia Autorum Claſſicorum Liber Latine verſus.* 470
Blacvodæi (*Ad.*) *vita.* 475
Bluntii (*Henr.*) *vita.* 479
(*Th. Pope*) *vita.* ibid.
(*Car.*) *vita.* ibid.
Bochbarda *quis locus?* 102
Bœhmeri (*Phil. Lud.*) *vita.* 525
Bœhmerus (*Juſt. Henning.*) *laudatus.* 350
ejus vita. 525
Bœhmius (*Ant. Guil.*) *notatus.* 95 ſeq.
Boeſſii (*Dion. Salvagn.*) *vita.* 479
Boivinii (*Lud.*) *vita.* 474
Boreale *lumen.* 15
ab ardente cœlo diſtinctum. 87
non ſemper cum notabili frigore conjunctum. ib.
nec cum certa tempeſtatis mutatione. ibid.
nec ab aeris & ventorum conſtitutione pendet. ib.
interdum ſibilum aliquem & odorem excitare videtur. ibid.
ejus vera ratio. 16
cum lumine Zodiacali convenientia. ibid.
variæ obſervationes. 85
utilitas. 86
apparitio continua, etſi non ſemper æque valida, in regionibus polo vicinis. ibid.

Borealis *aurora.* 15
ejus obſervationes. 361
origo & diſtantia. 363
apparitio majorum luminum periodica. 86
Bovilli (*Car.*) *Epiſtola edita.* 141
Boyſſenii (*Petr. Ad.*) *vita.* 525
Bradwardini (*Th.*) *Sententia edita.* 141
Brerewodi (*Eduardi*) *vita.* 476
Brinckmanni (*Ge. Baſil.*) *vita.* 525
Brockeſii (*Barthold. Henr.*) *vita.* 524
Brownii (*Th.*) *vita.* 479
Bruckmanni (*Franc. Ern.*) *vita.* 525
Brunquellii (*Jo. Sam.*) *vita.* ib.
Buddei (*Jo. Franc.*) *vita.* 474
Bufo *vivus in trunco quercus repertus.* 360
Burchardi (*Chriſt. Mart.*) *vita.* 525
Burgmanni (*Jo. Chr.*) *vita.* ibid.
Burhillii (*Rob.*) *vita.* 476
Burnetus (*Gilb.*) *laudatus.* 386
ejus in dicendo libertas. 388
Busbequii (*Auger. Giſlen.*) *vita.* 476
Van Bynkershoek (*Corn.*) *laudatus.* 309

C.

C *geminum quid olim denotaverit?* 105
S. Cæciliæ *vita.* 256
Caini *nomen unde?* 144
Calculi *differentialis ad res phyſicas applicati ſpecimen.* 136
veſicæ generatio. 278
Calculus *veſicæ per ſectionem lateralem eximendus.* 361
Calculus *integralis ulterius perficitur.* 362
Calendarium *Gregorianum quoad methodum intercalandi approbandum.* 85
Cambdeni (*Guil.*) *vita.* 478
De Campſoribus *judicium.* 186
Camuſati (*Dionyſ.*) *mors.* 232
Caniniæ *familiæ numus deſcriptus.* 108
Canonicum *Jus novum an obliget Eccleſias noſtras?* 185
Capitulationis *perpetuæ ſanciendæ conſilium.* 158
Cappelli (*Lud.*) *Senioris, vita.* 476
Junioris, vita. ibid.
(*Jac.*) *vita.* ibid.
(*M. Ant.*) *vita.* ibid.
Carbonarii (*Alex.*) *vita.* 253
Cari (*Annib.*) *Verſio Italica Æneidos Virgilianæ denuo edita.* 199
Carmonii (*Jac.*) *vita.* 525
Carnarium *quid fuerit olim?* 247
Caroli IV. *Imper. Edicta edita.* 35 ſeq.
A S. Carolo (*Lud. Jac.*) *vita.* 234
Sub Carolo I *quis ſacrorum in Anglia ſtatus fuerit?* 93 ſeq.
II *ſacrorum in Anglia ſtatus.* 94
Carpentarii (*Franc.*) *vita.* 475
Carpzovii (*Jo. Gottlob*) *vita.* 524
Carteromachi (*Scip.*) *vita.* 475
Carteſius (*Renat.*) *defenſus.* 72 ſq.
inter Atheos relatus. 182
accuſatus & defenſus. 72
Caſſagnei (*Jac.*) *vita.* 475
S. Caſſiani *vita.* 254
Caſſinenſis *Abbatiæ hiſtoria deſcripta.* 145 ſeq.
Juriſdictio Diſſertatione illuſtrata. 147

Caſſi-

Digitized by Google

Caſſinenſis *Abbatiæ Archivi præſtantia & fides.* 148
ditionis civitates deſcriptæ. ibid.
Caſſinenſium *Monachorum Chronicon editum.* 154 ſeq.
Caſuum *inter ſe analogia adeo facilis dijudicatu non eſt.* 12
Catifori (*Ant.*) *in novam Operum Photii editionem merita.* 239
Grammatica Græca laudata. ibid.
Catonis *an ſit liber de re ruſtica?* 242
loca quædam emendata. 247 ſeq.
S. Celſi *vita.* 256
Centrum *gravitatis quomodo facile determinandum?* 362
Cerebro *an competat poteſtas ſpiritus ſecernendi?* 269
De Chalmyccicis *rebus Opus promiſſum.* 394 ſeq.
Chiliaſtæ *vocis inepta origo.* 167
De Chirographo *Pauli, Apoſtoli, Philemoni transmiſſo, ſententia.* 117
S. Chremis *vita.* 255
Chriſti *miracula vera.* 231
Chriſtianismi *in bello uſus.* 522
Chylus *quomodo in ſanguinem mutetur?* 455
De Cibis *vetitis Tr. Maimonidis illuſtratus.* 43 ſeq.
Cicalate, *genus orationis ludicræ in Italia.* 201
Ciceronis *loca quædam emendata & illuſtrata.* 468 ſeq.
Cimbriæ *literatæ Opus MStum.* 239
Ciſneri (*Nic.*) *vita.* 476
Ciſtophori *unde dicti?* 298
antiquiores & recentiores deſcripti. 298 ſeq.
Ciſtophororum *uſus & pretium.* 307
S. Claræ *vita.* 255
Claudiæ *gentis numus illuſtratus.* 109
Claves *in ſarcophago deponendi ritus apud Belgas.* 452
Clawenſen *loci antiquitas.* 98
Clericorum *forum privilegiatum quando ortum?* 186
Clericus (*Jo.*) *inter Hæreticos juſte relatus.* 164
Clodii (*Jo. Chriſt.*) *inſtitutum edendi obſervationes Alcoranicas.* 11
Cluverii (*Phil.*) *vita.* 475
De Cocceji (*Sam. L. B.*) *vita.* 525
Cogitatio *quid ſit?* 138
Cogitationum *cauſa immediata.* 96
Coleti (*Nic.*) *in novam Conciliorum Collectionem merita.* 348
Columellæ *de re ruſtica liber laudatus.* 243
loca quædam emendata. 248
Cometarum *motus realis an ſemper directus?* 364
novum ſchema. 551
Comitiva *S. Palatii ad hæredes olim tranſiit.* 36
Conciliorum *Collectio Labbæana locupletata.* 348
Conſiliorum *medicorum literis mandatorum utilitas.* 11
Contareni (*Caſp.*) *vita.* 476
Controverſiæ *Religionis enarratæ.* 374. 412
Cor *quibus cauſis ad contractionem impellatur?* 455
Cordialium *remediorum variæ claſſes.* 178
Cordis *potentia.* 206

Cor-

Cordis *figura in ſyſtole.* 361
Cornelii (*Th.*) *vita.* 478
Cornua *beſtiæ Danielis quid ſignificent?* 171
Corpora *ſalino-ſulphurea an in linea curva ſpirali moveantur?* 177
Corporis *notio Carteſiana.* 73
Corporum *attributa.* 88
vires quomodo æſtimandæ? ibid.
mutua actio ſemper æqualis. 513
Cortius (*Gottlieb*) *refutatus.* 548
ejus in Plinii Epiſtolas merita. 3 ſeq.
Corvini *Præfatio, Ordinationi Eccleſ. Hildeſ. præfixa, num ſit libellus famoſus?* 100
Creyghtoni (*Rob.*) *vita.* 478
Creatio *quomodo a Carteſio explicata?* 77
Creationis *cauſa finalis.* 557 ſq.
Criſium *in febribus utilitas.* 270
Cromwelli *hiſtoria expoſita.* 94
La Croze (*Maturini Veyſſerii*) *vita.* 525
Cruſii (*Magni*) *vita.* ibid.
Cuneus *arboribus ſterilibus adigendus.* 249
Curionis (*Cæl. Sec.*) *vita.* 474
Curvarum *in plano deſcribendarum methodus.* 28
hyperbolicarum quadratura. 125
quarundam æquationes. 363
Cycli *Sinenſium ſexagenarii.* 273
varii antiqui. 456
S. Cyriaci *vita.* 255
Cyrilli *petulantia caſtigata.* 559 ſeq.

D.

Dacheri (*Lud.*) *vita.* 475
Danielis *vaticinia illuſtrata.* 170
Datus (*Car.*) *Speciminum pedeſtris eloquentiæ Academiæ Florentinæ Collector.* 200
Davemportii (*Chriſt.*) *vita.* 479
In Debitores *pœna capitalis olim ſtatuta.* 253
Dei *exiſtentia probata.* 230
In Dei *effatis acquieſcendum.* 231
Dellrii (*Mart. Ant.*) *vita.* 476
Denarius *Aciliæ familiæ deſcriptus.* 107
Dethardingii (*Ge. Chriſt.*) *vita.* 525
De Devotionibus *veterum quid ſentiendum?* 481
S. Deusdedit *vita.* 256
Deuſingii (*Ant.*) *vita.* 475
Diaphoretica *quotuplicia & qualia ſint?* 177
Diaphragma *an in vomitu quieſcat?* 123
magisne inſpirationem, an exſpirationem, juvet? 124
ejus ſitus naturalis deſcriptus. 122
muſculi quatuor inferiores deſcripti. 123
in ejus centro foraminis, per quod vena cava tranſit, conſtructio ſingularis. ibid.
Diarii *Pariſienſis hiſtoria.* 233
Diariorum *literariorum hiſtoria critica.* 232
S. Dignæ *vita.* 256
Dionyſii, *Senioris, hiſtoria deſcripta.* 257
Junioris, hiſtoria deſcripta. 258

Diplo-

Digitized by Google

Diplomaticum *bellum literarium expoſitum.* 490 ſeq.
Diſponendi *de bonis ſuis poteſtas* *Caroli IV Imp. adhuc tempore reſtricta.* 36
Diuretica *quomodo in corpus agant?* 177
Diureticorum *effectus ſæpius fallaces.* 63
Doleti (*Steph.*) *vita.* 474
S. Domitiani *vita.* 254
S. Donati *vita.* 254. 256
S. Donatini *vita.* 254
Doria (*Paul. Maria*) *refutatus.* 71
Doſithei *de Patriarchis Hieroſolymitanis verſio Latina promiſſa.* 239
Draſtica *remedia interdum excretionem impediunt.* 176
Drexelii (*Jerem.*) *vita.* 476
Druſii (*Jo.*) *vita.* 475
Dureti (*Lud.*) *vita.* 479

E.

Ebelii (*Cyriac. Henr.*) *in Hiſtoriam Gottingenſem merita.* 204
Eccleſiæ *in rebus fidei teſtimonium magni faciendum.* 231
De Eccleſiis *ſuburbicariis controverſia enarrata.* 502 ſeq.
Echinorum *&* Echinodermatum *character a partibus organicis deſumtus.* 317
— *os & anus diverſa ratione in variis eorum ſpeciebus collocantur.* 318
— *circa anum verrucæ ſunt eorum generationis organon.* 320
De Echinorum *fabrica obſervationes anatomicæ.* 321
In Echinorum *corporibus aculei variæ figuræ deprehenſi.* ibid.
Eckhardi (*Tob.*) *vita.* 525
Eclipſis *lunaris A.* 1731. 364
— *ejus obſervandæ ratio.* ib.
Sub Eduardo VI. *Reformationis ſacrorum in Anglia progreſſus.* 91
De Effluvia *corporum eorundemque effectibus.* 174
Electricitas *vitri aliorumque corporum.* 277
Eleemoſynas *erogandi modus optimus.* 389
Sub Eliſabetha *Reformationis ſacrorum in Anglia progreſſus.* 92 ſeq.
Eloquentiæ *pedeſtris Italicæ Specimina edita.* 200 ſeq.
Emblemata *ſacra illuſtrata.* 327
Emmii (*Ubbon.*) *vita.* 476
S. Emygdii *vita.* 254
De Encrino *Diſſ. recuſa.* 101
De Engelbrecht (*Georg.*) *vita.* 525
Engelhardus (*Nic.*) *notatus.* 135
— *ejus de Lagenulis vitreis &c. Diſſ. edita.* 134
— *ad ejus Objectiones Reſponſio.* 138
Engelkii (*Herm. Chriſt.*) *vita.* 525
Epriæ *gentis numus illuſtratus.* 111
Erfurtenſis *civitatis cum Electore Moguntino controverſia.* 156
Eruditi *Principis exemplum.* 345
Eruditio *antiqua cum recentiori comparata.* 472
Eſtii (*Guil.*) *vita.* 479
Ethilbertus, *R. Angl. an receperit Jus Rom?* 549
Etruſcarum *antiquitatum collectio promiſſa.* 334

Digitized by Google

Ettmüllerus (*Mich.*) *defenſus.* 559 ſeq.
Evangelium *non eſſe legem, qui ſtatuerint?* 497
a quo ſcriptum? 498
ejus hiſtoria deſcripta. 497
in Miſſa legendi ritus. 499
Everhardi, *Presbyteri, verſus antiqui editi.* 99
S. Eupli *vita.* 256
S. Euſebii *vita.* 254
S. Euſignii *vita.* 256
Exercitiorum *corporis, inprimis equitationis, in morbis generis nervoſi uſus.* 122

F.

Faber *Stapulenſis an fuerit Theol. Doctor Pariſienſis?* 480
Fabiæ *gentis nummi illuſtrati.* 108 ſeq. 114.
De Fabricio (*Jo. Lud.*) *judicium.* 280
Fabricius (*Jo. Alb.*) *laudatus.* 139
ejus vita. 524
De Fabro (*Tanaqu.*) *ſingularia.* 234
Facii (*Barthol.*) *vita.* 475
Faerni (*Gabr.*) *vita.* 479
S. Falci *vita.* 255
S. Famiani *vita.* ibid.
Familiarum *Rom. nummi collecti.* 49 ſeq.
deſcripti. 107 ſeq.
Fareti (*Nic.*) *vita.* 478
Favorini (*Varini*) *vita.* 475
S. Fauſtini *vita.* 256
In Febre *putrida, in declinatione variolarum confluentium accedente, uſus purgantium commendatus.* 61
Febres *nervoſi generis.* 121
Febris, *morbus univerſalis, & in omnibus terris ſibi ſimilis.* 59
acuta vehemens quid ſit? 397
Febrium *cauſa quæ?* 396
Februarius *cur Hornung dictus?* 276
Ferdinandi (*Epiphan.*) *vita.* 475
Ferdinandus *Catholicus, R. Hiſp. laudatus.* 346
Feſti *dies Græcorum deſcripti.* 257
Fibræ *corporis animalis num ſint elaſticæ?* 173
an ſint in perpetuo motu oſcillatorio? ibid.
Fictiones *Juris pro nævo Jurisprudentiæ Rom. habendæ.* 263
Filamentorum *in ſanguine reticularium uſus.* 174
S. Firmi *vita.* 256
S. Firmiani (*Jo.*) *vita.* 255
Fixarum *ſphæra an infinita?* 127
motus novus obſervatus. 128
apparens prius unde? 518
Fluidi *minimæ moleculæ ſunt ſolidæ.* 454
Fluiditatis *cauſa expoſita.* ibid.
Fœminæ *eruditæ exemplum.* 478
Folietæ (*Uberti*) *vita.* 474
Fontanellæ *poſteriores deſcriptæ.* 509
Fontanini (*Juſti*) *ſcripta.* 491
De Fontenellio *ſingularia.* 234
De Fortunato (*Jul. Pompon.*) *ſingularia.* 244
Francicæ *nobilitatis ratio.* 504 ſq.
Francken (*Herm. Aug.*) *Pietiſtarum anteſignanus.* 167
ejus conatus varii laudati. 283
Francorum *origo unde?* 505

Digitized by Google

Freheri (*Marqu.*) *vita.* 474
Freindii (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 329 ſeq.
Du Freſne (*Car.*) *Gloſſarium denuo editum.* 193 ſeq.
vita, mors & ſcripta. 194 ſeq.
In Fridericum, *electum Rom. Regem, nummus cuſus.* 104
Frontonis (*Jo.*) *vita.* 474
Frumenti *multiplicatio.* 278
Fulmina *an extra nubes gignantur?* 88
Funccii (*Jo. Nic.*) *in Bibliothecam publicam Rintelenſem merita.* 235

G.

In Galliam, *turbarum ſtudioſam, Epigramma.* 492
Gallica *quædam monumenta enarrata.* 442 ſeq.
Gallois *Abbatis vita.* 234
Galvanus (*M. Aurel.*) *magno ſtipendio Patavii docuit.* 40
Gandershemenſis *Eccleſiæ hiſtoria deſcripta.* 97
Gandershemenſium *Nobilium hiſtoria.* 98
S. Gangerici *vita.* 254
Garnierii (*Rob.*) *vita.* 475
Gaudentii (*Paganini*) *cum Genuenſi quodam infelix certamen.* 39 ſeq.
Gebaueri (*Ge. Chr.*) *vita.* 525
Gelidæ (*Jo.*) *vita.* 475
Genebrardi (*Gilb.*) *vita.* ibid.
Geometrica *quædam problemata.* 370
S. Gerardi *vita.* 255
Germani *veteres qua ſcriptura uſi?* 104
Germanicarum *vocum quarundam etymologia.* 276
De S. Germano (*Rich.*) *Chronicon editum.* 148
, ejus Lectiones variantes. 149 ſeq.
Geſneri (*Jo. Matthiæ*) *in novam Livii editionem merita.* 47 ſeq.
in veteres rei ruſticæ Scriptores merita. 241 ſeq.
vita. 525
S. Getzelini *vita.* 255
Giſebutus, *R. Goth. Princeps eruditus.* 345
Per Glandulas *Peyerianas quantum, ſtimulo iis adhibito, excernatur?* 62
De Globo *terreſtri & Sphæra Diſſ.* 142
De Godæo (*Ant.*) *judicium.* 40
ejus obitus. ibid.
Goddinga *vetus hodierna Gottinga.* 203
Godofredi, *Acad. Scient. Pariſ. ſocii, vita.* 367
Godwini (*Franc.*) *vita.* 475
De Gœbel (*Jo. Wilh.*) *vita.* 525
Gœzii (*Ge. Henr.*) *vita.* 476
Golzii (*Huberti*) *in Conſulares numos merita.* 51 ſeq.
Gorii (*Ant. Franc.*) *novum opus promiſſum.* 334
Gottfridus, *editor Chronici Gottwicenſis, laudatus.* 491
Gottinga *an fuerit olim S. J. R. Civitas libera?* 203
quibus Principibus olim paruerit? 203 ſeq.
Gottingæ *ſitus antiquior.* 202
jus monetæ cudendæ competit. 204

Digitized by Google

Gottingæ *aeris & aqua ſalubritas.* ibid.
De Gottingenſi *urbe antiquiſſimæ relationes refutata.* ibid.
Gottingenſis *urbis hiſtoria deſcripta.* 202
Græcæ *linguæ Grammatica edita.* 239
Græcis *literis in ſcribendo uſi videntur veteres Germani.* 104
Græcorum *feſti dies deſcripti.* 257
antiquitates ſacræ deſcriptæ. 322 ſeq.
Le Grand (*Ant.*) *inter Atheos relatus.* 482
(*Joach.*) *vita & ſcripta.* 44 ſeq.
Gregoriana *methodus intercalandi defenſa.* 85
quomodo perfici poſſit? ibid.
S. Gregorii *vita.* 256
Gruberi (*Jo. Dan.*) *in Hiſtoriam Gottingenſem merita.* 204
Guilielmus III. *quidni M. Britannia regno par fuerit?* 387
Gundlingii (*Nic. Hier.*) *vita.* 475
Gyllii (*Petr.*) *vita.* 479

H

Hæretici *falſo pro talibus habiti.* 164
Hæreticorum *index quomodo conficiendus?* 161 ſeq.
Haleſii (*Jo.*) *vita.* 474
Hambergeri (*Ge. Erh.*) *vita.* 525
Hanſeaticæ *ſocietatis hiſtoria.* 156
Harduini (*Jo.*) *de Virgilii & Horatii ſcriptis ſententia ſingularis.* 483 ſeq.
Harenbergius (*Jo. Chriſt.*) *laudatus.* 100
Harenbergius (*Jo. Chriſt.*) *defenſus.* 100. 102
ejus de Encrino Diſſ. recuſa. 101
Hiſtoria anecdota promiſſa. 106
S. Hathumari *vita.* 254
Hathumodæ, *Abbatiſſa, vita denuo edita.* 99
Hauberi (*Eberh. Dav.*) *vita.* 525
Havercampii (*Sigeb.*) *in Theſaurum Numiſmatum Morellianum merita.* 50 ſeq.
Hebræorum *nomina nuda & aucta explicata.* 553
Heinecciana *Juris docendi methodus impugnata.* 117
vindicata. 116 ſeq.
Heineccius (*Jo. Gottlieb*) *laudatus.* 546
Heiſteri (*Laur.*) *vita.* 525
Henrici *Leonis vita deſcripta.* 104
Longi vita deſcripta. ibid.
Henricus VII. *an a Bernardo Montepulciano ſit interemtus?* 105
S. Herculani *vita.* 254
Hermanni (*Jac.*) *vita & ſcripta.* 380 ſeq.
Herpii (*Petr.*) *Annales Dominicanorum Francofurtenſium editi.* 312
Heſſi (*Helii Eoban.*) *vita.* 475
Heumanni (*Chriſt. Aug.*) *in Orationes Ciceronis merita.* 468 ſq.
vita. 525
Heuſingeri (*Jo. Mich.*) *in Helleuolexiam Vechneri merita.* 416
De Hieroſolymitanis *Patriarchis Doſithei verſio Latina promiſſa.* 239

Digitized by Google

Hippocrates *an mechanicis principiis fuerit imbutus?* 260
quid per impetum facientia ſ. τὰ ἐνορμῶντα deſignaverit? 267
ejus de morbis popularibus libri laudati. 59
Hiſpanorum *lingua hodierna unde orta?* 344
Hiſtoriarum *Elementa edita.* 40 ſeq.
Hiſtoricorum *ſelectiſſimorum vita.* 42
medii ævi vita & ſcripta. 140
Anglicorum Collectiones recenſita. 141
Hoffmanni (*Chr. Godefr.*) *in Hiſtoriam Juris Rom. merita.* 261 ſeq.
vita. 525
Hollmanni (*Sam. Chriſt.*) *vita.* ibid.
Homiletica *ars in compendio deſcripta.* 466
Hominis *quot partes?* 96
Honoris *origo.* 521
Horæ *diviſio.* 460
Horatius *an ſit verus autor Carminum, quæ ſub ejus nomine venditantur?* 485
ejus loca quædam illuſtrata. 487 ſeq.
S. Hormiſdæ *vita.* 254. 256
Hornungl *cur Februarius dictus?* 276
Horologiis *loco penduli tubus applicatus mercurio plenus.* 129
Hotomanni (*Franc.*) *Anti-Tribonianus denuo editus.* 266
Hroſwithæ *Carmen de conſtructione Cœnobii Gandershemenſis editum.* 99
S. Hugolinæ *vita.* 250
S. Hugonis *vita.* 254
Humfredi (*Laur.*) *vita.* 475
Humorum *in corpore quaternio rejectus.* 454
Hungari *corporis habitu quales?* 294
literis dediti. ibid.
Hungariæ *ſtatus hodiernus deſcriptus.* 288. 290 ſeq.
Hyetometrum. 278

I.

S. Jacobi, *Eremitæ, vita.* 255
Sub Jacobo I *Reformationis ſacrorum in Anglia progreſſus.* 93
Janſenius (*Corn.*) *inter Atheos relatus.* 482
Javolenus (*Priſc.*) *ab inſaniæ macula liberatus.* 448
Icteri *imminentis ſigna.* 13
Jenichen (*Gottlob Aug.*) *Liber promiſſus.* 265
Jeſuitæ *e Germania ejiciendi.* 157
Immortalitas *animæ an ex ratione cognoſci poſſit?* 422
Imperii *Germanici in Italiam jus confirmatum.* 36
De Infallibilitate *Pontificis Rom. quid ſentiendum?* 536
Infiniti *actio explicata.* 556 ſeq.
Inſtrumentum *novum ad metiendos angulos.* 131
Intercalandi *methodus Gregoriana ſervanda.* 85
quomodo perficienda? ibid.
Joanna, *Papiſſa, an unquam extiterit?* 537
de ea probabilis conjectura. 101
S. Jonii *vita.* 254
Joſephi *de Chriſto relatio vera.* 232

 Joſ-

Joſſenſia *oſſa.* 278
Iridis *colorum ratio.* 126
Iris *circa ſolem.* 273
Irminſul *quid fuerit?* 105
De Iſidoro *Hiſpalenſi ſingularia.* 345
S. Julianæ *vita.* 256
Junckeri (*Chriſt.*) *vita.* 234
Jureconſultorum, *qui in Jure commemorantur, index.* 264
Juris *docendi methodus Heineccia na impugnata.* 117
vindicata. 116 ſeq.
Pontificii hiſtoria expoſita. 499 ſeq.
colligendi modi varii. ibid.
explanatores varii. ibid.
edicendi apud Romanos fundamentum. 548
De Jurisdictione *Pontificum D. ſſ.* 502
Jusjurandum *religionis ab utilitate commendatum.* 186
S. Juſti *vita.* 256

K.

Kleinia *Nerii folio Tithymaloides appellata.* 317
Kœleri (*Jo. Dav.*) *vita.* 525
Kortholti (*Seb.*) *vita.* 524
Kortholtus (*Chriſt.*) *Epiſtolarum Leibnitii editor.* 80
Kreſſii (*Jo. Pauli*) *vita.* 525
Kruſikii (*Joh. Chriſt.*) *vita.* 524
Kypkii (*Jo. Dav.*) *vita.* 525

L.

Labbæana *Conciliorum Collectio locupletata.* 348
De Labbæo (*Phil.*) *ſingularia.* 234
Labæo (*Ludovica*) *vita.* 478
Labeo (*Antiſt.*) *ab inſania macula liberatus.* 448
Lacertarum *cum ſerpentibus affinit s.* 338
Lachrymalium *ductuum conſtitutio.* 277
Lætiliæ *gentis numi illuſtrati.* 112
Lakemacherus (*Jo. Gothofr.*) *laudatus.* 322 ſeq.
Landsbergenſis *Marchia.* 275
Langhanſii (*Chriſt.*) *vita.* 525
Langii (*Joach.*) *vita.* ibid.
A Lapide (*Hippolytus*) *quis fuerit, dubium.* 283
S. Largi *vita.* 255
De Larreque (*Matth.*) *vita.* 474
Latinæ *quædam dictiones examinatæ.* 417 ſeq. 435 ſeq.
S. Laurentii *vita.* 253
De Lectionibus *N. Teſt. variantibus judicium.* 30 ſeq.
Lectionis *librorum ex antiquitate bonorum duplex genus.* 47 ſeq.
Leges *Rom. illuſtratæ:*
l. 59 §. 2 de Manumiſſ. teſt. 310
9 de Grad. & affin. ibid.
23 de his, qui not. infam. 311
20 de Pœn. ibid.
8 §. 1 de Public. & vect. ibid.
21 de Leg. 351
16 de uſu & uſufr. leg. 446. 452
11 C. de Excuſat. 448
4 de Jurejur. 450
22 C. de Adminiſtr. Tut. ibid.
41 §. 1. 7. 8. 9. 12. de Legat. I. ibid.

Leges

Leges *Rom. illuſtratæ*:
l. 21 §. 2 de Legat. III. ibid.
49 §. 1 de Fidejuſſ. 548
ult. C. de Præd. & al. reb. min. 549
Legum *Rom. Index.* 263
Leibnitius (*Godofr. Guil.*) *a Spinoziſmo defenſus.* 136
doctrina de apocataſtaſi fautor. 284
ejus Cauſa Dei edita. 134
Judicium de Hobbeſii notionibus neceſſarii & contingentis editum. ibid.
Epiſtola edita. 280
de anima brutorum Comment. edita. 284
Leonis *Imp. Novellæ an ita, ut exſtant, ab eo ſint editæ?* 265
Leuberi (*Benj.*) *liber, huc usque MStus, editus.* 492
Lexicorum *Latinorum hiſtoria.* 441
Lilienthalii (*Mich.*) *vita.* 525
Lipſienſes *Theologi perperam pro Luthero-Papiſtis habiti.* 165
Liſchwizii (*Jo. Chriſt.*) *vita.* 524
Lithophylacium *Brunsbuſanum deſcriptum.* 101
Littletoni (*Ad.*) *vita.* 476
Livius (*Tit.*) *falſo Patavinitatis accuſatus.* 416
ejus hiſtoria recens edita. 47 ſeq.
Lloydii (*Nic.*) *vita.* 479
Logices *quot partes?* 188
Longolii (*Paul. Dan.*) *in novam Epiſtolarum Plinii editionem merita.* 7
De Longueil. *vita.* 369
Lucæ (*Jo.*) *de Monumentis publicis inſcribendis Or. denuo edita.* 472
De Ludewig (*Jo. Petr.*) *vita.* 525
Lumen *boreale.* 15
zodiacale. 16. 20
Luneburgi *caſtellum an innexum ſit Feudis Gandershemenſibus?* 99
Lutherani *ex urbe Egra ejecti.* 156
Lutheranorum *inepta genera prolata.* 165
Lutheri (*Car. Frid.*) *vita.* 524
Lutherus *conviciis proſciſſus.* 163
Lyris *fluvii vera origo.* 148
Lyſii (*Jo. Henr.*) *vita.* 525

M.

Machina *Londinenſis ad elevandam aquam.* 130
nautica ad inveniendum angulum rumbi. 366
Maculæ *ſolares quomodo generentur?* 516
Magiſtratus *ſupremi in Eccleſia poteſtas quæ?* 282
Magneticæ *acus ſpiralis examen.* 89
Magnetis *polus unus altero fortior.* 360
Magnus (*Aloyſ.*) *præcocis ingenii eruditus.* 40
De Majeſtatis *titulo controverſia.* 496
Maillardi (*Olivier.*) *vita.* 476
Maimonidis (*Moſis*) *de Cibis vetitis Tract. latine verſus & illuſtratus.* 43 ſeq.
S. Malchi *vita.* 255
Maldonati (*Jo.*) *vita.* 478
Malebranchius (*Franc.*) *inter Atheos relatus.* 482

Manu-

Manuſcriptorum *librorum accurata Notitia promiſſa.* 285
Manzelii (*Ern. Jo. Frid.*) *vita.* 525
S. Margaritæ *vita.* 256
Sub Maria I. *Reformationis ſacrorum in Anglia progreſſus.* 91 ſeq.
Maria, *Angl. Regina laudata.* 387
Mariana (*Jo.*) *laudatus.* 342
ejus Hiſtoria Hiſpaniæ denuo edita. ibid.
S. Marini, *Senioris, vita.* 256
Marpergerus (*Bernh. Walther.*) *laudatus.* 539
De Marquard (*Ge. Frid.*) *vita.* 525
Marshami (*Jo.*) *vita.* 475
De Martiale (*Gargil.*) *Diſſ. edita.* 245
Martin (*Andr.*) *inter Atheos relatus.* 482
Martini (*Dav.*) *vita.* 475
Maſſoni (*Jo.*) *vita Plinii denuo edita.* 7
Matheſi *quomodo in phyſicis utendum?* 87
Medicorum *Conſiliorum literis mandatorum utilitas.* 11
veterum lectio practico etiam futuro prodeſt. 13
in tradenda hiſtoria morborum diligentia laudata. 59
in expiſcando morbo ſagacitas imitanda. 355
Medicorum *peregrinatione prudenter inſtituenda.* ibid.
De Meiern (*Jo. Godofr.*) *vita.* 525
A Melle (*Jac.*) *vita.* 524
Membranæ *tympani quatuor lamella recenſita.* 509
Membranæ *tympani foramen negatum.* 510
S. Memmi *vita.* 254
Memoriæ *propagandæ ſtudium veterum.* 446 ſeq.
Menardi (*Nic. Hug*) *vita.* 475
Menckenius (*Frid. Otto*) *Societati Scient. Berolinenſi adſcriptus.* 525
Menſura *conſtans & univerſalis.* 278
Mentis *notio Carteſiana.* 74
morborum cauſa quæ? 119
Menzeri (*Balthaſ.*) *vita.* 525
De Mercatoris (*Iſid.*) *Epiſtolis Decretalibus quid ſentiendum?* 499 ſeq. 536
Mercurii *crudi uſus in multis morbis commendatus.* 357 ſeq.
motus, diſtantia, aphelium. 128
Mercurio *an vis lithontriptica competat?* 359
Mercurius *crudus an ſit venenum?* 357
Meridianarum *prægrandium uſus.* 365
De Metemphychoſi *Pythagorea narratio an ſit vera?* 46[illegible]
S. Metrodoræ *vita.* 256
Michaelis (*Jo. Henr.*) *vita.* 525
Microſcopicus *apparatus Leeuwenhœckii.* 127
Mikoyinii (*Sam.*) *Mappæ Geographicæ Hungariæ laudatæ.* 292
Militis *eruditi exemplum.* 478
De Millii (*Jo.*) *Lectionibus variantibus N. Teſt. judicium.* 30 ſeq.

Min-

Digitized by Google

Mindiæ *gentis nummi illuſtrati.* 112
Miniana (*Joſeph. Eman.*) *Continuator Marianæ.* 343
Miniſterialium *doctrina illuſtrata.* 36
Miniſterii *ſacri Candidatus quomodo præparandus?* 185
Mitrejæ *gentis nummi illuſtrati.* 113
Modi *ab attributis diſtinguendi.* 76
Mohammedis *hiſtoria illuſtrata.* 9 ſeq.
Molleri (*Jo.*) *vita & ſcripta.* 237 ſeq.
Monetales *Triumviri deſcripti.* 54
De Monetariis *Germanorum Tract. promiſſus.* 314
De Montfaucon (*Bern.*) *Opus novum promiſſum.* 285
De Monumentis *publicis Latine inſcribendis Orat.* 472
Morbi *Anglici nomen quibus morbis aſſignatum.* 119
 mentem ſimul affligentes miſerrimi. ibid.
De Morbis *popularibus libri Hippocratis laudati.* 59
In Morbo *pertinaci a fortibus remediis abſtinendum?* 59
Morborum *mentis cauſa quæ?* 119
 generis nervoſi varia claſſes. 120
 cauſa. 268
 cutaneorum origo. 316
In Morborum *hiſtoria tradenda quam diligentes ſe exhibuerint Medici veteres?* 59
Morellianus *Numiſmatum Theſaurus editus.* 49 ſeq.
Morgagni (*Jo. Bapt.*) *Epiſtolæ quatuor de Scriptoribus rei ruſticæ editæ.* 246
Mortis *vocabulum antiquis inviſiſſimum.* 450
Mortuis *injuriam inferendi modi varii.* 451
Motus *aquarum fluentium.* 206
 ſanguinis per pulmones fluentis. ibid.
Mülleri (*Gerb. Frid.*) *in Hiſtoriam Ruſſiæ merita.* 390
 (*Jo. Sam.*) *vita.* 524
S. Mummoli *vita.* 255
Mundi *fabrica quomodo a Carteſio explicata?* 77
Munis *vox an ſatis Latina?* 311
Muſculi *diaphragmatis quatuor inferiores deſcripti.* 123

N.

Nartuini (*Conr.*) *vita.* 256
Naſſovica *Domus Familiæ Auguſtæ Franciçæ ſurculus.* 313
Naturæ *lex quid ſit?* 133
 legi quis convenienter vivat? 132
Nervorum *vibratio læſa morborum mentis cauſa.* 119
Nervoſi *generis morbi nomen Anglici ſortiti.* ibid.
 morborum variæ claſſes. 120
Neuburii (*Frid. Chriſt.*) *in hiſtoriam Gottingenſem merita.* 202
Neumeiſteri (*Erdm.*) *vita.* 524
Newtoni (*Iſaac.*) *vita.* 475
S. Nicolai, *Eremitæ, vita.* 255
Nicolle (*Petr.*) *inter Atheos relatus.* 482
Nobilitatis *origo.* 504
 Franciçæ ratio. 504 ſeq.

Digitized by Google

Nobilium *Gandershemenſium hiſtoria.* 98
S. Nonnæ *vita.* 256
Northeimenſes *Comites quo Seculo orti?* 106
Novellarum *publicarum origo.* 234
Numiſmata *gentis Barbadicæ collecta.* 1 ſeq.
Seculi Theodoſiani explicata. 488 ſeq.
Numariæ *rei Germanorum medii ævi ſyſtema promiſſum.* 314
Numi *familiarum Rom. collecti.* 49 ſeq.
deſcripti. 107 ſeq.
Fabiæ gentis illuſtrati. 108 ſeq. 114
Lætiliæ gentis illuſtrati. 112
Mindiæ gentis illuſtrati. 112
Mitrejæ gentis illuſtrati. 113
De Numis *Conſularibus judicium.* 51 ſeq.
veterum integer Commentarius promiſſus. 308
Numos *cudendi jus penes quem olim fuerit?* 53 ſeq.
Numus *in Fridericum, electum Rom. Regem, cuſus.* 104
Aciliæ familiæ deſcriptus. 108
Caniniæ familiæ deſcriptus. 107
Claudiæ gentis illuſtratus. 109
Epriæ gentis illuſtratus. 111
Æliæ gentis illuſtratus. 113
Numus *Semproniæ gentis illuſtratus.* 115
Valerianæ gentis illuſtratus. ibid.
L. Atratini deſcriptus. 305
oppianus deſcriptus. ib.
quinarius Octavii Cæſaris deſcriptus. 306

O.

Olympicum *Theatrum Vicentinum Palladii deſcriptum.* 377 ſeq.
Ontologia *quando primum formata?* 190
Opiata *excretiones impediunt* 178
Opiatorum *effectus explicati.* ib.
Oporini (*Joach.*) *vita.* 525
Oratori *ſacro præcepta preſcripta.* 466
Oratorum *nomen unde JCtis datum?* 311
De Ordinatione *Epiſcoporum Anglicorum narratiuncula refutata.* 523
Oſnabrugæ *urbis jura & privilegia.* 157
Oſſa *Goſſenſia.* 278
S. Oswaldi *vita.* 256
Otto III. *quo anno natus?* 57
Oweni (*Henr. Ern.*) *vita.* 525

P.

Pacificationis *Weſtphalicæ executionis Acta promiſſa.* 160
Acta publica edita. 155 ſeq. 490 ſeq.
Palladii (*Andr.*) *Theatrum Olympicum Vicentinum deſcriptum.* 377 ſeq.
Palmii (*Jo. Georg.*) *vita.* 524

Pane-

Digitized by Google

Panelius (*Alexand. Xaver.*) *laudatus.* 308
Pape (*Chriſt. Henr.*) *de aeris & aquæ Gottingenſis ſalubritate Diſſ. edita.* 204
Parallaxis *ſolis.* 127
S. Paridis *vita.* 254
Parochiarum *origo.* 185
Partus *cæſarei caſus ſingularis.* 361
Paſcalis (*Blaſius*) *inter Atheos relatus.* 482
Paſcha *per calculum Aſtronomicum determinandum.* 365
Paſchalis *ratio.* 456
Paſſionis *Jeſu Chriſti hiſtoria critice illuſtrata.* 33 ſeq.
S. Paſtoris *vita.* 256
De Patino (*Car.*) *ſingularia.* 234
Patres *num aliter legerint Scripturam S. ac hodie legitur?* 31
S. Patriciæ (*Mariæ*) *vita.* 256
Patronatus *Juris origo.* 185
Patrum *veterum Theologia in compendium redacta.* 534 ſeq.
S. Paulæ *vita.* 256
De Pauli, *Apoſtoli, chirographo, Philemoni transmiſſo, ſententia.* 117
Peletarii (*Jac.*) *vita.* 475
Peregrinatio *Medicorum prudenter inſtituenda.* 355
Perſici *Imperii Geographia.* 275
Perſpicuitas *atque conſtantia bona methodi anima.* 317
Pertſchii (*Jo. Ge.*) *vita.* 525
Peterſenii (*Jo. Chr.*) *vita.* ibid.
Per Peyerianas *glandulas quantum, ſtimulo iis adhibito, excernatur?* 62
Pfaffius (*Chriſt. Matth.*) *male habitus.* 117
Phalereus *nomen, quomodo pronuntiandum?* 417
Philippi II. *Hiſp. R. elogium.* 346
Photii *Operum nova editio premiſſa.* 239
S. Photini *vita.* 256
Phyſica *quomodo definienda?* 88
ejus objecta. ibid.
Phythanthozaiconographia *tentata.* 506
Piccolominei (*Franc.*) *vita.* 477
Pietiſtarum *anteſignanus quis?* 167
Pignorii (*Laur.*) *vita.* 475
De du Pinio *ſingularia.* 234
Piri *anatomia.* 362
Pituitæ *in humoribus generatio.* 396
Planetarum *characteres unde orti?* 274
orbitæ cur ad æquatorem ſolis varie inclinatæ? 515
cur parum ad ſe invicem inclinatæ? 517
circumvectiones an a vi materiali & mechanica procedant? 515
orbes quæ cauſa jungat & disjungat? ibid.
gravitas & rotatio unde? 516
axes cur inclinentur? 517
figura num exacte ſphærica? ibid.
nodi ſolares a punctis ſolſtitialibus parum aut nihil diſtant. 518

Digitized by Google

Planetarum *axis poſitio cur variabilis?* ibid.
atmoſphæra. 519
Plantarum *icones expreſſæ.* 550
ad vivum delineatio. ibid.
Plato *Polytheiſmi autor.* 482
Pleuritidis & *peripnevmoniæ differentia.* 61
Plinii *Epiſtolæ emendatæ.* 5 ſeq.
vita denuo edita. 7
Pocockii (*Eduard.*) *vita.* 475
Podagræ *apud Anglos indoles deſcripta.* 356
Podagram *tollendi methodus propoſita.* ibid.
In Pœnis *infligendis interdum perſonarum habenda ratio.* 450
Poetarum *veterum Verſiones Italicæ editæ.* 194 ſeq.
Polytheiſmi *autor quis?* 482
Pontaci (*Arnald.*) *vita.* 476
Pontaderæ (*Jul.*) *in rei ruſticæ Scriptores Annotationes editæ.* 246
Pontificii *Juris hiſtoria expoſita.* 499 ſeq.
colligendi modi varii. ibid.
explanatores varii. ibid.
Pontificiorum *dogmata enarrata.* 375. 413
Pontificios *inter & Proteſtantes unio tentata.* 280 ſeq.
De Pontificis *Rom. Infallibilitate quid ſentiendum?* 536
De Pontificum *Juriſdictione Diſſ.* 502
S. Porcarii *vita.* 255
Portarum *Caſpiarum verus ſitus.* 274
Poſonienſis *Comitatus hiſtoria deſcripta.* 292 ſeq.
ſitus. 292
ſylvæ. 293
flumina. ibid.
aer. ibid.
prodigia. 294
antiquiſſimi populi. ibid.
magiſtratus. 295
optimates. ib.
urbes præcipuæ. 296
Poſſevini (*Ant.*) *vita.* 475
Præcocis *ingenii exemplum.* 40
De Prætorum *veterum Edictis judicium.* 264
Precum *Eccleſiaſticarum formulæ.* 467
Pricæi (*Jo.*) *vita.* 479
Problemata *quædam Geometrica.* 370
Proceſſus *quot ſint malkei?* 510
Procopius *defenſus.* 265
Propheticum *loquendi genus.* 169
Proteſtantes *inter & Pontificios unio tentata.* 280 ſeq.
Prytanes *Sabaziorum præſides.* 301
Pufendorfii (*Eſaiæ*) *vita.* 525
Puiſſonii (*Franc.*) *vita.* 475
Pulveris *tormentarii theoria.* 275
Purgantium *in febre putrida, in declinatione variolarum confluentium accedente, uſus.* 61
in capitis eryſipelate uſus. 61
Pythagoræ *vita.* 463
De Pythagoræa *Metempſychoſi narratio an ſit vera?* 463

Q Qua-

Digitized by Google

Q.

Quadrans *Aſtronomicus muralis fixus.* 364
Quantii (*Jo. Jac.*) *vita.* 525
Queſnel (*Paſchal.*) *inter Atheos relatus.* 482
S. Quiriaci *vita.* 255

R.

Radii *luminis quomodo producantur?* 516
Raphelii (*Georg.*) *vita.* 525
S. Rathardi *vita.* 255
Ratio *an ſufficiat in cognoſcendis rebus divinis?* 422. 424. 426
Raupachii (*Bernh.*) *vita.* 524
Reformatis *jus reformandi in Imperio negatum.* 156 ſeq.
De Reformatis *judicium Legati Suecici in Pacificatione Weſtphalica.* 156
Refractio *aeris non ſemper eadem.* 127
Regis *Rom. tituli antiquitas.* 105
(*Sylvan.*) *inter Atheos relatus.* 482
Regnardi (*Jo. Franc.*) *vita.* 475
Rehtmeieri (*Phil. Jul.*) *vita.* 525
Reimari (*Herm. Sam.*) *vita.* 524
Reimmannus (*Jac. Frid.*) *laudatus.* 284
ejus vita. 525
Religio *vera quibus argumentis demonſtrari poſſit?* 230
unde cognoſcenda? 426 ſeq.
naturalis an ſit abſolute perfecta? 422. 424
Ad Religionem *coactio omni Juri contraria.* 159
Religionis *controverſia enarrata.* 374. 412
coactio an promiſſa? 494
Remedia *multa a veteribus cum fructu adhibita, poſtea neglecta.* 69
humoribus admixta, aliam figuram indepta, alios edunt effectus. 175
multa augent elaterem ſolidorum & fluidorum. ibid.
elective purgantia quomodo in certum humorem agant? 176
Draſtica interdum excretionem impediunt. ibid.
Remediorum *purgantium operandi modus.* 175
Remondi *vita & ſcripta.* 480
De Reſervato *Eccleſiaſtico controverſia.* 159
Reſpondendi *de Jure mos antiquus illuſtratus.* 350
Reſponſa *veterum JCtorum collecta.* 351
Eccleſiaſtica illuſtrata. 352
Revelationis *divinæ neceſſitas.* 134
utilitas demonſtrata. 420
Rex *Rom. an vivente Imperatore ſit eligendus?* 158
an ex regnantis Imperatoris familia tantum eligendus? ibid.
Rhabarbarum *quid ad bilem evacuandam conferat?* 176
Ridelii (*Jo. Mart.*) *vita.* 525
Rigaltii (*Nic.*) *vita.* 474
Rintelenſis *Bibliotheca publicæ Catalogus.* 235
origo & incrementa. 235 ſeq.
Roccæ (*Angeli*) *vita.* 474
Romanorum *bella pro latrociniis habenda.* 264

De la Roque (*Ægid. Andr.*) *vita* 474
Ros *non ſuperne decidit, ſed e terra exhalatur, & ex plantis transſudat.* 88
Rüdigeri (*Andr.*) *de anima humana ſententia refutata.* 99
S. Rufini *vita.* 254
Rumbi *angulus per novam machinam inveniendus.* 366
Ruſticarum *rerum Epitome edita.* 391
Chronicon editum. 390 ſeq.
Ruſticæ *rei Scriptores editi.* 241
Scriptorum nova editio promiſſa. 250
Ruſticarum *vocum index editus.* 247
S. Ruſtici *vita.* 256
S. Ruſticolæ *vita.* ibid.
Ruyſchii (*Frid.*) *vita.* 368
Ryerii (*Petr.*) *vita.* 476

S.

Sabazia *unde dicta?* 300
deſcripta. ibid.
Sacrificia *veterum Græcorum quotuplicis generis?* 325
Sacrificium *pro peccatis explicatum.* 540 ſeq
Sacrorum *Jura duplicis ſunt generis.* 184
Sadeelis (*Ant.*) *vita.* 476
Sal *Epſomienſe quomodo extrahendum?* 352
Salariorum *Eccleſiaſticorum neceſſitas.* 185
Sale (*Georg.*) *Anglica Alcorani verſio laudata.* 11
Salii *unde dicti?* 505
Salium *peregrinorum in corpore humano geneſis & noxa.* 120
Salthenii (*Dan.*) *vita.* 525
Sanctiones *Pragmaticæ deſcripta.* 264
Sanguinis *viſciditas febrium cauſa.* 396
color unde? 459
per pulmones fluentis motus. 206
gravitas ſpecifica. 207
ſiſtendi modus. 361
Sanitas *in quo conſiſtat?* 174
Sanſovini (*Franç.*) *vita.* 475
Sapphus *Fragmenta & Elegia edita.* 250
vita. 252
Sarpii (*Pauli*) *Hiſtoria Concilii Tridentini verſio Latina a quo confecta?* 283
Scacchi (*Fortunati*) *vita.* 474
Scaligeri (*Jul. Cæſ.*) *vita.* 479
(*Joſ. Juſt.*) *vita.* ibid.
Scenæ *antiquæ hiſtoria illuſtrata.* 379
Scharbavii (*Henr.*) *vita.* 524
Schelſtratii (*Eman.*) *vita.* 475
Schenckii (*Jo. Theodor.*) *vita.* ibid.
S. Schetzelonis *vita.* 255
Schmausii (*Jo. Jac.*) *vita.* 525
Schmeizelii (*Martin.*) *vita.* ibid.
Schmidii (*Chriſt. Frid.*) *vita.* ib.
De Schœmberg (*Jo. Bapt.*) *in Mariana editionem novam merita.* 344
Schœtgenii (*Chr.*) *de Gargilio Martiale Diſſ. edita.* 245
Schubarti (*Tob. Henr.*) *vita.* 524
Schulzii (*Franç. Alb.*) *vita.* 525
(*Jo. Henr.*) *vita.* ibid.
Scioppii (*Caſp.*) *Promtuarium Linguæ Latinæ cur non prodierit?* 40

Scri-

Digitized by Google

Scorpionum *ictus an lethalis?* 352
Scriptura *quæ fuerit veterum Germanorum?* 104
Scripturæ S. *loca illuſtrata aut explicata:*
Geneſ. *II, 19. 20.* 555
IV, 13. 141
15. 451
XVII, 10. 11. 424
XX, 6 - 12. 425
XXXVI, 24. 556
Exod. *I, 8.* 272
III, 22. 425
IV, 21. 142
XII, 1. 541
XXIII, 19. 44
XXXIII, 14. 143
Levit. *IV.* 541
XVI. ibid.
XXI, 10. 142
Numer. *V, 7.* 541
VI, 24-27. 467
XVIII, 28. 543
XIX. 540
1. 2. 541
3. 4. 543
7. 8. 10. 544
17. 19. 541
XX, 2. 6. 8. 10. 12. 23. 543
Deuter. *XXI. 11-14.* 144
XXIII, 2. 554
XXXI, 23. 425
XXXIII, 16. 143
21. 543
Joſ. *V, 9.* 425
Judic. *XI, 30. 31. 39.* ibid.
2 Sam. *XX, 1.* ibid.
XXIV, 1-5. ibid.
1 Reg. *XIII, 18.* ibid.
XIX, 15. ibid.
XXI, 10. 13. 143
2 Reg. *II, 23. 24.* 425
VIII, 10. ibid.
2 Paral. *XXXIV, 23.* ibid.
Job. *I, 5.* 143
II, 9. ibid.
XXVIII, 17. 555
Pſalm. *II.* 474
X, 3. 143
XXIII, 5. 327
XXVI, 6. ibid.
LXVIII, 26. ibid.
LXXX, 2. ibid.
Cantic. *IV, 16.* ibid.
VI, 9. 328
Jeſ. *XII, 3.* 142
XIV, 12-15. 143
XXXII, 16. 328
LII, 8. ibid.
13. 14. 142
Jer. *XII, 6.* 276
XX, 7. 425
Dan. *IX, 24.* 542
Hoſ. *XIV, 3.* 467
Zach. *IX, 16.* 328
XIV. 9. 144
Mal. *IV, 5. 6.* 142
Matth. *III, 16.* 328
V, 43. 425
VI, 13. 532
VII, 22. 23. 425
VIII, 20. 328
XV, 3. 144
XVI, 14. 465
18. 328
XVIII, 15-18. 143
XXIV, 36. 425
XXVI, 65. 142
74. 328
XXVIII, 20. 536
Marc. *XIII, 37.* ibid.
Luc. *XII, 31. 32.* ibid.
XXII, 24 ſeq. 282
34. 34
XXIII, 47. ibid.

Joh.

Joh. *I, 1.* 532
VII, 37. 38. 142
VIII, 1-11. 532
IX, 2. 465
XI, 50. 535
XII, 24. 425
Act. *II.* 100
VII. 499
VIII, 14. 536
XV. 535
28. 29. 142
35. 535
Rom. *VIII, 3. 4.* 420
XII, 20. 425
1 Cor. *XIV, 14.* 467
16. 498
XV. 36. 37. 425
2 Cor. *XIII, 13.* 467
Phil. *II, 7.* 328
1 Tim. *III, 15. 16.* 532
1 Petr. *III, 19, 20.* 99
IV, 6. ibid.
1 Joh. *V, 7. 8.* 532
Hebr. *VI, 17.* 435
IX, 13. 541
XIII, 12. 544
Apoc. *VII, 9.* 328
X, 2. ibid.
XV, 6. ibid.
XXI, 18. 21. ibid.

Scripturam *S. num Patres aliter legerint, ac hodie legitur?* 31
Scripturarum *ſacrarum collectores.* 168
Sectionum *conicarum nova contemplatio.* 363
Secularisationis *vocabulum unde ortum?* 159
A Seelen (*Jo. Henr.*) *vita.* 524
Seldeni (*Jo.*) *Diſſ. ad Fletum denuo edita.* 266
Sellius (*Godofr.*) *laudatus.* 116 118

Semproniæ *gentis numus illuſtratus.* 115
Senatus *Conſultis cur ſæpe nomen legislatoris non ſit præpoſitum?* 450
Sepulchra *devovendi formulæ apud veteres.* 452
violandi modi varii. ibid.
Sepulvedæ (*Jo. Geneſ.*) *vita.* 479
Serpens *eſt animal oviparum.* 388
Serpentes *an venenum alant?* 339
ad amphibiorum vivendi & reſpirandi conditionem accedunt. 341
unico cordis ventriculo inſtructi ſunt. ibid.
Serpentum *& viperarum hiſtoria.* 338
anatome. 341
Servii *Tullii ingenium deſcriptum.* 261 ſeq.
S. Severi *vita.* 254
Sherley (*Ant.*) *vita.* 478
(*Th.*) *vita.* ibid.
Sianda (*Jo.*) *notatus.* 161 ſeq.
Signorum *zodiaci characteres unde orti?* 273
Sinenſium *cycli ſexagenarii.* 273
Sirupus *violarum ad probanda liquida non ſufficit.* 271
Sixti II, *Papæ, vita.* 253
S. Smaragdi *vita.* 255
Societatis *Scientiarum Berolinenſis Socii laudati.* 525
Solares *maculæ unde oriantur?* 516
Solaris *atmoſphæra.* 16. 19
eſt cauſa luminis Zodiacalis. ibid.
vortex qualis? 516
ejus celeritas. 517

Sola-

Digitized by Google

Solaris & *cometarum ſyſtematis ſchema.* 551
Soleas *an ferreis clavis ſuppingere ſueverint veteres?* 247
Solis *natura & origo.* 516
Solitaurilium *vox unde?* 248
Sommerſeburgi *Comitum quatuor ſunt genera.* 103
De Spanhemio (*Ezech.*) *ſingularia.* 234
Spatium *vacuum, infinitum & creatum.* 88
Spectacula *quædam Gallica in monumentis repræſentata.* 442 ſeq.
Spiritus *ſecernendi poteſtas cerebro denegata.* 269
S. Spiritus *Ordinis initia in tabula repræſentata.* 445
S. Stapini *vita.* 254
Statii *Verſio Italica edita.* 194 ſeq 199
vita deſcripta. ibid.
Steinheilii (*Georg. Alb.*) *Vocum Sapphicarum illuſtrationes editæ.* 252
Stephani (*Rob.*) *Theſaurus Linguæ Latinæ denuo editus.* 433
vita. 44
Sterilitatis *odium apud veteres.* 450
Stifferi (*Aug.*) *vita.* 525
Stifferorum *vitæ promiſſæ.* 106
Strubii (*Dav. Ge.*) *vita.* 525
Suareſii (*Joſeph. Mariæ*) *vita.* 476
Subſtantia *an ſit una tantum?* 74
una & infinita Spinozæ exiſtere nequit. 77
abſtracta notio eſt. ibid.
ejus notionem an aſſequi poſſimus? 75
De Suburbicariis *Eccleſiis controverſia enarrata.* 502 ſeq.
Sudoriferorum *temperatæ naturæ uſus.* 60
S. Suſannæ *vita.* 256
Swammerdammianum *Opus poſthumum promiſſum.* 526
Syracuſanorum *tyranni deſcripti.* 257

T.

T *geminum quid olim denotaverit?* 105
Tallemantii (*Pauli*) *vita.* 475
(*Franc.*) *vita.* ibid.
Tappii (*Sylveſtr.*) *vita.* 525
Tartariæ *Charta Geographica edita.* 394
S. Taurini *vita.* 254
Tectorum *conſtructio.* 365
Teleſcopium *catadioptricum.* 126
Temporis *diviſio.* 460
Temporum *oſſis accurata deſcriptio.* 508
Terræ *figura qualis?* 518
De Teſtamenti *Novi Lectionibus variantibus judicium.* 30 ſeq.
Teſtamentum *N. denuo editum.* 529 ſeq.
Teuberi (*Sam. Chriſt.*) *vita.* 525
(*Chriſt. Andr.*) *vita.* ib.
Thaumaturgi (*Mironis*) *vita.* 253
Theatrum *Olympicum Vicentinum Palladii deſcriptum.* 377 ſeq.
De Theodora, *Juſtiniani conjuge, judicium.* 265
S. Theodori, *Hegumeni, vita.* 255
Theodoſii, *Monachi, de Origine Imperii Ruſſici liber MStus.* 390
Theologia *veterum Patrum in compendium redacta.* 534 ſeq.

Digitized by Google

Theologiæ *Polemica natura & neceſſitas.* 374 4'2
Zoharica Specimen. 473
Theophania *Auguſta quo anno mortua?* 57
Thermometrum *quomodo perficiendum?* 360
Theveti (*Andr.*) *vita.* 477
Thiardi (*Pont.*) *vita.* 475
S. Thienæi (*Capitani*) *vita.* 255
Thomaſii (*Chriſt.*) *Hiſtoria Juris denuo edita.* 266
Thomaſſinus (*Lud.*) *inter Atheos relatus.* 482
S. Tiburtii *vita.* 256
Tithymaloides *Nerii folio Kleinia appellata.* 317
Torrens *centralis in vortice ſolari.* 516
Torrentes *nautarum quales?* 89
Trajectoria *nova facilis delineatu.* 400
Trebellianum *SCtum unde nominatum?* 548
Treueri (*Gottlieb Sam.*) *vita.* 525
Tribonianus *defenſus.* 309 ſeq.
De Tribus *Impoſtoribus liber deſcriptus.* 101
Triumviri *Monetales deſcripti.* 54
Trotz (*Chriſt. Henr.*) *laudatus.* 447 ſeq.
In Tubis *capillaribus cur aqua ſuſpendatur?* 205
Tympani *cavitas in tres regiones diviſa.* 510
Tyndalius (*Matth.*) *refutatus.* 137. 419. 421. 424. 426
ejus vita & doctrina. 427 ſeq.

V.

Vaillantii (*Jo. Franc.*) *vita.* 476
Valerianæ *gentis numus illuſtratus.* 115
Valſechi (*Virgin.*) *de veteribus Piſanæ civitatis Conſtitutis Epiſtola denuo edita.* 266
Vapores *quodnam morbi genus deſignent?* 121
Varech *nomen unde?* 391
Variolarum *varia genera.* 64
curatio inter Anglos uſitata. 358
Varronis *de re ruſtica liber commendatus.* 243
loca quædam emendata. 248
Varus (*Alfen.*) *JCtus, an fuerit olim ſutor?* 449
Vaſa *ſanguiflua an ſine ruptura ita dilatari poſſint, ut ſanguinem plorent?* 14
Vaſorum *figura conica quantum faciat ad conſervandum humorum æquilibrium?* 174
Vechneri (*Dan.*) *Hellenolexias editiones recenſitæ.* 415
Vegetii (*P.*) *ars veterinaria denuo edita.* 245
Venæ *ſectio in pleuritide copioſa laudata.* 357
larga in variolis commendata. 358
S. Venantii *vita.* 254
Venarum *jugularium ſectio in febribus acutis commendata.* 60
Vermilii (*Petr. Martyr.*) *vita.* 478
Verminoſum *ſeminium in humoribus plurium morborum cauſa.* 358
Vertiginis *cauſa genuina.* 14

Veſicæ *ulcera, etſi rariora, ſubinde tamen obſervata.* 61
Veſicatoriorum *uſus commendatus.* 63
S. Viatoris *vita.* 255
Victor (*Ambroſ.*) *inter Atheos relatus.* 482
S. Victricii *vita.* 254
Villagagnonis (*Nic. Durand.*) *vita.* 476
Villam *in urbem commutare num licuerit olim Principibus Imperii?* 37
S. Vincentii *vita.* 255
Violarum *ſirupus ad probanda liquida num ſufficiat?* 277
Vipera *eſt animal viviparum.* 338
Viperarum *hiſtoria.* ibid.
Vires *corporum an pro rebus abſolutis & ſubſtantiis habendæ?* 511
quæ ſe mutuo ſuſtinent, an ſemper æquales? 513
Virgilianæ *Æneidos verſio Italica edita.* 199
Virgilius *an verus autor Æneidos?* 483
ejus loca quædam illuſtrata. ibid.
Virium *poſt paſtum refectio momentanea unde?* 14
vivarum menſura. 129
vera notio. 210
corporearum æſtimatio. 512
Vis *motricis menſura.* 129
viva eſt aliquid reale & ſubſtantiale. 11
an ſemper conſervetur? ibid.
mortua. ibid.
Vis *omnis corporum mere relativa eſt.* 511
Vitri *electricitas.* 277
Vivis (*Jo. Lud.*) *vita.* 474
Ulcerum & *morborum cutaneorum cauſa quæ?* 316
Vogtii (*Franc. Ern.*) *vita.* 524
Volderi (*Burch.*) *vita.* 475
Vomitoria *quando in febribus acutis adhibenda?* 60
Vomitoriorum *operatio ex ventriculi fabrica explicata.* 176
Vorſtii (*Æl. Ever.*) *vita.* 475
Vortex *ſolaris qualis?* 516
ejus celeritas. 517
Ad Voſſii *de Hiſtoricis Opus Supplementa.* 140

W.

Wedelii (*Jo. Adolph.*) *vita.* 525
Weiler, *vocis, origo.* 274
Weſtphalicæ *Pacificationis Acta Publica edita.* 155 ſeq. 490 ſq.
Scriptores recenſiti. 155 ſeq.
executionis Acta promiſſa. 160
Whitby (*Dan.*) *vita.* 474
Winkleri (*Jo. Frid.*) *vita.* 524
Wipponis, *Presbyteri, Proverbia edita.* 138
Wiſſenbachius *refutatus.* 310
Witſenii (*Nic.*) *Charta Geographica Tartariæ laudata.* 394
Wittebergenſes *Theologi perperam pro Luthero-Papiſtis habiti.* 165
Wolfius (*Jo. Chriſt.*) *Fragmentorum Sapphus editor.* 250
Wolfii (*Jo. Chriſtoph*) *Latina Bibliothecæ Aproſianæ verſio laudata.* 37 ſeq.
Wol-

Wolfii *vita.* 475
Wormatienſis *Eccleſiæ hiſtoria deſcripta.* 55 ſeq.

Z.

Zeni (*Jac.*) *vita.* 475
Zodiacale *lumen.* 16. 20
quid? 16
quousque extendatur? ibid.
cur tam diu latuerit? 20
Zodiacale *lumen quando obſervari poſſit?* ibid.
ejus diverſa ſtrata. 16
ſpecies & figura. 23
viciſſitudines. 24
Zoharicæ *Theologiæ Specimen.* 473
Zornii (*Petr.*) *vita.* 525

ERRATA.

Pag. 292 lin. 34 pro *mpliſſimosque* lege *ampliſſimosque.*
348 lin. 11 pro *exbere* lege *exhibere.*
440 lin. ult. pro *Piliſco* lege *Pitiſco.*
450 lin. penult. pro *contingatſi* lege *contingat; ſi.*
453 lin. 6 pro *praſcripſerant* lege *praſcripſerant.*
550 lin. 4 pro *immutato* lege *immutata.*
562 lin. 20 pro *vilipendet* lege *vilipenditur.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ct
specifie
turn pr
WIDENER LIBRARY
HX 5VKA U
Digitized by Google

Digitized by Google